
2° Bild
18



Ex Bibliotheca
Collegii Evangelici,
Aug. Vindel.

M. Steinberger Sculps. A.V.

1. Rector magnificus in funere M. Mag. stiffe Rumelinia, nuptiis Zaithin. 1663.
2. Decanus et Collegium Facultatis Theolog. d. 22. 10br. 1660
3. Pro-Decanus et Collegium Facultatis Theologicae. In Festo Thomae. 1659.
4. Decanus et Collegium Fac. Theolog: d. 22. 10br. IV. Dominica Adventus Anni 1661. = Theod. Inero
5. Decanus et Facultas Theologica d. 27. August. 1664. in festo aug. Fer.
6. Rector magnificus, in funere Dnae Margaretae Rumelinicae, natu Herbrandinae. III. Adventus Dnica. 1662
7. Ephorus Illustris Collegii, in eodem funere.
8. Rector Magnificus, in funere Dni Johanni Jacobi Harnlithi. d. 7. 9br. 1660.
9. Rector M. in funere Josephi Derreleri SS. Theol. D. d. 1. Dec: 1659.
10. Rector M. in funere Dnae Anna Magdalena Beyeria. d. 20. August. 1663. [illegible]
11. Convictores Brianderiani, in eodem funere.
12. Decanus et Collegium Facultatis Medicae d. 16. august. 1663 Georg. Conr. Bardili.
13. Decanus et Collegium Medicum. d. 9. Julii. 1649. Elias Rudolf Camerarius
14. Decanus et Colleg: Fac. Medicae d. 23. August 1663. [illegible]
15. Decanus et Collegium Fac: Juridicae d. eode die. Seefrid u. Nagel
16. Rector et Senatus Academiae Tubingensis IV. Dominica post Trinitatis. 1663. duell M.
17. Decanus et Coll. Fac. Theologicae 166[illegible] M. [illegible] D. augustini
18. Decanus et Coll. Fac. Theol. [illegible] 1664. M. Georgius Schonburg
19. Decanus et Coll. Fac. Theol. d. 7. febr. 1661. ad oratin P. Gabrielis [illegible] Capuccini.
20. Decanus et Colleg: Fac. Theol. d. 18. Oct. 1663. ad orationem Francisci Kaiser [illegible]
21. Rector Cancellarius et Senatus U. T. d. 24. 7br. 1664. [illegible] duellis.

22. Pro Decanus et Coll. Fac. Theol. d. 23. Oct. 1664. [illegible]
23. Decanus et Coll. Fac. Theol. Dominica Misericordias 1660. Joh. [illegible]
24. Dec. et Coll. Fac. Juridicae 1660. Dom: 26. Trin. J. Grafft
25. Dec. et Coll. Fac. Medicae. Dominica [illegible] anno 1663. M. Johannes [illegible]
26. Dec. et Colleg: Fac. Medicae 1662. XIV. Dom. post Trinitatis. Abraham Plato.
27. Decanus et Colleg: Facult. in funere Dni M. Christophori Wolfflin. d. 28. Jul. 1661.
28. Decanus et Collegium Fac: Juridicae. 1660 Dominica Misericordias Ericus Mauritius
29. Decanus et Coll. Fac. Medicae 1657. Dom. [illegible] Joh. Burckard [illegible]
30. Rector Magnificus in funere Dnae Margarethae Bassovinae. 1668. d. 4. 7br.
31. Rector M. in funere Dni D. Johannis Wurmseri. d. 22. 8br. 1659.
32. Ephorus Collegii Ill. Ludovicus Bertholdus d. 10. 9br. 1659. ad exequias Joh. Friderici [illegible]
33. Decanus et Coll. Fac. Medicae 1660. Dominica Misericordias. Joh. Burckard Zunelm
34. Rector M. in funere Dn. [illegible] Breuning d. 30. 7br. 1658.
35. Rector universitatis Tubingensis. 1660. d. 23. [illegible] in funere Dan. Hizleri Prap Stutg. † 1635.
36. Ephorus Collegii Illustris in funere Dn. Christoph Haugii d. 7. Jan. 1661. archiatri Wurtbgici.
37. Rector Academiae Tub. in eodem funere.
38. Rector et Senatus Academiae Tub: 1660. ad nores.
39. Decanus et Coll. Fac. Theol. 1662. ad [illegible] D. augustini
40. Gratulatio [illegible] D. Samuelis [illegible] 1664.
41. Gratulatio [illegible] 1638.
42. Hessenthaler in funere Margarethae Rumelinae n. Herbrandin d. 14. 10br. 1662.
43. Corona Philosophica Dno Johanni Zeller collata d. 28. Martii. 1660.
44. Harmonia Gratulatoria Theologo Dn. Christophoro [illegible] 1661. d. 31. Julii. filio Joh. Ulric

In funere uxoris Lauterbachij

45. Foemina Nobilissimae sexus [illegible]

46. [illegible] Dn. D. Damonis. [illegible] in nuptias Simonis [illegible] D. [illegible] 1657. et Saarweijiam.

47. [illegible] Frederici [illegible] P. Gratulaturi iterum Magnificae Rectoratu D. D. Joh. Ulrico Bregitzero. 1627. D. 1. May Past. et Prof.

48. In Nuptias M. Melchioris Volcii Diaconi Eccl: [illegible] Majoris. 1661.

49. Janus Gruterus [illegible] Gervantia accinebat D. Pregitzero cum deponeret Rectoratum, resignaretq. Dn. Desoldo. 1624. et Bardili Pregitzerin.

50. In Nuptias Philiperti Bruni. 1625. D. 21. Febr. et viduae Cellij

51. Ulrico [illegible] Dn. Balthasari [illegible] 1641. D. 1. august. et Zumelina.

52. In Nuptias Dr. [illegible] Anastasii Cellii [illegible] 1645. D. 13. May [illegible] A. Gaurri.

53. In Nuptias Dn. Georgii Friderici Jungii. 1658. Jul. cum A. B. Welschian.

54. Joh. Holthusius gratulaturus Dn. Georgio Christiano [illegible] Friz Orientalis. 166. et Christina Charlotte [illegible]

55. Magn. Hesenthaler [illegible] Dn. Erich Mauriz, [illegible] 1660. D. 2. May.

56. In Nuptias [illegible] Amicus [illegible] caballistico [illegible]

57. In Nuptias Joh. Heinrici [illegible] 1640. [illegible] in Magn.

58. Georg Seubold [illegible] Phil. Cand. [illegible] [illegible] Patria [illegible]

59. Magnus Hesenthaler in funere Dorotheae [illegible] 1660. [illegible] Coll. Ill. [illegible]

60. Carmen in Natalem Dn. Joh: Ulrici Pregitzeri. 1642. D. 24. Junii

61. Corona Magisterii Philosophici. Divo, ni r. Joanni Martino Laiblino. D. 28. Martii 1660 constrata a Praeceptoribus Fautoribus et amicis

62. Epithalamia in honorem Dn. M. Danielis Osiandri filii Dn. Andreae Osiandri D. 2. 7br. 1617. et [illegible]

63. [illegible] Dr. Ludwig Stahl [illegible] Licentiaten, [illegible] Urach nach Tubingen [illegible] [illegible] Gerhard [illegible] Phil. Cand.

64. Applausus votivus in Lauream Philosophiae supremam datam et oblatam Dn. Udaco Listeo. 1664. D. 25. August.

65. In Nuptias Dn. Ludwig Friderich [illegible] 1664. D. 7. Junii. cum A. C. Triselin.

66. Laureis artis Medicae Doctoreae viro Dn. Hieronymo Conrado Virdungo. 1663. D. 26. August. grat. [illegible]

67. Acclamatio votiva in promotionem nobilis virorum Juvenum Rigae Dn. [illegible] Heinrici Gottofredi Gundelfingeri J. U. D. necnon Dn. Joh. Georgii [illegible] 1663. D. 23. August. Consis. [illegible] grat. D. Joh. Wagner.

68. Convivae [illegible] in funere [illegible] Annae Magdalenae Wiblerin 1663. D. 20. august.

69. Christoph [illegible] und Gustav [illegible] in eodem funere.

70. Dec: et Coll: Fac: Medicae 1664. [illegible] XIII. post Trin.

71. Alumni Ducalis Stipendii in funere viri Juvenis Dn. M. Christophi Grossii 1664. D. 4. Julii. [illegible]

72. Rector Scholasticae Juventutis. 1663. [illegible] ad lectiones Extraord.

73. Decanus et Coll. Fac. Juridicae. 1663. XXIII. post Trin. 4.

74. Rector Academiae Tubing. 1659. D. 20. Januarii ad lauream Joh. Adam Kurrers

75. Rector Universitatis Scholasticae Tubi. 1664. D. 20. august. in f. [illegible]

76. Rector Studii Academici 1664. D. 10. 7br. in funere [illegible]

77. Rector Studii Scholastici 1664. D. VII. Trin. in funere [illegible]

78. Rector Academiae [illegible] 1662. D. 18. 7br.

79. Rector Academiae [illegible] in f. Lud. Weber [illegible]

80. Ephorus Collegii. D. in funere [illegible] 1663. [illegible]

EIGENTHUM DES COLLEGIUMS ST. ANNA IN AUGSBURG

RECTOR
ACADEMIÆ TUBINGENSIS

CIVIBUS SUIS SAL.

QUod ocellus Belgii ſui, Juſtus Lipſius, morbo correptus aliquando, quotiescunque cubitum ſe conferret, familiarius in ore habuit: *Ad lectum, ad lethum*: nudius quartus *Fœmineorum Decorum Cultrix Spectatiſſima, & quaſi ſpeculum*, DN^A. MARIA MARGARETHA, *ſtirpe* RIMMELINIA, *nuptiis* RAITHIA, reipſa & exemplo teſtatum fecit. Vix enim horâ circiter IX. veſpertinâ cum, dictis pro more precibus, toro corpus repoſuiſſet, hemiplexiæ ſubitaneæ incurſu adeò perculſa, percuſſaque fuit, ut intra ſehorium reddere animam cœlo, unde acceperat nempe eandem; prædam autem vermium, mortale corpus terræ, tumbæque, fatali omnium lectulo, committere, jubente ſic vitæ annorumque noſtrorum Arbitro Supremo, neceſſum haberet. Clauſit Illa cum die menſis ultimo vitæ ſimul univerſæ curriculum, quod annorum XLVI. dierumque, cum ſemeſtri, XV. ſpatio laudatiſſimè peregit: ſed telam ingentis cordolii, repentino hoc obitu, Inclytæ familiæ pariter, ac Mœſtiſſimo inprimis, tenerrimèque, quoad viveret, dilecto ſibi Marito exorſa eſt. Non equidem de ſtrato ac pulvinaribus omnes nos, metator ſepulchrorum, terminus vitæ decretorius evocat: ſed nihil tamen ita rationi, ita pietati præprimis Chriſtianæ conſentaneum, quam reduci fortè ſub noctem quieti mortalitatis memoriam præmittere, vel copulare. Ut enim natus è Venuſio vates:

Quis ſcit, an adjiciant hodiernæ craſtina ſummæ | *Tempora Dii ſuperi?*

Quod quaſi ab ore Parœmiaſtæ ſacri promſiſſe videri is poteſt, dicentis: *Ne glorieris in craſtinum, ignorans, quid ſuperventura pariat dies.* Nautæ aliquando mare diſſuaſurus, non nemo interrogavit eundem, ubinam pater ejus obiiſſet; cumq;, in mari eum obiiſſe, ex reſpondente audiret, idem de avo, proavoque, & atavo nominatim ex ordine quæſivit; atque idem de ſingulis quoq; reſponſum accepit. Tum ergo ad nautam is, *Et tu non times*, inquit, *mare ingredi*? Sed lepidi vice hoſtimenti hortatorem frivolum nauta excepit, vel eluſit. Diſſimulato enim reſponſo, Et ubinam tuus, inquit, pater obiit? Suo, ait iſte, in lectulo. Sed ubi avus, ubi proavus, ubi cæteri majores tui? Omnes, inquit iſte, ſuis in lectulis obierunt. Ibi vero nauta, *Non ergo & tu*, inquit, *times lectulum conſcendere, omnibus majoribus tuis fatalem?* Habet ſane, quod incutiat pii horroris meritò, ſanctæque ſolicitudinis, quam nocturnæ refectionis ergo quot diebus aſcendimus, ſponda, ſi, ut fas eſt, exceſſus è mundo certiſſimi horam incertam è memoria nunquam dimittimus, atque eſſe *conſanguineum lethi ſoporem*, quod Maro divinus affirmat, aſſiduò recordamur. Scite illud ipſum Gorgias quoque Leontinus, AEliano teſte, expreſſit; qui, lethali decumbens lecto, cum prolapſum in ſomnum viſi-

illud ipsum Gorgias quoque Leontinus, AEliano teste, expressit; qui, lethali decumbens lecto, cum prolapsum in somnum visitator quidam amicus reperisset, utque haberet, expergefactum interrogasset, *Jam*, inquit, *somnus me incipit fratri suo tradere.* Nota hæc citra dubium, & nota perbene habet, etiam quæ similia his addi poterant, VIR *Admodùm Reverendus, Excellentiss. atq; Ampliss.* DN. BALTHASAR RAITHIUS, *SS. Th. D. ejusdemq; uti & Linguarum Orientalium Prof. Celeberrimus, Ecclesiæ nostratis Decanus, ac Superattendens Ducalis Stipendii Gravissimus*, Collega noster honorandus, & Defunctæ, quam diximus, Viduus superstes mœrentissimus. Ac proinde his ipsis, quæ, in jugis locum solatii, cum est op9, impertiri aliis consuevit promptitudine dexterrimâ, per acerbissimi hanc plagam vulneris, sibi ipsi defuturus neutiquam est existimandus. Quocunque Is, nosque cum Eo, inde dolendo, hinc condolendo conflictantes, flectimus oculos, quod pacare turbatas mentes, atque in assensum fati ineluctabilis dare potest, invenimus. Decessionem *Beatæ* subitam, atq; illam mortis cum somno, noctis cum sepulchro, tumuli cum thalamo, vicissitudinem consideramus? *Justum, si morte præoccupatus fuerit, futurum in refrigerio*, sacræ nos literæ volunt meminisse. Neque præoccupatam tamen nimis *piè Defunctam* conqueremur, si commonefactam, jam ante hoc semestre, pari hemiplexias impetu, & quasi stipulatione prævia ad peremtorium hunc ictum adstrictam, fuerimus recordati. Jam vitæ moram omnem, inter nos transactæ, suffragatricem tranquillandarum isthoc, quo dixi, modo mentium habemus. Qui genuerunt eam, *Parentes, & familia, & virtutibus Conspicui suis, Pater* nempe, JOHANNES MARTINUS RIMMELINUS, *U. J. D. & Gr. L. Prof. P. Mater* autem, quam erigere inprimis, utpote adhuc superstitem, mœrentium Consolator, DEI Spiritus, per anticipatam hanc *Filiæ dilectissimæ* migrationem, velit, *Matrona Venerabilis*, DNA. MARIA HARPPRECHTIA, simul turbulentam hanc mundi scenam ingrederetur, & sacræ regenerationis ope, & opera fidelissimæ educationis, ad illam mitiorem, lætioremq; vitæ catastrophen, quandocunq; ingrueret hæc, illico disposuerunt eandem, & quasi præparaverunt. Quod in annum vicesimum secundum cum *Honoratissimo Marito*, fœcunda IIX. liberorum parens, quos inter præmissis cæteris, *filios duos, totidemq; filias* relinquit, possedit, conjugium inter mutui amoris fidem omnimodam, officiorumq; conjugalium perpetua quasi certamina, placidissimè est exactum. Domum, civitatem, ædesq; sacras, hinc pietatis infucatæ; isthinc verecundiæ, submissionis, placabilitatis, beneficentiæ, eleemosynarum; inde curiositatis decentissimæ, ejusque accubuæ, clarissimis undecunque speciminibus illustravit. Neque non crucis interea quoque, & ærumnarum partem aliquam, pondusq; norat suum, cujus relevationem beatam, solidam, constantem, proximo inprimis triennio & ipsam, & liberos morbis acriorib9 urgente, dudū suspiraret. Collatam nunc ex voto quis porro æternùm quietæ beatæque invideat? Quin εὐθανασίαν hanc potius desideriorum compoti gratamur, eidemq; potiundæ tempestivæ nos accingimus vigilantiæ studio? gnari, quod ab Iphicrate & Epaminonda quondam cæsis per somnum militibus exprobrabatur, *tales in æternum nos esse relinquendos, quales novissimum momentum invenerit.* Funeris deductionem Vos, CIVES, ut denso agmine notis ex ædibus horâ solenni stipetis, vestri Vos monet, etiam citra Intimationem hanc, officii ratio. Tubingæ, Prid. Cal. Junii, Anno M DC. LXIII.

DECANUS

ET

COLLEGIUM FACULTATIS THEOLOGICÆ,

LECTURIS GRATIAM & PACEM à PACIS PRINCIPE JESU CHRISTO.

MAGNUS olim Natalium Honos, obſervatio, & pompa. Inter antiquiſſimos Ægypti Reges, natalitium celebravit Pharao ob Memoriam beneficiorum in Iacobi progeniem à Moſe præ reliquis commendatus. Tranſiit ſive Mos, ſive Superſtitio illa cum Tempore ad Aſiæ Dominos, Perſas, ſcil. & Medos. *Natalem colunt*, inquit Plato, *ejus, cujus inter Perſas Regnum futurum eſt, omnes qui in Regiâ ſunt, & quibuscunque eſt dominaturus, dein in reliquum tempus ejusdem natalem diem omnis Aſia celebrat, & ſacrificat.* Ejusdem generis Epulum fuiſſe, quod paravit Ahaſuerus Principibus & pueris ſuis, fortiſſimis Perſarum, & Medorum Inclytis, & Præfectis provinciarum coram ſe, quod perſice Tycta, Græcè τέλειον dicebatur, eruditi exiſtimant. Luxu cum Romanorum perſico apparatui pare, quem Horatius caſtigat, crevit quoque ſplendor ille natalibus infuſus. Quid non Equites Romani Auguſto? Aulæ Mancipia Cajo Caligulæ revertente hoc die appararunt. Neque ſubſtitit illud Feſtivitatis genus intra terminos cæcæ Gentilitatis, aut orbis Monarchas, quibus aliquid indulgere ſolet utcunq; ſit Labe adſperſum humani Ingenii Indoles, penetravit in Iudæam, & Herodis Aulam, ſeu ſerenavit, ſeu triſti Colophone obſcuravit. Eò reſpexiſſe Satyricum Viri, ut ait Petitus, Maximi opinantur, qui ſic declamitat.

Herodis venêre dies, unctaque feneſtra
Diſpoſita pinguem nebulam vomuere Lucernæ,

Cauda natat thynnis, tumet alba fidelia vino:
Labra moves tacitus, recutitaque Sabbatha palles.

Ita ſcilic. ſæculi hujus Filii in Lucem nativitatis vitiatæ fuerunt curioſi, prodigi. Ita coronarunt diem ſuum Magnates, qui primos ad emortualem paſſus ſignavit, ita Luxu contaminarunt barbari, quod cedere debuiſſet in fœditatis argumentum, Infirmitatis humanæ documentum. Alia Mens Chriſtianis ſedet, alius Affectus in pectore viget; Attollunt illi oculos à gleba, quæ naſcentes excepit, ad Cœlum, quod illos expectat, à ſordibus, quibus à Matre rubent, ad purpuram JESU Chriſti, quam in Baptiſmo induerunt; à die, qui primam infudit auram, ad eum, qui eſt Lux illuminans omnem hominem venientem in hunc Mundum: Illius Natalis cum ſit præ foribus ex inſtituto veteri & pio illum celebrant, Diem, qui noſtræ æternitatis natalis eſt, noctem quæ nos in fulgorem cælicum reponit, celebrant autem non ſuperſtitione aut Luxu barbarico aſſueti *cognatis ponere Lardum*, ſed precibus, votis, jubilis, diſſertationibus DEO dignis, argumentis ad pietatem inflammantibus. Quod itaque noſtri officii eſt, in ſe ſuſcepit ex ordine anniverſario VIR Admodùm Reverendus & Excellentiſſimus DN. BALTHASARUS RAITHIUS, SS. Theologiæ Doctor & Profeſſor Celeberrimus, dicturus de Pſeudo-Meſſiarum irritis conatibus, de Feſtivitatis hujus honore ſoli DEO debito. Experti eſtis nuper VIRI digniſſimi facundiam in lugubri argumento, ad eandem bibulis aurium conchyliis excipiendam animabit Chriſtiana pietas in lætiſſimo, Amor & Cultus, quem JESU Salvatori veſtro omnes debetis. Domitianus Salvium Cocceianum occidi juſſit, quod Imperatoris patrui ſui diem natalem non celebraſſet; quanta illis incumbet pœna, qui Cunas Salvatoris noſtri faſtidiunt, qui vagitus Numinis non adorant, qui Natalem Summi Imperatoris pia veneratione & jucundâ Memoriâ non recolunt aut proſequuntur. Quapropter omnes & ſingulos literati ordinis quotquot JESUM amatis, quotquot in illius in cunabulis triumphatis, quotquot Pſeudo-Meſſias deteſtamini rogamus, ut die huic ſolennitati à pia vetuſtate dicato qui Menſis hujus eſt vigeſimus quartus horâ conſuetâ ac loco ſolito compareatis, audiatis, & ex auditis in Amore ejusdem proficiatis. Perſcriptum Tubingæ & munitum Facultatis noſtræ Sigillo, 23. Decembris, Anno M.DC.LX.

LITERIS WERLINIANIS.

PRO-DECANUS

ET

COLLEGIUM FACULTATIS THEOLOGICÆ IN UNIVERSITATE TUBINGENSI

Lectoribus Salutem.

MEmorabilis est historia, quam non nemo in suo Itinerario refert de quodam pastore pecuario, quem ipso die Nativitatis Christi in Turcia apud gregem sub dio hymnum Esaiæ, de puero nobis nato, **Ein Kindelein so löbenlich/rc.** sonorâ voce canentem offenderit, qui de causis, cur isthîc ageret, ut & de libertate, quâ Christum tàm confidenter & hilariter canendo sub jugo Turcio confiteretur, interrogatus, inter alia responderit: *Si Turca tributum solvat, sibi impunè licere esse Christiano, ut modò testatus fuerit imperterritâ suâ ob Salvatorem nostrum in hunc Mundum natum lætitiâ*: Hæc, inquam, historia quemadmodum in nostram ædificationem est valdè notabilis; ita imprimis hoc sacratissimo tempore ad instans salutiferæ Nativitatis festum magnâ devotione, & renovatâ in Spiritu sancto lætitiâ celebrandum nos extimulare debet, non obstante, quòd tantùm pastor fuit, à quo discamus indolem veri gaudii natalitii; quia constat, ne quidem concionis angelicæ, quâ Nativitas Salvatoris nostri primùm innotuit, alios auditores fuisse, quàm Pastores in regione Bethlehemiticâ, vigilantes ac custodientes vigilias noctis super gregem suum: Si ergò hic pastor genethliacum Christi tàm devotè cecinit sub tyranno sævissimo; quid nos facere non deceat sub Magistratu Christiano, qui est nutricius Ecclesiæ, Regi gloriæ portas Mundi attollens? Si iste pastor ob JESULUM, denuò spiritualiter in corde

affabre ad devotionem accommodato? Si iste talis fuit coram pecore; quid nobis non conveniat coram populo? Si iste solus; quid nos non cum multis? Si iste sine concionatore; quid nos non, quibus præcones verbi hoc mysterium ad ravim usque inculcant? Si iste sine Musica; ipse tamen sibi, ac suo Salvatori Musicus; quid nos non, quibus laus ejus resonat in sono tubæ, in psalterio, in cytharâ, in tympano & choro, in chordis & organo, in cymbalis benè sonantibus, in cymbelis jubilationis? Ut dubium nullum sit, hunc ipsum pastorem, quàm abjectæ vel tandem conditionis homo in Mundo fuerit, dum memoriam salutiferi partus in mediâ servitutis Turcicæ miseriâ, tàm piè & devotè recoluit, accusaturum esse die novissimo, quotquot imprimis hoc tempore ad præsens pietatis mysterium, quod Apostolus ὁμολογουμένως μέγα, *citra controversiam magnum* deprædicat, profundâ meditatione exosculandum non præparantur, intentiores, quo vestium luxu oculis, propudioso aspectu temeratis, placeant, quàm quo gratitudinis studio pro hoc ineffabili beneficio Salvatori suo obligata & debita obsequia præstent atque demonstrent, qui, dicente Div. Augustino, non propter se, *sed propter nos caro factus est; propter nos, qui erat Filius DEI, factus est filius hominis, ut qui eramus filii hominum, efficeremur filii DEI.* Et *cujus*, ut Leo subdit, *ad infima inclinatio, nostra est ad summa provectio.* Huic ergò præparationi cordium nostrorum ad tàm solenne & salutiferum festum debitâ pietate celebrandum Statuta Universitatis nostræ Vigilias Nativitatis Christi proximo vigesimo quarto Decembr. die futuras, piâ quadam, & ad genuinam devotionem excitandam directâ oratione desacrant, & ritè habendam Facultati nostræ injungunt; quæ dicto die horâ nonâ, & loco, si propter intensum frigus non solito, nempe in Aulâ Novâ, in magno hypocausto Universitatis Senatorio habebitur, quam ut Facultatis nostræ Studiosi frequentent, mandamus; cæteros, quotquot Puerum nobis natum, & Filium nobis datum seriò sine hypocrisi amant, cujuscunque ordinis, dignitatis & conditionis sint, officiosè ac peramanter invitamus: sic gloria dabitur DEO, & salus humano generi parta redundabit in Electos. Dabamus in Festo Thomæ, Anno supra millesimum, sexcentesimum, quinquagesimo nono.

DECANUS ET COLLEGIUM FAC. THEOLOG. IN UNIVERS. TUBINGENS. B. L.

S. D. P.

GEmmulæ instar effulget illud Immanuelis nostri Epitheton, quod in variorum συναθροισμῷ apud Esaiam habetur שר שלום PRINCEPS PACIS. Emphasin ejus Ionathan Ben Uziel ita παραφράζει : משיחא רשלמא יסגי עלנא ביומוהי: MESSIAS CUIUS PAX MAGNIFICABITUR SUPER NOS IN DIEBUS EIUS. Congruè! si respexit id oraculū, quod eodem in vate præcedit: *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces*, & id quod subsequitur: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit.* Pax hæc una, altior humano quovis ratiocinio, sinu suo omnes nativitatis, imò totius obedientiæ fructus infinitæ amplitudinis comprehendit. Pax fœcunda universæ felicitatis mater; Pax omnis prosperitatis seges; Pax omnis solidi gaudii materia: qua audiri nil gratiùs, desiderari nil delectabiliùs, possideri nil utiliùs potest. Pacem autem dum dico, parcite credere eam nos primore conceptu intelligere, quæ horrida compescit bella, comprimit iras, sanat simultates, cives servat, agros urbesque tuetur; licet etiam talis in suo genere sit - - - - - - - - Pax optima rerum, Quas homini novisse datum est.

Sed illam, quæ iratum DEUM pacat, legis anathematismos averruncat, Iudæos gentesque unitate fidei & charitatis conferruminat, consternatam conscientiam in tranquillo sistit. Jure itaque pacem in terra canit gratulabundus Angelorum exercitus, nato eo, qui *pax nostra* gentium Apostolo dicitur, *per quem*, interprete eodem, *pacem jam habemus cum DEO, Rom. 5. v. 1.* Fax terris illata per Sathanam, qui primas belli causas in paradyso sevit. Fax hæc de ligno arsit, & pacificatorem ad lignum ursit. Face hâc viror omnis generis nostri conflagravit, & rogus infernalis incendii accensus est. Has funestissimas faces nascendo patiendoque cœlestis proxeneta extinxit, pace supernè reductâ DEUM homini, hominem sibi reconciliavit, Iudæos Ethnicis, hosque istis, dirupto pariete intergerino, fœderavit sanctissimâ unionis lege. Hanc è tumba redux efficacissimè apprecatus est fidelibus *Ioh. 20.* hanc è mundo abiensut certissimum palladium reliquit *Ioh. 14.* hanc per mysticos feciales toto orbe publicandam seriò edixit *Luc. 24.* non frustra olim per *Melchisedechum Regem Salem*, h. e. pacis ἀφωμοιωμένος, & per Salomonem, quo imperante *Juda & Israël habitavit absque timore, unusquisque sub vite & ficu suâ, 1. Reg. 4.* Bello nos persecuta esset inevitabili supra nos SS. Trias, & ad flammas nunquam desituras coegisset: Bellasset nobi-

scum intra nos conscientia sæva scelerum exprobratrix: Bellalent nobiscum ...
gitiorum accivimus, sive homines, sive diaboli. Sed postquam cœlestis Irenarcha nascendo pacis mysterium ape-
ruit, patiendo pacis fœdera sancivit, moriendo pacis instrumenta confecit, resurgendo per verbum & Sacramenta
obsignavit, omnia se nobis familiariter sociant, quorum prius à nobis aliena fuerant beneficia. Collapsum nocte
nativitatis Christi Romæ templum PACIS *Hieron. Xaverius pag. 74. Historiæ Christi* Echebari memorat; Quod si non
fabulosum est, ut *Seb.* etiam *Barradio* videtur, locum *DOMINO* vacuefecit *ad templum suum*, teste *Malachia cap. 3.*
venturo, veriori, quam Augustus erat, pacario. Confundit profanum verporum genus utriusque pacis colli-
mitia, dum Messianæ pacis promissa, in literali sensu non dum impleta, argumentum facit non exhibiti sed exhi-
bendi adhuc Messiæ: medeatur veneno suo ipse superimpositus scorpius, per regulam à Rabbinis vulgo incul-
catam, qua promissiones de Messia non גשמי corporaliter, sed אלהי spiritualiter esse intelligendas asseverant.
Obvertunt ἐκ παλαιᾶς alii, tempore nativitatis Messianæ œcumenicam pacem, in cujus signum Iani portæ ab Au-
gusto clausæ feruntur, viguisse. Verisimile quippe est (ajunt) tunc Oct. Cæsarem orbem universum describi jussisse,
cum universus pace fruebatur. Verisimile quoque est, Christum, penes quem belli pacisq; imperium est, siquidem
tempore magnæ pacis nasci voluit, voluisse quoque magnæ pacis celeberrimum signum i. e. Iani occlusionem
tantæ paci non deesse. Denique hoc videtur significare D. Lucæ exordium illud: Exiit Edictum a Cæsare Augusto
ut describeretur universus Orbis, videl. quia universus illi parebat. Quod si universus illi parebat, nulla regio cum
Romano Imperio bella gerebat. Quod cùm inter Authores (Pontificios certè) dubium adhuc sit, pugnam no-
tante Barradio *Tom. 1. Concord. Evangelicæ, libr. 8. c. 12.* non intempestivè id argumentum occupaturus est *VIR per-
quam Reverendus & Excellentissimus, DN. JOHANN-ADAM OSIANDER, S. S. Theologiæ Doctor & Professor
Celebratissimus, Collega & Frater noster in Christo conjunctissimus*, postquam recurrente annua θεοφανίας solennitate piâ
recordatione celebranda dicendi partes ad ipsum primâ vice devolutæ sunt. Huic fini Vigiliæ Nativitatis *hora nona
antemerid.* ex laudabili statâq; Academiæ nostræ consuetudine *in Audit. Theolog.* dicata est. Ad EUM itaq; solita
frequentia audiendum non tam nos voce publiceâ invitamus rogamusque devotè feriabundos, quam nota Viri
Virtus, & argumentando acuti, & dicendo facundi, tanquam hedera vino per se vendibili suspensa, ultrò, quod
confidimus, attrahent. Valete P. P. *d. 22. Decembr.* quam signat *IV. Adventus DOMINI Dominica, Anno* PACIS
ἐνσαρκίας de Cœlo lapsæ MDCLXI. θεογονίας verò S. Rom. Imper. terris illapsæ XIII.

Typis Theodorici Werlini.

5.

DECANUS
ET
FACULTAS THEOLOGICA
UNIVERSITATIS TUBINGENSIS
LECT. SAL.

TAm notum est proverbium de dormiente somnum Endymionis, ut etiam in *Formula loquendi puerili* puer puero dicat: *Facesse Te hinc Endymion.* Natum id, scribit Erasmus in Chiliadibus, ex fabulâ de Endymione excogitatâ, quem finxerunt puerum adprimè formosum, ac Lunæ adamatum, qui intercedente Lunâ à Patre Jove precibus obtinuerit, ut perpetuum somnum dormiret, ἀθάνατος καὶ ἀγήρως μένων, h. e. immortalis manens & senii expers: Quod Proverbium Erasmus in eos quadrare inquit, qui immodico somno se se saginant. Quo alio nomine appellandos esse putemus securos hujus seculi filios, homines omni curâ & solicitudine vacantes, nec meditantes, quid tandem futuri sint? quod signum diri stuporis est, & hominis malè ac pessimè de animo suo merentis, qui inter sacrum & saxum stans risui sæpius, quàm lachrymis indulget; quo alio, inquam, nomine hujusmodi securos Filios seculi appellandos putemus, quàm nomine *Endymionum*? Homines, altissimo somno securitatis sepultos, hoc inprimis periculosissimo tempore, quo moto Oriente contra Occidentem Turcicus Hannibal portis Christiani Orbis imminet, & ad radices montium Israelis castra metatur, acinacemque jugulo Christianorum summa opum vi intentat, de quo post Ezechielem & Danielem, Prophetas Testamenti Veteris, etiam postremus Testamenti Novi Scriptor θεόπνευστος, qui Johannes Evangelista in Pathmo fuisse creditur, in Apocalypsi tàm dira & horrenda prædixit, ut ea saltem legentibus, nedum experientibus comæ stent, & cor Marpesiâ caute durius esse oporteat, quod jam ἐρχομένων τούτων γινέσθαι à somno securitatis excitari nequit; simile *dormienti in medio mari, & sopito Gubernatori amisso clavo, qui dormit in summitate mali navis, atque dicenti, verberaverunt me, sed non dolui, percusserunt me, & ego non sensi, quando evigilabo? Adjiciam & quæram amplius*; ut sapientissimus Regum hunc somnum securitatis in Proverbiis describit. Hos hoc somno sopitos glires adhuc ne dubitemus appellare *Endymiones*, quippe qui, ut est in Proverbio, etiam Salem vehentes dormiunt, adeoq; præter exterio- [illegible] sensum ligaturam, ipso sensu communi carere videntur, ut non amplius sentiant, quod sentiunt, & quod sentire possent atque deberent: omninò pro

rum sensuum ligaturam, ipso sensu communi carere videntur, ut non amplius ... cœcis habendi, dum pericula, imò damna à Gogitica Tyrannide Orbi Christiano illata præ oculis habent, & tamen oculis suis non vident; pro surdis, quorum ob aures novitates tam Christianorum, quàm Turcarum sanguine conceptæ atque scriptæ hebdomadatim versantur; & tamen τὰ σπλάγχνα eorum non magis movent & afficiunt, quàm Mathematicus cùm Solis cursum metitur, Alpium nives liquefacit, aut Cimmerias tenebras discutit, contritione Josephi tàm negligenter habitâ, ac si corium illius planè esset alienum, de quo nunc temporis in Hungariâ tantâ sanguinis effusione luditur; ut frustra etiam sint omnia, quæ ad hos Endymiones à somno securitatis excitandos adhibentur; frustrà campanarum signa, quantocunque fragore, ut supplices manus ad placandum Numen offensum tollamus, aures eorum verberent; frustra Angelorum Domini in Gilgal objurgationes, ut Templa nostra per fusos oculorum latices in Bochim vertantur; frustrà cætera omnia, quæ ad Sacrificium cordis contriti & humiliati requiruntur; ut hi Endymiones vel soli argumento irrefutabili esse possint, si cætera, quorum plurima sunt, non essent, incidisse nos in ea lemniscata Mundi tempora, de quibus Salvator apud Evangelistam indicat, eandem securitatis scenam comedendo, bibendo, nubendo, nuptui tradendo, actum iri, quæ in diebus Noæ acta fuerit; utut Noachus perdito isti Mundo Diluvii inundationem longo antè tempore ex mandato Dei prædixerit, & concionem hanc, ut resipisceret, magno Zelo continuaverit, de cujus contemptu hæc Megalandri nostri, Tom. 4. Jen. fol. 48. 49. verba sunt: **Aber die (erste) Welt that / wie sie noch immer thut / verhönete vnd verachtete GOttes Wort / vnd seine (Noe) Predigt / daß / je mehr er davon (verstehe die Sündfluth) predigte / je mehr er hören muste / daß sie sagten / Du bist ein grosser / Alter Narr / hast Sorge / der Himmel fall auff dich / predigest vnd schreyest nun** 10 / 20 / 30 / 40 / 50. **Jahr her von der Sündfluth: wann kom(p)t sie dann? Meynstu / daß du allein der Frömbste bist?** &c. Quid ergo? num abundare permittamus hos Endymiones suo genio, tam alto lethargo securitatis sopito? inquientes cum Propheta: *Non recordabimur amplius sermonis Domini, neque loquemur ultrà in nomine ejus*; Hoc verò absit; quin potius sequamur monitum Apostoli: Ἐπίστηθι εὐκαίρως, ἀκαίρως, ἔλεγξον, ἐπιτίμησον, h. e. insta opportunè, importunè, argue, increpa; ut scilicet Electi vigilent, ne etiam pars sincera ab istis Endymionibus trahatur, aut Prudentes Virgines cum fatuis sopitæ olei pro lampadibus ad excipiendum Sponsum obliviscantur. Hoc ut etiam in præsens in Universitate nostra vigilanter hoc exulcerato tempore agamus, εὐκαίρως vellicat non tam aures quam animos nostros Festum Divi Augustini, Hipponensis Episcopi, 28. Augusti die Facultati Theologicæ sacrum; quod ex Statutorum tenore publica Oratione anniversariè celebratur. Detulit hanc Provinciam Facultas nostra *Venerabili & Doctissimo Iuveni* M. GEORGIO FRIDERICO KRAFTIO, Theologiæ Studioso & Repetenti in Serenissimi nostri Ducis Stipendio, Ecclesiæ ut consecrato, ita profectibus maturo; cui Thema tractationis his temporibus appropriatissimum placuit, nempe Vaticinatio cap. 9. Apocal. in quo Saracenicam Tyrannidem ultimis his temporibus à justissimo Deo desacratam, vivis coloribus per hypotyposin descriptam habemus; quo in capite exegeticè tractando magna ingenia, Theologi puta, qui in ordine Alphabetico primi sunt, se exercuerunt, *Hoë*, *Pareus*, & nostro tempore, qui in Universitatibus, Augustanæ Confessioni addictis, sunt Celeberrimi: vestigia eorum prementibus, qui eos ponè sequuntur. Quos inter amicus noster Lazarus, puta, *Dn. Philippus Iacobus Spenerus*, jam theologiæ Doctor, specimen haud contemnendum in suo *Mahumedismo, & Angelis Euphratæis* edidit, quem pro juribus & privilegiis supremi in Theologia gradus legitimè obtinendis, sub Præsidio de Ecclesia meritissimi D. Dannhaweri, Argentorati, defendit. Paria præstare conabitur noster M. Krafftius die XXXI. Aug. horâ & loco his Orationibus propriè dicatis. Accurrite, congregamini, quotquot afficimini à contritione Josephi hoc timendo, imò tremendo tempore: Audite saltem Juvenem, quibus fortasse molestum est audire Senem ulcus prementem. Ausimus promittere, non caritur am esse suo fructu Orationem de tam excellenti materia institutam. Valete. Scribeb. sub Sigillo Facultatis nostræ, die 27. Aug. Anno M.DC.LXIV.

TYPIS KERNERIANIS.

RECTOR
UNIVERSITATIS SCHOLASTICÆ STUDII TUBINGENSIS,
L. S.

Nuptam novam Græci, *Pausania* teste, cum in sponsi domicilium ***curru*** nuptiali ***advexissent***, *axem* pro foribus *incendebant*; eò & mansuram illic perpetuò, uni scilicet conjunctioni addictam, significantes: simulque curam matrisfamilias novæ principem, domi ac domesticæ rei custodiam, sedulò commendantes. Est ea instituti divinitus matrimonii, pro sublevandis mortalium rebus, felix conditio, ut, intra unius societatem laris, devinctæ indissolubili fædere, conjugum mentes adjutorium, & respirationem mutuam, à laboribus & doloribus seculi gravissimis, inveniant. Cui rei plurimùm solertes inprimis maritæ conferunt, si, foris insudante publicis pariter, ac privatis, utilitatibus marito, ipsæ *testudines* domi sint alteræ, quæ acquisita per maritum in tuto collocent; huic infucatò amore, cultu, & obsequiis difficultatem muneris, quod gestat, emitigent; tum verò, fori ac viciniæ, ultra quod rectum est, haud curiosæ, penatibus se suis totas quasi commancipent; liberos ac familiam decenter accurent; inque justo ac laudabili vigore, vel harmonia quadam jucunda, rem familiarem omnem, quantum in ipsis est, moderamine fido & tranquillo conservent. Felicitatis tantæ præconem insignem *vates* præcipuè *Venusinus* agit, quando, *Felices*, inquit, *ter & amplius,*

Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulsos querimoniis
Supremâ citiùs solvet amor die.

Virtuti autem, quam in gubernatrice ac custode domus fœmina deprædicabamus, illustriùs quasi picturandæ, Romani suam publice in templo *Cajam Cæciliam*, statuâ effictam ejusmodi, dedicabant, quæ *sandaliis ac fuso* conspicua esset; quorum altero nimirum pedem honestæ cujuscunque matronæ à divagationibus immodicis retrahebant: altero autem animum, curamque ejus omnem, oeconomiæ potissimùm, ac dispensationi domesticæ astringebant. Sed non ita tamen Græci illi nuptas ac maritas suas, combusto, quo vehebantur, curriculo, virorum includere aut volebant, aut valebant, laribus, quin ferrugineo *mortis essedo*, quandocunque luberet, aliquà eò accessus pateret, quô à thalami deliciis ad squalorem tumuli, deque curis domesticis ad sepulchralem quietem, seriùs ocyùs devocarentur, fusosque industrios Parcæ tandem præciderent. Nimirum & huc, ubi suavissimæ cohabitationis nexu dulciter agunt conjuges pii, ut Propheta habet sacer, *per fenestras mors ascendit*; & hinc charissimam aliquam, sedulamque mariti consortem, seu, ut Umber Elegiacus modulatur,

quæcunque viri fæmina limen amat,

medio nonnunquam è complexu rapit, repetitque. Experiri id ipsum *nudius quintus*, non sine ingentis acerbitate cordolii, fatis ita exigentibus, etiam *Nobilissimus, Consultissimus & Amplissimus* DN. JOHANNES ULRICUS RüMELIN, *JC.tus Celeberrimus, Serenissimo* WIRTEMBERGIÆ PRINCIPI *à Consiliis, & Assessor Aulici Judicii*

... PRINCIPI *a Consiliis, & Assessor Aulici Judicii Gravissimus, Fautor & Amicus noster plurimùm honorandus*, necessum habuit, cum & sui sociam tori, præstitemque laris, ipsam *supra annorum semicenturiam*, numeris omnibus optatissimè, & pacatissimè culti, *rhedâ* illâ *ferali* avehendam, letoque demergendam concessit. *Matrona* ea est *Nobilis*, *atque luculento omnium sui sexus ornamentorum corusca choragio*, DOMINA MARGARETA, *nuptu*, ut innuebamus, RüMELINIA; *natu* autem, ut dicetur porrò, HEERBRANDINA. Cui dum justa hodie *Senex inclytus*, *Viduus* meritissimò undiquaque *devenerandus*, funebria exsolvit; æquum est verò, eam, velut alteram è Christianarum cœtu *Caciliam*, *famæ* candicantis undique circumlatam *quadrigis*, minimè indictam pati; quin potiùs æmulandam omnibus, quà per Scripti angustiam publici licet, quasi *in statua* quadam consecrare ac proponere. Et prima quidem virtutum seminia ex ipsis illico prælaudati nominis Parentibus hausit, quando A. M. D. XXCIV. die XV. Decemb. *Patre* nimirum *Nobili & Spectatissimo*, DN. PAULO HEERBRANDO, *Consiliario* PRINCIPIS, *Eidemque à rationibus redituum Provincialium*, *inclyti* illius JACOBI HEERBRANDI, *Ecclesiæ nostratis Præpositi, & Cancellarii Academici*, *filio*; *Matre* autem MARIA SALOME, *Commendabili præprimis Fœmina*, DN. LEONHARDI Braitschwerdts/ *Præfecti Mercklingensis*, filiâ, hanc in lucem fuit prognata. Quæ semina tantò uberioribus undique incrementis suppullularunt, perque adolescentium deinde, quæ quidem cadere in virginem possunt, florem decorum exsurrexerunt, quantò fœcundata & rigata non *parentum* minùs *educatione* sedulâ, quàm ipsius *divini Spiritus*, per sacram Regenerationem adepti, *operâ* interiori & impulsu fuerunt efficaciùs. Itaque messem virtutum earundem amplam ipsis pòst *Mariti*, quem diximus, ædibus, ex quo copulata eidem publicâ nuptiarum solennitate, Anno 1612. 23. Jun. fuit, intulit; quarum se quoque virtutum splendor per omnem, quæ subsecuta deinde est, vitæ ac dierum cursum, quà intra larem privatum, quà extra eundem, ut fas est, publicoque in convictu, notis evidentibus exeruit. Quem enim latet prima illa sinceræ probitatis, ac felicitatis veræ scaturigo, casta atque inconcussa per omnem temporum, animique tumultum *religio*, cùm in timore genuino Numinis, tum in amore ejusdem, ac rogationibus sanctè servandis, consistens? Cujus religionis dum facere novissimo vitæ tempore, propter capitis vertiginem, aliasque corporis infirmitates, indicia, societate publicorum congressuum prohiberetur: vota eò sua, ac desideria piè direxit, non minùs interea ædem sibi sacram meditata ac molita domi, quam verbi divini lectione, devotis precum exercitiis, & *Sacræ Synaxeos* subinde repetito usu celebraret. Quis porro, gemmam elogii omnis fœminei, *pudicitiam*; quis testatam undique, sive verbis, sive vestitu, sive moribus cunctis, decoram animi submissionem, ac *modestiam*; quis *pacificum* in omnes *studium*, sacras item *eleemosynas*, atque *officiorum*, undeunde liceret, matronalium *promtitudinem* ignoret? Jam si illam, quam supra dilaudabamus Græcorum instituto, matrisfam. *in re familiari* tuenda solertiam; illam *in maritum* reverentiam, amorem, fidem; *in liberos* monita, sedulitatem, exempla; *in famulitio* regendo circumspectionem; illam, nimis haud raro isti sexui familiaris, *curiositatis* peregrinæ, ac *πολυπραγμοσύνης fugam* egregiam, atque odium consideremus: dignam scilicet iis, quas nacta est benedictione divina, populique omnis suffragio, laudibus pariter, ac terrenæ felicitatis præmiis deputari à nobis eam necessum est. Etenim, ut vitæ, quæ plerumque pios comitari solet, diuturnitatem prætereamus: nec illud vili putandum est, quod VIRO, honoribus haud vulgariter insignito, tam diu juncta vixit: & in non exigua prosperorum successuum parte matrimonii fœcunditatem ponere potuit, quà ipsos *novem liberos*, 6. nempe filios, & filias 3. enixa fuit. Quo de numero utcunque *duos* tantum superstites sibi *filios* relinquit, avia tamen felix, ne honores *Eorundem*, hinc *Rationibus* inter nos *Bebenhusanis*, inde *Consiliis* SERENISSIMI, *Cameræque Directione* præclaros, commemoremus, decessit. Restabat, ut, non *Eliæ* quidem in modum, curru igneo, sed *Simeonis* ad exemplum, placidâ hinc dimissione evocaretur. Factum id circa ipsum meridiem, die Mercurii proximè elapso; postquam sexto ante die hemiplexiam subitam subiisset. quæ quamvis stuporem dextro inprimis lateri, linguæque ipsi attulit, rationis tamen eam jacturam passa minime est, quin nutu subinde capitis probè instructam se ad beatam hinc emigrationem percontantibus, proque ipsa orantibus, significaret. Corporis nunc ut deductionem funebrem (hæc enim eidem, animâ alibi optimè habente, inter nos superest) ut *hora 1. pom.* frequentes hoc die comitemini, CIVES, cùm honor *Præstanti Familiæ* debitus poscit; tum moneri *Vos*, utcunque ultrò jam proclives, hoc ex loco addecuit. P. P. Dom. III. Adventus, ANNI M. DC. LXII.

ILLUSTRIS COLLEGII
EPHORUS

Optime cessuram Lectoribus singulis Salutem præfatur.

COmplacuit fatorum humanorum arbitro, ut nova ordini nostro, priusquam annus iste terminum suum attingeret, commiserationis necessitas imponeretur, non illa tantum, quam omnes communi mortalitati, quæ universos manet, humanitatis instinctu debemus, sed illa insuper, ad quam propior quidam nexus, & vicinitatis, & meritorum, quæ ILLUSTRE hoc COLLEGIUM pridem accepisse nondum dememinit, cives illius & incolas, si ingratitudinem fugimus, singulatim obstringit. Amisit enim dulcissimam fidissimamque vitæ conjugalis sociam semisecularis & ultra maritus, nunc autem in summo & exempli rarissimi senio, quod auxiliatricia matrimonii solatia diutius desiderasset, plenissimus infucata mœstitia viduus, non sine doloris contesseratione, nobis memorandus. *Nobilissimus* nempe *Excellentissimus Amplissimusq; Vir, Dominus* JOHANNES ULRICUS RüMELINUS, U. J. *Doctor, longe lateq; Celeberrimus, olim Athenæi hujus* florentissimi, plurimos per annos *Professor* meritissimus, postea vero, cum Musæ nostræ, mutabili temporum fortuna, silentii legem subiissent, inter Academicos Professores adscitus, quem honorem etiamnum, veniâ licet à didacticis laboribus impetrata, utpote *Facultatis* Juridicæ *Senior & Antecessor* dignissimus, pereximie tuetur. Nec simplici hoc honore gaudet, ut qui priorem dignitatem non modo cum Supremi, quod *Serenissimus Princeps noster* istic habet, *Dicasterij Aulici*, cujus ille gravissimus *Assessor* est & *Consiliarius*, ardua functione hactenus conjungit, sed *ad* Inclytam quoque & Amplissimam *Ordinum Patriæ Ducatus congregationem*, quæ *ab intimis* eum *Consiliis* sibi dudum selegit, maximorum gloriam meritorum extendit. His ille laudatissimis moliminibus dum laboriose intentus vivit, dum venerandam canitiem suam, quæ alios in Emeritorum classem maturius redigere solet, publico egregio constanter impendit, dum, pleno & indefatigato gressu, ad parandam nominis immortalitatem grassatur, en illius oculis, quod in primordio significavim⁹, *Nobilissimi & Emendatissimi matronalium virtutum fulgoris Fœmina, Domina* MARGARETA, *viginti & octo annis* HEERBRANDIA, & quinquagenis nunc RuMELIA, uxor ejus, nullo non amoris & fidei elogio dignissima, lugubre mortalitatis spectaculum ingerit, ac nobis quoque repræsentat! Supervacuum autem plane videtur, in tam angusto paginæ unius spatio, vel lectissimæ Matronæ laudes, quas meruit habebitque apud posteritatem singulares, vel majorum illius encomia, Avo inprimis, *Dno.* JACOBO HEERBRANDO, *Doctori Theologo*, supra vulgarem titulorum pompam posito, & quondam *Tubingensis Academiæ Cancellario* longe Eminentissimo, cumulatim debita, superficierenus percurrendo coarctare, atque sic quodammodo diminuere. Apud quos enim *Viri Nobilis & Amplissimi, Dni.* PAULI HEERBRANDI, *Consiliarij & Quæsturæ Provincialis Præfecti*, de Serenissima domo Wirtembergica, cum majoribus æque ac posteris suis, per civiles & Ecclesiasticas functiones, optime meriti, quem illa genitorem habuit sibi charissimum, benedicta recordatio, ut & *Fœminæ Marito suo per omnia virtutum*, quarum sexus capax erat, *specimina comparis, Dnæ.* MARIÆ SALOMES, ex stirpe BREITSCHWERTIORUM, omnibus hodieque percelebri & Nobilissima, feliciter progenitæ, à qua maternum sanguinem & lac, prioris sæculi anno LXXXIV. Stutgardiæ, hoc ipso, qui annum claudit, Mense Decembri medio, non degener Filia hauserat, beata multiplici nomine memoria superstes est, haut difficulter colligent, quanta solicitudine & industria, tum pietatem, tum continentiam, nec minus reliqua rei oeconomicæ decora, Parentes Optimi Filiæ suæ præscripserint ac instillarint; quanto illa obsequio vestigia præeuntium presserit, & hanc, ad quam, ex prima sanctissimi Legislatoris benedictione, illius præcepto annexa, se posse adspirare noverat, longævitatem mereri, studiosissime allaboraverit. Neque deinceps à semel placitis, & in adsuetudinem versis, creberrimarum virtutum exercitiis unquam recessit: unde postmodum, etiam in hoc priscos Germanos, quibus sera Venus fuit, laudabiliter imitata, maturam ad nubilitatem progressa, castos illius, qui nunc se viduatum stillantibus lacrimis deplorat, amores una hac via, quemadmodum olim provocavit, ita constantissimos, ab anno M. DC. XII., qui item XII. Mensis Junii die, utrique nuptialis erat, intemeratosque ad ultima suspiria possedit. Qui vero aliter potuit vita illorum, in tanta probissimorum & immaculatorum similitudine morum, quam suavissime invicem conspirare? Hac re certe factum est, ut in mutuam redire gratiam, nempe *idem velle & nolle* semper adsueti, tot vinculis Suavitatum juncti conjuges, nunquam habuerint necesse. At vero non tranquillum modo fuit illorum matrimonium, sed non minus etiam fœcundum, liberorum scilicet masculini & fœminini generis complurium, illic ad senarium, hic ad ternarium numerum provectorum, benedicto cœlitus proventu ditatum. Ex illo sexu quatuor, ex isto omnes, ut tristia lætis intermisce-

plurimum, illic ad senarium, hic ad ternarium numerum provectorum, benedicto cœlitus proventu ditatum. Ex illo sexu quatuor, ex isto omnes, ut tristia lætis intermisce-
rentur, ad cœlestia gaudia viderunt præeuntes, sic tamen, ut ex duobus, qui superstites sunt, Filiis, ad honoratissima publicarum functionum ministeria, ex felici spe me-
ritorum, quæ indies augentur, pridem evectis, longe plures, eosque suavissimos, nepotes ac neptes reciperent. Tales n. ab utriusq; natorum lumbis prodiisse spectarunt,
& ab illius, qui inter præcipuos *Serenissimi, Clementissimiq; Principis nostri*, Consiliarios, in Suprema ejus Curia, redituum civilium optime meritus est Director, & istius,
qui Ecclesiasticorum, Bebenhusani Cœnobii nomine, quotannis heic colligendorum, redituum summa cum solertia agit Curatorem: in quorum encomia, cunctis ob-
via, fusius expatiari, non est præsentis instituti. Hac enim præcipue de causa, dum memoriam pie defunctæ colimus, paucula ista huc sunt inserta, ut intelligant ultro
omnes, quotquot tenerrimos materni avitiq; pectoris affectus interpretari norunt, & ex multiplici hac fœcunditate, & ex summa filiorum dignitate, senio tandem ingra-
vescente, haud exigua Matronæ pientissimæ suggesta esse gaudia, quibus immissas cœlitus adversitates, vix unquam separabiles piorum comites, post genuinam divini
verbi, quod semper hic primas tenet, consolatricem & erectricem vim, potenter sibi sensit, sive mitigari, sive temperari. Anni enim fluxerunt jam aliquot, quibus illa,
præter suetam *senectuti, quæ ipsa haud raro morbus est*, valetudinis imbecillitatem, oculorum aliquali caligine (jam olim Patriarchis solenni) subinde fuit affecta, atque sic
novissima meditari, quod assidue fecit, supernitus admonita. Quanquam enim per illius temporis decursum, capitis vertigine cumprimis accedente, nec in publicum
prodire, nec templum, amatissimam sibi alias tota vita sedem, amplius frequentare solita fuerit, inter summas tamen & prope unicas delicias, attentam sacrarum litera-
rum ac meditationum auscultationem, usque & usque numeravit, & easdem illinc avidissime hausit, sacrosanctis identidem epulis, domestico in sacello, post renova-
tam, qua purissimi etiam mortalium indigent, vitæ peccatricis pœnitudinem, fidenter ac suaviter satiata. Meretur autem inter exempla, imitatione commemorationeq;
dignissima, haud segniter referri, summa solitudinis hujus & afflictæ valetudinis patientia, quæ tam divite supernitus gratia coronabatur, ut illa, cum mundi crebrius ce-
spitantis vanitas raro aspectum ejus turbaret, potissimam temporis partem, à conversatione dilectissimi mariti, à beneficentia pauperum, ab oeconomicæ rei, quousque
vires erant, cura ac sollicitudine vacuam, assiduo pietatis exercitio consecrans, velut quendam cœlestis lætitiæ prægustum in his terris sentiret, & gratissimo animo agno-
sceret ac deprædicaret. Sic illa occultorum DEI beneficiorum æquissima fuit æstimatrix, & quicquid luminis externo visui decesserat, id omne, multiplicato cum fœ-
nore lucis supernæ, sibi animæq; suæ compensari, inter nubilas & alternantes oculorum tenebras, luculentissime deprehendit; adeo ut condolescentibus, in hunc sen-
sum, Christiana magnanimitate, potuerit respondere:

Sint hebetes oculi; repletam lumine mentem
Obtenebrare meam nulla caligo potest.

Ob hoc ipsum quoque, ne quidem in appropinquante mortis caligine, fieri potuit, ut perspicacissimus fidei oculus, quo cœlum beata MARGARETA nostra sibi aper-
tum vidit, vel minimum obumbraretur, suosve obtutus, à mundi Servatore & Sospitatore, aliorsum diverteret. Nam cum his, quæ breviter innuimus, studiis sacris & oe-
conomicis alternatim invigilat, dum noctes diesque, rebus omnibus, velut itineri accincta, eo compositis & ordinatis, ultimæ horulæ adventum expectat, ipso hoc Ser-
vatorii adventus, explicari publice soliti, tempore, fores vitæ & mortis pultantem gratiosum liberatorem, JESUM, ex proviso potius, quam improviso persentiscit. Quin-
to enim hujus Mensis die, cum prandium modice sumsisset, cum Domino gratias pro corporis & animæ pastu egisset, suppellectilia mensæ jam in ordinem redactura, pe-
netrantem apoplexiam, membris in dextro latere mox rigentibus, & lingua loquendi officium dediscente, subito experitur. Quinquiduum postea in illo morbi statu ver-
sata, cum propter senilem languorem medicaminibus, intenta *Mariti optimi* cura & anxia sollicitudine, quæ multum illi, per paucos hosce dies, vigoris detraxit, ubertim
procuratis, ad recuperandam priorem valetudinem parum proficeretur, interim vero signa perseverantissimæ fidei ac pietatis, nutu nisuque manifesta, ad extremum us-
que halitum, à seminece *Matrona* subinde iterarentur, quarto tandem abhinc die, inter preces astantium, lacrymis permixtas, & lenibus agonisantis gemitibus tempe-
ratas, finem vivendi fecit; imo fecit moriendi, vere autem vivendi primordium exorsa. Unum superest officium, quod *Optimæ Uxori*, de se singulari exemplo meritæ,
viduus mæstissimus præstare cogitat, ut defunctum corpus, in GEORGIANO, quod prope sacras ædes stratum est, Cæmiterio honorifice contumuletur, & in terrenæ matris
gremium, die natalem, quo nativo matris gremio, LXXVIII. abhinc retro annis, egressa est, proxime antecedenti, Christiano more reponatur. Addamus & nos pietatis
exequiale officium, cui provocando apud cives nostros, hanc invitationem publicamus, virumque inclutum, olim de COLLEGIO ILLUSTRI strenue meritum, & usque
huc, post ejus restaurationem, in solennibus actibus, quos celebrabamus, frequentandis fere principem, reciproca gratitudine, quæ viduitati ejus & orbitati filiorum so-
latio erit, demereri studeamus. Invitat præter ista, quæ nemini bono non satisfacient, ædium RÜMELIANARUM, unde funus efferetur, ortiva & proxima vicinia, ut non
aliter possimus, quam cum adeo propinquis, jam flentibus, Apostolo (Rom. XII.) ita jubente, si flere parum virile videtur, ex animo tamen condolescere. Peragentur au-
tem exequiæ, ad primam à meridiana horam, hodierno die, quo patentes has literas affigimus, & Illustris Collegii Sigillo reddimus munitiores. Tubingæ, tertia Adven-
tus Dominica, XIV. Decembris, Anno fœcundatæ virginitatis, orbisque per natum inde Filium redemti, M. DC. LXII: cujus faustum finem lectori apprecamur.

RECTOR
UNIVERSITATIS TUBINGENSIS

Lectori suo Salutem.

PRÆCLARUM est, vitæ hunc mimum, laudabiliter transactæ, clausulâ consimili componere. Scenæ, cui fatali hîc lege deservimus, exordium nativitas est; progressus, vita omnis; mors, exitus. Non beatum rectè dixerimus, cui, *sub finem fabulæ, imperare* spectantibus *plausum* cum Augusto licet? Licet autem animo ad mortem infracto, invictoque tendenti. Calanus, Indorum Sophista, quàm in hanc intrepidus vitâ omni fuisset, ut morte ipsâ contestaretur: conscensâ in Babylonis suburbio pyrâ odoratâ, postquam Alexandro, & Macedonibus, vitæque universæ valedixisset, mediâ strue lignorum jam ardentium stetit immotus, victoriæ signum coronam gestans, quam illustriorem Solis, à Calano adorati, fulgor reddidit: nec ante, quàm expiraret, collapsus est, stupente Magno isto Macedone, fassoque, *potentiores* à Calano, quàm à se, *hostes debellatos esse*; quorum nomine *Laborem* inprimis, *& Mortem* intellexit. Zeno autem Citticus, Suida referente, cum, exiens è schola, impegisset forte, digito pedis vulnerato, ad plures vocari se ratus, terram manu pulsavit, plausitque, hac voce adjecta: *Venio, quid vocas me?* Hoc Barbari, hoc sapientiæ profanæ commerciis nobilitati viri fecerint: nec moriendi promtitudine nos dies nostros, eorumque coronidem, mortem Christiani ornemus? nec cum Ambrosio, ut semper, ita sub instans quoque discessus è vita ultimi punctum, *neutiquam formidare nos mortem*, profiteamur, *gnari* scilicet, *bonum esse in cælo nobis Dominum?* Ita sane, quoad vixit, atque per vitæ quoque metam novissimam Vir Amplissimæ Dignationis, præcipuisque mortalitatis elogiis perquam eximiè Clarus, DN. JOHANN-JACOBUS HAINLINUS, Cœnobl, quod Bebenhusæ est, Abbas meritissimus, egit, illa ipsa D. Ambrosii verba, morti inprimis jam vicinior, subinde repetendo sua faciens; *minimè* scilicet *timere se mortem, quod bonum in cœlis haberet Dominum.* Arguit tam laudatus è theatro hoc vitæ decessus vitam cæteram omnem persona, plausuque dignissimam. Quam non nisi talem quoque per omne curriculum excutientes sumus deprehensuri. Et vero strinxisse hîc eam, cum plenior aliunde speranda sit expositio, in gratiam inprimis VIRI tanti, debitamque memoriam, è re omnino nostra erit. Natus ergo Anno 1588. mystico, interque duos Sabbathicos medio, die S. Thomæ, Parentes obscuri neutiquam nominis aut famæ, habuit; Patrem scilicet, JACOBUM HAINLINUM, Pastorem & Superattendentem Calvensem: Matrem vero ANNAM, BARTHOLOMÆI SCHÆFERI, Pastoris Cellæ Petrinæ, p. m. superstitem tum viduam. Quæ cum liberos è priori matrimonio tres alteri marito attulisset, duos nempe cum filia una filios: non vitricum is, sed verè parentem liberalissimâ eorundem educatione egit; quâ id effectum denique, ut alter quidem filiorum, junior nempè, MICHAEL, SS. Theologiæ Professorum inter nos Ordini primò cooptatus, ad conciones deinde aulicas Stutgardiam evocaretur; alter autem ZACHARIAS Eloquentiæ ac Historiarum, in hac eadem Academia Patria, cathedram maxima sua cum laude per

annos aliquammultos ornaret. Translatus è Schola Stutgardiana, ubi & Collegio ... ut primam eruditæ solertiæ Laurum Anno 1606. & Bebenhusæ, ita ad ungvem quasi, ac amussim fidelium Præceptorum fuit formatus, ut primam eruditæ solertiæ Laurum Anno 1606. mereretur, quo anno & Patris charissimi morte jacturam fecit. Tubingæ pòst hîc inter nos Ducalis Stipendii consortio Theologico insertus, alterâ, eâque suprema artium Laureâ anno 1609. vidit se honestari. Quo in consortio eam, præter cæteros Commilitones, & diligentiam in studiis, & in moribus decus comprobavit, ut, post præstitas egregiè in Ecclesia Monasterii Regiofontani ac Kürnbacensi operas ad aram vicarias, repetendi pro more, exigendique lectiones à Juventute Alumnali Astronomicas, spartâ honorificâ dignaretur. Inde functionibus se in vinea Domini publicis commendaturus, prima Diaconatu Ecclesiæ Bietighaimensis auspicia anno 1613. fecit, ubi & tori sociam Lectissimam Virginem, *REGINAM*, JOHANN-WENDELINI BRENTII, Procuratoris Eberdingensis filiam, sibi junxit, complurium liberorum matrem, sed quos paterno funeri omnes fati præcocitas præripuit; duobus exceptis, qui verbi divini ministeriis in patrio Ducatu sunt consecrati. Has functiones deinde Ecclesiasticas, quasi per gradus, Oberriexingæ, Herenbergæ, Beblingæ, &, hac direpta, fugatisque incolis, Derendingæ tandem summa undique cum laude continuavit, sævi militis injurias, armaque truculenta, & ipsa vitæ pericula, si quisquam, prout fuit ea acerbissima temporum conditio, expertus. Quæ & Derendingâ pòst emotum, confugere huc ad nos, tanquam ad majoris aliquod securitatis asylum, compulerunt. Ubi, occasione sic datâ, Mathemata per integrum biennium docuit publicè. Amissâ interea Conjuge primâ, repetere matrimonium cum Honestissima Fœmina *ELISABETHA*, JCti TIMOTHEI VOLTZII vidua, fuerat coactus; ex qua filiam, sed paulo pòst denatam, genuit. Tandem, cum & CELSISSIMO JUVENTUTIS PRINCIPI, JOHANNI FRIDERICO, &c. GLORIOSÆ recordationis, studiis in Illustri Collegio moderandis præfuisset; cum quo honore & eminentiam Abbatiæ Adelbergensis junxerat: ultimum quasi fastigium dignitatis, ad Abbatiam Bebenhusanam evectus, conscendit; quam in annum usque sextum, pro senii jam ingravescentis viribus, dignè satis sustinuit. At non hoc tantum, suo jam Capite, Patreque orbatum, Monasterium, sed ipsa Provincia hæc, insigne sane, in VIRO integerrimo, dexterrimoque, & omnibus facile encomiis pari, ornamentum se amisisse, nunc demum sentit; in quo cum eruditione virtus, cum pietate modestia, cum candore, recti, & æqui studium, cum prudentia solers in omnes partes cura, ac solicitudo, egregium pro salute publica, idque assiduum, certamen subierunt. Quam non vulgaris illa in lingvis, in Theologia, in artibus cæteris, Mathesi inprimis, scientia VIRI fuerit, ingenii, quæ lucem publicam viderunt, monumenta testantur. Nec vero animi quoque, inter tot fortunæ asperioris insultus, cladesq; inprimis bellicas, erecti semper, semperq; constantis, celsitudinem; non consiliorum in Synodis ac conventibus Provincialibus dexteritatem; non pacis ac concordiæ ubivis servandæ amorem flagrantissimum; non fidem denique germanam, & illam inprimis in religione sincera perseverantiam, tam disertè, totiesque, etiam sub agonem novissimum, testatam, dememinisse nos facilè, testis anteactæ vitæ, fama superstes patitur. Immortuum jam boni studio, cœlique desideriis, non commemoratione saltem pia ac laudabili prosequi nostrum est: sed &, cum in proximè hinc sito Cœnobio, hoc adeo die, post meridiem solennes ei exequiæ parentur, Vos, Academiæ Professores, Civesque, & literis addicta melioribus Juventus, Vos, inquam, ne pœniteat, pro cohonestando funere, tantillum iter ingredi: &, qua licet nomen Abbatis Beati ab oblivione, famam à vilipendio, nobiscum vindicare. P. P. sub sig. Univ. d. VII. Sept. A. M. DC. LX.

TUBINGÆ, Typis THEODORICI WERLINI.

RECTOR
UNIVERSITATIS SCHOLASTICÆ STUDII TUBINGENS.

L. S.

DIVINUS Plato, teste Stobæo, ἀξιομνημόνευτα hæc reliquit verba: Ὅταν βούληται Θεὸς εὖ πρᾶξαι πόλιν, ἄνδρας ἀγαθοὺς ἐνεποίησεν: ὅταν δὲ μέλλῃ κακῶς πρᾶξαι τὴν πόλιν, ἐξῆλε τοὺς ἄνδρας ἀγαθούς. Quæ quidem sententia tantò majus veritatis pondus obtinere credenda est, quantò certius constat Prophetico illam calculo approbatam esse. Sic enim Esaias comminabundus intonat: Ecce, Dominus exercituum auferet de Jerusalem & Juda omne id quod sustentat & roborat. Fortem & virum bellicosum, Judicem & Prophetam, sapientem & senem. Quâ de re, licet alii aliter forte opinentur, fortuitis ista, ut in aleæ jactu, accensentes, nobis tamen, quibus non convenit tàm frigidè esse affectis, persuademus, præstantes ac pulchrè meritos viros non casu cœco, sed omine infausta plærunque portendenti orbi subtrahi. Solet enim DEUS hos Antistites largiri suis, ut dum vivunt, precibus clades imminentes averruncent, vel certè sustineant trantisper, donec placidê obeant. Hinc quamdiu in Ægypti vixit regno Pro-Rex ejus JOSEPHUS, tamdiu incolarum per bulimiam desolatio præcavebatur, meritò inde Patris Patriæ encomio decoratus, quem propterea ad plures abeuntem justissimè lamentis & funebri pompa prosecuti sunt fratres & immixti eis Aulici Ægyptii. Habuimus & nos JOSEPHUM, quem nudius tertius, proh dolor! amisimus, nempè JOSEPHUM DEMMELERUM, S. S. Theologiæ Doctorem & Professorem eximium, Ecclesiæ Pastorem eloquii gravitate juxta & exempli planè memorabilem, Dn. nostrum Collegam honoratissimum, cujus nunc vitam strictim percurrere dura nobis imponit necessitas. Natus autem est in Thermis Ferinis ex prosapia DEMMELERORUM sat celebri Anno 1603. patre Præfecto ibid. filio cognomine, matre verò MAGDALENA FRIULA, pari conjugum laudatissimo. Hujus nostri JOSEPHI, factâ cum JACOBINO collatione, parallelismus non planè absurdus constabit. Ille namque togâ suâ variegatâ parentalis amoris singulare ostendit symbolum: Noster à teneris protinus unguiculis, dum tyro Scholæ Calven-[...] ingenii indolis emicare fecit radios; inde non solùm liberali educatione ad virtutum artiumque adyta in Gym-

nasiis Monasticis gratuitâ Serenis. Würtemberg. PRINC. alimoniâ sustentatus, sibi patefecit iter, sed & fructibus impensæ diligentiæ, primæ videlic. & secundæ laureæ, dehinc etiam Repetitionis in Illustr. Stipendio honoribus dotatus ditatusque fuit; progressus ab his ulterius ad DAGERSHEIMENSIS & FEWRBACENSIS parochiæ, BIETIGHEIMII Decanatus & TUBINGÆ nostræ tandem administrandas ornandasque provincias. JOSEPHI invidi fratres, ut succrescentis fortunæ fraternæ spem in prima herba suffocarent, hædi sanguine cruentatam togam Patri domum remisere, figmento discerpti à feris JOSEPHI canis miserrimi senis illudentes. Ipse interim squalori carceris, licet nil hujusmodi meritus, inclusus, infracta patientia & Heri credulitatem & Heræ malitiam vicit, & victam tandem triumphavit. Noster JOSEPHUS quæ non tùm corporis, tùm fortunæ incommoda pertulit in superiorum temporum bello, peste, fame? ut in hunc computum non veniant, quæ tertiò iteratum conjugium (calamitatum non minus ac prolis ferax,) officio combinatum attulit, ut ut chara nomina fuerint primæ Conjugis *ANNAE-MARGARETHAE CELLARIAE:* secundæ *SUSANNAE SCHROETLINIAE:* tertiæ, nunc denuò viduatæ, *MARIAE BIBERSTEINIAE.* Jacobinus JOSEPHUS clarior è tenebris ergastuli emergens fatidica somniorum interpretatione ab omnium arcanorum revelatore DEO donatus, demum ad Pro-Regis culmen ascendens, instar benigni alicujus Syderis & Ægypto omni & paternæ cumprimis familiæ fulsit. Somnium non breve sed continuatum veternum seculi moderni citra Propheticum lumen cernens noster JOSEPHUS, de futuris, utinam vanus augur! sinistra publicè passim privatimque ominatus est non semel, & post multa pericula rerum exantlata à Serenissimo nostro PRINCIPE proprio motu, Doctoratus mitram, doctarum frontium insigne rubricans, cum Dnn. suis Collegis imponi sibi vidit ante triennium. De cætero homo fuit noster JOSEPHUS, humani à se nihil alienum putans, resultanti inde fragilitati multiplici quoque subjectus, quæ valetudinem arietando subinde effecit, ut à publico abstinere cogeretur, licet quod ageret & dextrè ageret, haud interim deesset. Per annos jam aliquot, ut nostis, quotquot Ipsum noveratis, cachexia infestatus, & virium populatrice δυσπλαγχνία domi hæsit; metu tympanitidis superveniente quoque, quibus malis non alia, quam quæ è suggestu persuasum Audit. suis iverat, opponebat alexipharmaca, exosculans patris sui Cœlestis castigantem simul medicantemque manum. Ita in silentio & spe mortem inter & vitam alternans nudius tertius in paroxysmum αἱμοῤῥαγίας, cujus recursum lethalem fore judicabant sagaciores Medici, incidit sub noctis horam septimam, ubi egesto multo & puro & grumoso sanguine, inter domesticorum ac Dnn. Collegarum complexus & alloquia piissima, compos mentis, contestatâ breviter præsentibus & doctrinæ suæ & vitæ hactenus traductæ ratione, placidè in Salvatore suo expiravit. Intelligitis jam, opinor, qui amastis vivum, quid defuncto exhibere æquum sit, in Eius scilic. morte contemplari vestram, & loculum Ejus insequendo de simili circa vos scena olim adornanda cogitare seriò. Eo fine hodie hora pomeridiana secunda circiter, cum ferale de turri æs sonabit, ad ædes Parochiales frequentes convenite, exsequias Viro præclarè merito & merituro amplius si per valetudinem licuisset haud illubentes ituri, nec pœnitendam præsentis indictionis Exegesin à parentante in templo audituri. P. P. sub Rect. nostri sigillo Calend. Decembr. Anni ad ultimum senium vergentis M. DC. LIX.

10.

RECTOR

UNIVERSITATIS SCHOLASTICÆ STUDII TUBINGENSIS

Lectoribus Salutem.

ortis
Qui in *Tantali saxo*, ejus sic assiduè cervicibus imminente, ut omni momento casurum videatur, *mortis*
quandam *imaginem* exhibent, &, *principem Romani eloquii*, Tullium auctorem sequuntur; nec inele-
ganter id, quod volunt, exprimunt. . Equidem lapis iste pendulus si quâ de causâ primò in supplicii par-
tem garrulo seni decretus sit, ex Poetis quæras, nefas antegressum audies. Nec verò aliam originem *in-*
troducta in orbem terrarum mors, præter lapsum primigenium, novit. Hic innocentiam primævam,
quæq; in eâ consistebat, tantam vitæ pariter, atq; à tot malorum incursu immunitatis beatitudinem, unâ
velut internecione sustulit, ac delevit. Hæc vera illa, quam Poetæ fabulantur, *Pandora pyxis*, quæ immenso malorum
agmine mundum complevit; unde

nova febrium
Terris incubuit cohors,
Semotique prius tarda necessitas
Lethi corripuit gradum.

Jam, si perennem ruinæ metum ex alto imminens saxum Tantalo incussit, quæ hora, quæ morula ab impetu necessitatis ul-
timo tutos nos habet? Verè enim, *ut hamo pisces, & volucres laqueo circumveniuntur, sic homo*, verba ipso in pandectis divinis
præeunte sacro Spiritu, *diem suum nescit*. Hincq;, ut Damoclem *districtus, ac pendens super impia cervice ensis* inter dapes
Siculas, regiæq; apparatum magnificentiæ, frui solidâ quiete ac voluptate passus non est: sic cautos ac dignè solicitos omnes,
quotquot exire quidem de *Epicuri grege* piâ prudentiâ satagunt, latens ille casus, ictusve novissimus reddit; quibus ideo
hortantem Poetam oblivisci religio sit: *Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.*

Atque est re verâ hoc non exiguæ DEI ter Opt. ter Max. bonitati acceptum ferendum, quod *ultimam eapropter nobis horam*
voluit esse incognitam, ut semper posit esse suspecta; ut dum illam prævidere nempe non possumus, ad illam sine intermissione pro-
peremus. Nunquid autem juvat, eam omni in vita adhibuisse circumspectionem, ut *quovis tempore* expectemus, quod *quo-*
dam futurum scimus? Eò usque, ut, cum alii, improviso fatorum ictu obruti, jaceant æternùm, in erectionem nobis, ac
medelam, plaga novissima cedat, stemusque invicti adversus hostilitatem illam, & insidias, quæ non nisi coronæ nobis, ac
triumphi conferunt privilegium. Providæ istiùs pietatis præmio & fructu in solidum nunc quoque indubiè *Matrona No-*
bilis, atque insignioribus sui sexus ornamentis condecorata, DOMINA ANNA MAGDALENA BEYERIA, *Viri*
Nobilissimi, Ampl. atq; Excell. DN. JOACHIMI WIBELII, J.U.D. & *Antecessoris antehac nostra in Academia Fa-*
migeratissimi, Assessoris item in Dicasterio Wirtembergico, quod statis hîc vicibus celebratur, *Gravissimi*, secundùm superstes
vidua, fruitur, quam, fati repentini nuper incursu, ex hâc domo formidinis ad superæ securitatis mansiones beatas evectam
piè credimus. Neq; enim de parte hac pietatis principe vita omnis, inter argumenta timoris divini, cæterarumq; virtutum,
... dubitare nos quisquam sinit. Huc etenim, simul, à *Parentibus*

ex hoc tanquam fonte promanantium, præſigniter exacta, dubitare nos quicquam ſinit. Huc etenim, ſimul, à *Parentibus præclari nominis*, ANDREA BEYERO, *JC.^to Famigerabili, ac Prof. inter nos quondam Eximio, & Spectatiß. Matrona*, DN.^a AGNETE VOYTIANÆ *proſapia*, hîc Tubingæ, Anno ſeculi ſuperioris, IIC. d. Aug. XII. prognata, lucem ſubiiſſet, *petraq; ſalutis*, Chriſto per lavacrum regenerationis initiata, & quaſi inædificata eſſet, parentum cura omnis, & educandæ ſedulitas filiæ, tendebat; huc ipſa, nativo velut ductu, decentiſſimâ obſequiorum facilitate ferebatur; hoc omnis deinceps, cùm virgineorum, tum matronalium decorum exercendorum ſolertia & dexteritas, iſthoc & gratiarũ cœleſtium augmento, & commendationis inter homines omnigenæ ſuffragio, comprobavit, ut maturam jam toro, annisq; nubilem, Anno nimirum ſeculi currentis *primo & viceſimo, Vir Rev. & Clariſſ.* Dn. M. JOH. GEORGIUS CELLIUS, *Paſtor Feurbacenſis*, legitimam vitæ ſociam expeteret, ſuaviſſimiq; felicitate connubii in annum usq; XII. non ſine ſeptuplicii thalami fœcunditate, quo de numero ſuperſtitem *unicam* tantùm *Filiam, chori Fœminei ſingulare Ornamentum*, DN. ANNAM REGINAM, nuptam *Viro Nobiliß. atq; Ampliſſ.* DN. JOHANNI GRAVIO, *Anteceſſori Univerſitatis noſtræ Celeberrimo*, noſtis, gauderet. Neque pares non amores, ſortem non parem, alteri toro intulit, quem cum ſupra jam dicto, *inclytæ recordationis Viro*, DN. WIBELIO, Anno pòſt M. DC. XXXVII. auſpicata eſt, perq; annos 16. iisdem, fidei, amabilitatis, & induſtriæ matrimonialis experimentis, prole etiam geminâ, quanquam præmiſsâ jam cœlo, felix, coluit & exornavit. Quæ alia laudum fœminearum puncta, quà domi, quà foris, benigna, comis, continens; DEI, ſuorum, proximi obſervantiſſima, tulerit, noſtra non fuſiùs eloquitur pagina, famæ, atq; omnium ſatis elogiis deprædicata. Quo ſaltem vigilantiæ, ſpei, ac tolerantiæ religioſæ ſcuto ultimum illum fati, letiq; ictum exceperit tandem, explicatiùs paullò enarremus. Jam inde à *Feriis Chriſti Natalitiis* anno ſuperiori cum debilitari corpore, ac languere non mediocriter cœpiſſet, ut uſq; antehac, ſic ex eo inprimis tempore, & ab hoc velut ultimorum prodromo compellata, proſpicere accuratiùs horam decretoriam, ſibique de ea ſtuduit; ne non munita ſatis, atq; obfirmata *animarum* illâ *panoplia*, quam in ſacris literis, ipſe DEI Spiritus indigitat, inveniretur. Inter preces igitur devotas, aſſiduas; inter fiduciæ ac charitatis ſinceræ ſpecimina complura; inter tædia ſeculi, cœliq; vota, & diſponendæ domus curas congruas, non ſine iterato ſubinde *Sacræ Synaxeos* uſu pientiſſimo; quod & paucis ante noviſſimam migrationem diebus curârat; cum in momenta quaſi ſingula ad nutum, adventumq; *Sponſi è cœlo deſiderabilis*, miſta velut *Prudentum quinioni Virginum, oleoq; & lampade* examuſſim *inſtructa*, excubaret, nudius quintus ſub horam veſperi 6. apoplexiæ ſubitaneæ correpta impete, ſic ſternitur, ut pauxillo ſpatio, completo jam fere annorum 65. curriculo, per aſtantium precatus, divinique præconis ferventiſſimam προσφώνησιν, ad conſtantiſſima æternæ tranquillitatis gaudia promoveretur. Huic *Matronæ Laudatiſſ.* debitum, exequiale munus dum à Vobis, CIVES, hâc die ſolenniter exolvendum, depoſcimus, curioſè hîc nihil ſuperaddimus; quod ipſa Vos *Honoratiſſimæ Familiæ* merita, dignitasque ex ſtimulare ſatis poſſunt. P.P. Tubingæ. XX. Auguſt. M. DC. LXIII.

CIPPUS FUNERALIS,

PIIS MANIBUS

NOBILISSIMÆ, ET OMNIUM MATRONALIUM VIRTUTUM FULGORE COMMENDATISSIMÆ,

DN. ANNÆ MAGDALENÆ Wiblerin/ꝛc.

XVI. d. August. A. C. cIↄ. Iↄc. LXIII. denatæ,
& XX. ejusdem mensis die Christiano ritu
Tubingæ humatæ.

Sacratus
A
CONVICTORIBUS OSIANDERIANIS.

NOn scrupulosum est, non iter infrequens,
sed trita priscis orbita vatibus,
si fortè turbarit penates
tecta nigro Libitina peplo,

In cupreſſo ... funebri
orbata velent, triſtia præficæ
lamenta nec deſint, nec alti
luxuries operoſa buſti;
Sic noſtra ſciſſo Melpomene ſoror
amicta cultu, terribili crepat
clades boatu, dum petitam
dente videt truculentiore
Veſtram Coronam fœminei chori;
Hinc quotquot eſtis juſta rependite,
& næniam tu funde pullâ
antracinâ redimita Juno:

HOC. SUB. RECUMBIT. MARMORE. NOBILIS.
MATRONA. CANDOR. PRISCAQUE. VERITAS.
CASTÆ. SORORES. QUAM. FIDELES.
AD. TUMULUM. COMITES. SEQUUNTUR.
HUJUS. QUIESCANT. MEMBRA. RECONDITA.
FAUSTIQUE. MANES. MOLLITER. ET. SOLUM.
CIRCA. CORONENT. ALBA. MIXTA.
COERULEIS. VIOLIS. LIGUSTRA.

LITERIS KERNERIANIS.

DECANUS
ET COLLEGIUM FACULTATIS MEDICÆ IN ANTIQUA TUBINGENSI

Lecturis cum debiti honoris præfatione

S. P.

Multifarias omnium propè generum gentiumque coronas annales celebrant, quibus decus laudemque è re ferè qualibet parta designabant Antiqui; quas inter, si usus rem nobilitat, quercina f. civica reliquis si non anteferenda, certè æquiparanda venit. Celeberrima hæc apud Romanos erat, nec nisi illi, qui civem, unde nomen duxit, servasset, cedebat cum inscriptione: OB CIVES SERVATOS. Sistimus hîc *Artis servandorum hominum Candidatum, ut Parentum & Avorum gloria celebrem, ita propriis virtutibus & explorata eruditione multijuga* Nobilem & Præclarissimum Dominum ELIAM RUDOLPHUM CAMERARIUM, Tubingensem, crastinô, si DEUS volet, die in fano Honoris non tàm ob servatos, quàm servandos cives, ut quidem præclaræ ingenii minæ nos sperare jubent, non querna ex fronde corona, sed laureâ ipsâ Apollinari investiendum, & promerito elegantiorum virtutum & probatæ eruditionis testimonio publico, ritu & pompa solenni, condecorandum. Hic, ut vitam studiorumque curriculum brevi pro more tabella complectamur, feliciter in hoc vitæ proscenium inductus fuit VII. d. Maji, A. S. cIↄ.Iↄc. XLI. natus Viro Clarissimo & Experientissimo, Domino JOHANNE RUDOLPHO CAMERARIO, Medicæ Artis Candidato dignissimo, Pharmacopœo Tubingensi laudatissimo, ALEXANDRI & JOHANNIS RUDOLPHI CAMERARIORUM, Liberæ Imperialis, quæ Reitlingæ est, Reip. Æsculapiorum, ut rariori Artis olim suæ peritia verè magnorum, ita egregiis in publicum missis ingenii monumentis post funera famigeratissimorum, respectivè *nepote & filio optimo*; nec non omnium virtutum matronalium flore & colore condecoratissima, Domina AGNETE, Viri pariter olim Spectatissimi atque Integerrimi, Domini ELIÆ SCHÖNII, Pharmacopæi h. l. peritissimi filia, parente utroque per DEI gratiam hodienum superstite & applaudente. Cum certissimi in prima statim ætate egregiæ indolis igniculi in Candidato nostro se ostenderent, non sine causâ solliciti parentes de suavissimo hoc alumno suo maturè pietate & bonis literis imbuendo consilium ceperunt. Idoneis hinc, quamprimum per ætatem licuit, commissus præceptoribus, tàm fervidè Musarum sacris operatus est, tàm promptè, quæ docebantur, singula arripuit, tàm altè, tàmque fideliter animo infixit, ut nemini non præclaram de se spem excitarit, quin & omnium penè vota, nedum expectationem multis parasangis præverterit. Jactis feliciter in linguis usu nunc principibus, Latina & Græca, fundamentis, à Grammaticorum & Rhetorum subselliis vix undecennis in publicum & ad Philosophorum cathedram deductus fuit, ubi pari cum priori alacritate exercitiis Philosophicis variis animum occupavit; præprimis verò in Logicis, Physicis, Mathematicis curiosè versatus, disputatoriis non rarò exercitiis ingenium & industriam cum Auditorii applausu periclitatus est; nec reliquas Philosophiæ partes, quæ Medicum studium, cui quasi ex voto & paterna destinatione, non repugnante

... ex voto & paterna destinatione, non repugnante in-
ſtudio Naturæ igne, ſe à primis ſtudiorum initiis conſecrarat, aut juvare aut ornare poſſunt, neglexit. Sed nec defuit hujus induſtriæ & improbi in ſtudio Philoſophico laboris præmium: utramque enim Laurum, cum virtutum & ſolidioris eruditionis commendatione, Primam quidem, anno hujus ſeculi LV. alteram & Supremam anno LVIII. accepit. Hoc linguarum & Philoſophiæ apparatu & quaſi viatico inſtructus ad ſacram denique Medicinam ſibi ferè ab incunabulis deamatam plenis velis remiſque contendit, nihilq; & hîc prætermiſit, quod futurum aliquando promitteret aut juvaret ἰατρὸν πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων. Anatomicis & Botanicis aures oculosq; curioſos, Chymicis & Chirurgicis manus ſubinde laborioſas commodavit, auſcultando, legendo, ruminando, collegia frequentando omne induſtriæ punctum tulit; diſputando, reſpondendo, perorando ſingularis eloquii, feliciſſimi ingenii, excocti judicii & probatæ experientiæ documenta quam plurima edidit. Vocem altius tolleremus, ni vel ipſius Candidati noſtri ſumma nos cohiberet modeſtia; binis itaque ut omnia dicamus: ita ſe geſſit, ut in famam gentis ſuæ & exemplum aliorum ſuffecerit. His itaque rariorum virtutum & elegantioris doctrinæ donis ad ſummam usque ingenii commendationem exornatus, de debito denique virtutis & exantlatorum laborum præmio ſecum deliberavit, & quæ DEI gloriæ & proximi ſaluti conſecravit ſtudia, diutius ſecum conſeneſcere noluit, expoſitoque hoc apud Collegium noſtrum Medicum conſilio, nec Nos præviis ſolennibus & ſolitis experimentis publicis & privatis, virtuteque & eruditione Candidati noſtri intimiùs perſpectis, tàm felix ingenium, tantâ literarum & Medicæ præſertim Artis cognitione beatum encomio publico & debitis virtuti honoribus privare diutius voluimus, debuimus, iisq; ritu & pompa ſolenni conferendis dies craſtinus, qui & Nuptialibus novelli Doctoris gaudiis ſacer erit, XVII. Auguſt. dictus eſt. Ad quam Solennitatem præſentiâ condecorandam omnes ſive Literatos, ſive literarum Fautores, & quibus vacat & volupe eſt virtutis ornamentis adeſſe, favere, plaudere, ad hor. matutinam VII. eâ, quâ par eſt, ſubmiſſione, obſervantia, humanitate invitamus. P. Tubingæ ſub Sigillo Facultatis, XVI. Auguſt. M. DC. LXIII.

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICO,

Viro Nobiliſſimo, Conſultiſſimo, Excellentiſſimo,

DN. BURCKHARDO BARDILI, U. J. D.

& Profeſs. Celebratiſſimo.

CANCELLARIO DIGNISSIMO,

Plurimum Reverendo, Ampliſſimo, Excellentiſſimo,

DN. TOBIA WAGNERO, SS. Th. D.

& Prof. famigeratiſſimo, Eccleſiæ Tubing. Præpoſito vigilantiſſimo.

FACULTATIS DECANO

&

PROMOTORE,

GEORGIO BALTHASARE METZGERO, Med. Doctore & Profeſſore.

DECANUS
ET COLLEGIUM MEDICUM
IN ILLUSTRI ACADEMIA TUBINGENSI.
LECTURIS SALUTEM.

QUanquam Saluberrimæ & divinitùs inventæ Artis Medicæ, tanta sit Utilitas & inevitabilis Præstantia, ut nulla Vitæ humanæ Conditio eâ destituta benè constituta esse possit: Duo nihilò seciùs Genera hominum (si modò hominum titulo veniunt,) illam infestare & infamare annituntur. Primò se offerunt, & Dignitati Artis Medicæ opponunt illi, quorum animos tanta dementia cepit, ut non tantùm vili, & ne pili quidem illam faciant, contemptuique omninò habeant, verum etiam τὸ ὑγιαίνειν, tanquam fructum Medicinæ longè suavissimum, longè jucundissimum, longè utilissimum, ipsius Fortunæ favori, & valetudini postponere nulli dubitent, morborumque aculeos admittant potiùs, eosdemque tolerare, & cum Imperatore quodam clamores insulsos edere, quàm auxiliari Medicaminum subsidio liberari malint, omnimodamque Medicinæ vitam prorogandi potestatem, & efficaciam derogare ausint. Istiusmodi verò farinæ, seu potiùs furfuris & sulphuris homines, in Naturam, ut cum Philosophis philosophemur, Naturantem & Naturatam sunt impii, injurii, blasphemi. Deus namque omnis Bonitatis fons uberrimus, qui cum Naturâ nihil facit frustrà, non fortuitò herbas, plantas, radices, folia, caules, frutices, gemmas, & quæ fert omnia tellus, singulariter mirabili, & mirabiliter singulari florum, odorum, saporum, colorumque varietate è Terræ visceribus succrescere & progerminare jussit, tot tantisque viribus dotavit, sanitatemque largiri non immediatè, & ἀμέσως, sed mediatè, Medicaminum interventu, constituit. Qui ergò vult finem, Sanitatem videlicet, velit etiam, necesse est media Remedia, quæ ad finem consequendum respiciunt. Horum lateri se agglomerant Medicastri illi triviarij, sacrificuli perjuri, tonsores ineptuli, balneatores curiosi, impostores circumforanei, & unguentarij, mercatores obærati, vetulæ edentulæ, nutriculæ diobolares, carnifices & canicidæ bipedum nequissimi, qui Impietate suâ Medicinam nobilissimam, apud plerosque faciunt suspectam & despectam. Cum enim olim hujus pessimæ & turpissimæ Notæ homines in Rebus grassarentur publicis, Medicinamque ægrorum periculis facerent, & per illorum mortes, ut cum Plinio loquamur, experimenta agerent, illisque occidisse hominem summa impunitas esset, factum hinc, ut illius Seculi homines non solum PseudoMedicorum Inscitiam, & insignem Nequitiam, sed Artem Integerrimam, & omnibus modis Innocentissimam exosi, summè damnarent, & unà cum Impostoribus ab aris & focis expulsam in exilium quassarent. Cum verò homines denuò Prudentissimi, omnes tres Hierarchias Arte hâc longè præcellentissimâ non posse carere animadverterent, sapientissimo consilio unanimiter sanciverunt, ne impudenti cuivis Blatteroni, impio & blasphemo Tenebrioni, & cuicunque Gregario, qui vix Medicinæ rivulos in transcursu, ut canis è Nilo, degustasset, de miseræ plebeculæ corio ludere permitteretur impunè: sed iis duntaxat libertas, & licentia faciendi medicinam esset, qui fundamenta in Linguarum & Philosophiæ Studio ponentes, benè longam temporis usuram, lectione assiduâ, & diligenti Medicinæ, contrivissent, hujusque publica Specimina edidissent, & diligentiam suam in studijs, morum integritatem, & vitæ innocentiam, Viris Præcellentioribus, sufficienter approbassent. Quorum Albo quoque annumerandus est, omni Virtutum & Doctrinarum laude cumulatè præditus Vir-Juvenis, Dominus GEORGIUS CUNRADUS BARDILI, Tubingensis, Medicinæ Candidatus Clarissimus, meritissimus. Is à Præclarissimis & Honestissimis Parentibus & satus & optimè educatus, (Patrem enim habuit Virum Nobilem, & Excellentissimum, *DN. CAROLUM BARDILI*, Philosophiæ & Medicinæ Doctorem pereximium, Serenissimi Ducis nostri EBERHARDI, Archiatrum dexterrimum, & Professorem Medicum, in Perantiquâ & Illustri hâc Academiâ celeberrimum, Collegam nostrum desideratissimum, in Cœlitûm Consortium jam pridem receptum: Matrem verò habet superstitem, Matronam Laudatissimam, Honestissimam, *REGINAM*, Doctissimi Viri, Dn. Georgi Burckhardi, p. m. Professoris olim hîc Clarissimi, Senatoris Gravissimi, Filiam,) ortûs sui Splendorem Literarum ornamentis clariorem redditurus, nihil sibi prius in scientiis aliis, & artibus superioribus, prælucentibus

conatibus, tentandum putavit, quam literarum prius Humaniorum curriculo peracto, & fundamentis probè in iis jactis, dicendi & disputandi Artes, Moralis & Naturalis inprimis, quâ sine omnis Medicus turpissimè claudicat, Philosophiæ cognitionem, quibus, ceu alis, ad sublimiora, secùs quàm vulgò fieri solet, dùm hunc Artium limitem, & hæc Disciplinarum septa levi pede transidunt, evolamus, hîc TUBINGÆ, in Patriâ Academiâ, complures Annos sibi comparasset. Quapropter omnes pueritiæ suæ & adolescentiæ dies ad hæc studia, & ad Linguarum & Liberalium Artium curam, quâ potuit sedulitate, omni Ingenio, magnoque labore, revocavit. Neque Labores ejus fuêre irriti, neque Præclarissimorum Parentum & Agnatorum spem & opinionem fefellit. In studio namque, & stadio harum Literarum, ut & bonis moribus, Divinâ adspirante gratiâ, ita profecit, ut Inclytum Collegium Philosophicum, Anno 1641. Prima Doctrinæ brabéa, ipsi publicè contulerit: Anno verò 1643. Lauream Secundam meritissimo Capiti ipsius imposuerit, sicque aditum ad Altiora sibi facilem invenerit. Medicinæ itaque Pulcherrimæ, Excellentissimi Parentis exemplo, blando amore captus, in campis Pœoniis latissimis, ita se in hâc nostrâ Academiâ legendo, audiendo, memorando, disputando, exercuit, ut non tantùm, cum per quadriennium stadium hoc ita decurrisset, Privatæ, ut vocant, & Publicæ Disputationis velitationi & pugnæ, (Disputationes autem Privatas duas exercitii loco habuit, Unam, de MELANCHOLIA, Alteram, de PLEURITIDE; Publicam autem Gradualem, de APOPLEXIA, gravissimo illo Cerebri affectu,) ultrò sese obtulerit, sed & ad eum, qui Summus in Arte nostrâ habetur dignitatis Honos & Gradus, haud infeliciter adspirarit. Examinibus itaque solitis rigorosis, Studiorum ipsius progressu fideliter tentato, Eruditione ipsius, & Moribus comprobatis, à Collegio nostro Medico dignissimus fuit habitus, cui & laborum, sedulitatisque præmium & honorum, quos promeritus est, ac integritatis Vitæ, publicum Testimonium tribuatur, ac Summus Studiorum Gradus conferatur, ut Medendi sic facultate impetratâ, plurimorum Mortalium Saluti & Sanitati utilis esse possit. Hujus Solennitatis Actui à Collegio nostro, Crastina Dies Lunæ, circiter Horam Octavam matutinam Dimidiam, destinata est. Invitamus ergò Omnes Universitatis nostræ Primates & Cives; velint comparére, & faustâ acclamatione favorem, & amorem suum NOBIS contestari: Cujus beneficij memoriam sanciemus perpetim. P. P. sub publico Facultatis nostræ Sigillo. IX. Julij. Æræ Christianæ, CIↃ IↃC IL.

Celebrabitur hic Actus

RECTORE MAGNIFICO: NOBILISSIMO, & AMPLISSIMO VIRO,

DN. JOACHIMO WIBELIO, JC. & Antecessore Ordinario Celeberrimo.

PRO-CANCELLARIO ACADEMIÆ
DIGNISSIMO,
VIRO admodùm REVERENDO, atq;
Excellentissimo,
DOMINO MELCHIORE NICOLAI,
Doctore Theologo, & Professore Celebratissimo, Ecclesiæ Tubingensis
Decano, &c.



DECANO ET PROMOTORE
Nobili, & Excellentissimo
Viro,
DOMINO JOHANNE GERHARDO,
Doctore Medicinæ Practicæ & Pofessore publico & ordinario, ac Collegi
Seniore, &c.

TUBINGÆ, Typis Theodorici Werlini, Typ. Anno ut suprà.

DECANUS
ET COLLEGIUM FACULTATIS
MEDICÆ IN INCLYTA TUBINGENSI LECTURIS
cum debiti honoris præfatione S. P.

QUi Medicæ Artis ſcientiam anguſtis includunt cancellis, brevique & facili ad ejus culmen viâ perveniri poſſe exiſtimant, illi aut virtutis iter nunquam ingreſsi ſunt, aut ſuperficiariè tantùm Divinæ Artis labores exercuere contenti Theſſali illius aſini amethodicâ methodo, aut infelici Præceptoris Themiſonis felicitate, de quo in Satyra io. Juvenalis non illepidè ludit, tot ſenectuti mala attribuens, quot Themiſon ægros autumnô occiderat unô. Veriùs Divinus ſenex noſter artem longam vitamque brevem conqueſtus eſt; longam ob exiguum ſpacium exercendæ Facultati, quæ aut nunquam ſatis diſcitur, aut nunquam ſatis monſtratur, exiguum enim nobis vitæ curriculum natura circumſcripſit; longam, ob difficultatem & rerum diſcendarum copiam; perluſtrandi penitiſſimi terrarum receſſus, Oceani abdita, per ſparſas aëris regiones & cœleſtes globos, quibus vis ſublunaris fovetur, migrandum, macrocoſmus & microcoſmus, uterque multis plexibus involutus, denſâ caligine ſuffuſus, abſtruſis ſedibus reconditus perſpiciendus; longam ob experimentum periculoſum, occaſionem præcipitem; longam denique ob ſectarum multitudinem, ſpiſſaſque Medentum diſſenſiones. Undique nunc concurritur, exploditur modus docendi vetus, ſurgunt indies novæ opiniones, novarum opinionum libri, quibus tanquam Cadmæi fratres inter ſe pugnant Medici, quæ ſingula acquirere difficile, difficilius diſcernere, applicare difficillimum, niſi ſit, qui de cœlo ingenium hauſit, cuique non ex tenui finxit luto præcordia Titan. Scilicet ita arctô fine concluditur vita, longô Medicina, ut breve tempus vitæ utiliter collocetur, quoque brevius tempus, longior Medicina, eò plus conferatur diligentiæ ut quod temporis deficit decrementis, diligentiæ augeatur incrementis, iis quæ longam artem longiorem tædioſoremque faciunt vel longiſſimè à tergo relictis. Quô nomine dignô hic encomiô mactandi veniunt, *Viri Juvenes, ut Majorum Parentumque gloriâ commendatiſſimi, ita propriarum virtutum & omnigenæ eruditionis laudibus Nobiles & Præclariſſimi*, DN. NICOLAUS HANNEKENIUS, nec non DN. HIERONYMUS CONRADUS VIRDUNGUS ab HARTUNG, *Marpurgenſes Haſsi*, citra eruditionis præjudicium ex conventione ita collocati, *Artis Medicæ Candidati meritiſſimi.* Uterque lucem & ſpiritum primum hauſit Marpurgi in celebri Haſſiacarum Muſarum ſede, parentibus tàm nominis, quàm meritorum famâ celebratiſſimis oriundus: Prior quidem anni hujus ſeculi poſt milleſimum ſexcenteſimum trigeſimo nono, V. Septembr. *Viro admodum Reverendo, Ampliſſimo, Excellentiſſimo*, DN. MENONE HANNEKENIO, SS. Theol. D. & LL. Orient. t. t. ibid. Profeſs. nominatiſſimo, hodie Eccleſiarcha & Superattendente apud Lubecenſes meritiſſimo, Patre; nec non *Nobili & omnis ſexus ſui ornamentis Condecoratiſſima Matrona*, DN. JUSTINA ELEONORA, Theologorum ſui temporis in Haſſia Phoſphori, & per Europam famigeratiſſimi DN. BALTHASARIS MENTZERI, filia ſuperſtite optima, Matre. Alter ejuſdem ſeculi anno XL. d. XXVI. Octobr. Patre, *Viro Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Conſultiſſimo*, ANTONIO WILHELMO VIRDUNGO ab Hartung, JCto graviſſimo, Conſiliario Hoënloico & Cancellariæ Kirchbergenſis Directore digniſſimo; Matre MARIA CHRISTINA, Nobiliſſimi & Conſultiſſimi DN. HIERONYMI COTTICHII, U. J. D. Perilluſtr. Comitum de Wied nec non de Sein & Witgenſtein Cancellariæ Directoris, & Sereniſs. Auraici Principis Conſiliarii p. m. filia, & Magni VULTEJI p. m. Haſſiæ JCti nominatiſſimi ex matre nepte. Hoc loco hisq; parentibus nati *Candidati noſtri*, ubi nihil niſi eruditum & cultum, nil niſi animô liberali maximè dignum viderunt, quid mirum ſi Literarum honeſtiſſimarumque Artium amorem vel maturè induerint animo vel indole ipsâ ſtatim oſtenderint. Morum autem Hic primam incudem & officinam, ut incunabula, Marpurgum ille Lubecam urbium clariſſimam habuit

quo vix septennis ne ferente diro temporum turbine [illegible] urbium clarissimam habuit,
bique inter disciplinas Clarissimorum Præceptorum increvit prima ætas & adolevit, unde uberrimô eruditionis Scholasticæ commeatu instructi, & Divinâ jubente providentiâ cum venerandis Dnn. Parentibus deductus fuit. Feliciter utro-
Academicisque studiis jam initiandi, prior A. S. LVIII. Gissenæ, alter Tubiæ nostræ A. LVII. civem dedit, cumque non obscuris Naturæ ignicu-
lis & famigeratissimorum olim in Medica Arte Majorum quasi voce ad Medicinæ amplexum vocarentur, ne illotis manibus sacram Divam hanc
contrectarent, ut facilem sibi ad hujus sacrarium viam pararent, os linguis, animum Artium Philosophiæ disciplinis instruxerunt; nec suc-
cessu, ut putamus, pœnitendo pòst in longa Arte versati sunt, sed docentes audiendo, cum doctis conversando, audita lectaque in succum & sangui-
nem convertendo, disputando, publicè privatimque respondendo ita feliciter profecere, ut tales facilè se omnibus probarint, quales solent esse,
qui in schola ritè instituti ad naturæ bonitatem afferunt industriam, fidem, dexteritatem, quique Apolline & Æsculapio digni aliquando Medici
evasuri sunt; fortesq; creari fortibus & bonis luculento suo comprobarunt exemplo. Sed ut olim Medicis ad commendandam Artis autoritatem
suffecit, si Alexandriæ se eruditos dicerent; ita ferè hodie hâc prærogativâ Italorum Patavium & Batavorum Lugdunum gaudent. Qua famâ exciti
& Nostri in felicius Artis, præsertim Anatomicæ, Botanicæ & Chirurgicæ, nec non matheseos aucupium, Lugdunum Batavorum adire secum con-
stituerunt: dictum factum; per utramq; enim Frisiam, terris interjacentibus & Academiis variis in transitu salutatis, famoso Literarum emporio pri-
mum pedem intulerunt anno superiori LXII. jamq; reductis feliciter ad nos pedibus partas animi merces in parentum gaudium, spemque ægro-
rum extrudere satagunt. Unum deesse videtur, testimonium publicum seu gradus, ut vocant, qui instar Patroni hos Candidatos in campum de-
ducat, & quasi titulus aut index merces egregias commendet: quâ in parte, ut nec sibi nec aliis deessent, promeritos in ARTE SUA HONORES
SUMMOS ea, qua sunt, modestia, apud Collegium nostrum petierunt; petito expositis in lucem solitis tum publicis tum privatis probatæ Artis
experimentis, facilè annuimus, cùm virtus ipsa pereat, virtutum ubi præmia desunt, eisdemque pompâ & ritu solennibus conferendis proximum
diem Mens. August. XXVI. diximus. Ad Actum itaq; hunc spectatum, auditum, congratulatum, omnes Literarum Patronos, Fautores, Cultores
vocamus, invitamus, rogamus, sub officii reciproci sponsione, submissè, officiosè, amicè. P. P. sub Sigillo Facultatis, XXIII. August. M.DC.LXIII.

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICO,

Viro Nobilissimo, Consultissimo, Excellentissimo,

DN. BURCKHARDO BARDILI, U. J. D.

& Prof. Celebratissimo.

CANCELLARIO DIGNISSIMO,

Viro plurimum Reverendo, Amplissimo, Excellentissimo,

DN. TOBIA WAGNERO, SS. Th. D.
& Prof. famigeratissimo, Ecclesiæ Tubing. Præposito vigilantissimo,

FACULTATIS DECANO

&

PROMOTORE,

GEORGIO BALTHASARE METZGERO, Med. Doctore & Professore.

DECANUS
ET COLLEGIUM FACULTATIS JURIDICÆ TUBING.

L. S.

Quod disciplinarum aliarum fatum fuit, ut inter plurimorum laudes, paterent aliorum obtrectationi, id plus simplici vice Romana etiam Jurisprudentia sensit. Nec vulgariũ animarũ solũ is in nobilissimas leges æstus fuit, sed illorũ aliquando virorum, quos suspexit seculũ, & in literarum decus enatos credidit posteritas. Justus Lipsius, in monitis & exemplis politicis *lib. 2. cap. 10. Bone*, ait, *Lothari, manes tui per me quiescant; sed rosæ & lilia sepulchrum tuum non ornent, qui tot tricas & spinas nobis sevisti.* Alibi *epist. 78. centuria* Miscellanearum, quæ quinta est in editione Genevæ curata, *Bona*, ait, *Ovvenino stri venia hoc dicam, dubitare me, an bono consilio in vitam & usum Ius Iustinianeum à Lothario Imperatore revocatum sit: sic dico, totum & planum. Non quin bona in eo, arguta, & à seculo veteri: sed nimis fortasse bona, arguta, vetera, & ideò seminarium ingeniis ad calumnias fraudesq; pangendas. Dic sodes, quàm multa in eo, quæ usum hodiè non habent? quàm multa implicata, & variantibus sententiis enodanda? quid si pugnantia quadam dicam? sed vix ausim, & juncti umbonibus me invadent. Et de jure ipso prisco parum etiam sit: sed commentarij quàm multi, & pene infiniti accesserunt? atque & ij si concordant, vim legis in Tribunalibus nostris poscunt.* *Ameli vetus querela an scomma fuit, Jurisprudentiam multorum Camelorum onus esse: quid nunc dicam? Elephantos ab India adde, vix ferent. Atqui Platonis oraculum auribus meis insonat, quòd ubi leges multæ, ibi & lites multæ, & vita moresque pravi? Audi & scrutare: vere oraculum est, & de multitudine litium nostra Belgica, vicina Gallia & Italia dicent.* Et post pauca: *memini olim fuisse inter Byzantinos oratores, qui interrogatus, qualis Byzantij lex esset? qualem ego volo, respondit. O dignum, qui pateretur, quod ego vellem. Sed annon hodie tales, qui leges ut ceram habent? pro animo aut lucello suo, huc illuc deducunt & flectunt. Mentiri optem: sed hoc unicè, ut Rex sit aut Princeps, qui medeatur, & paucas, faciles, concordes leges donet.* Hugo Grotius, *in Prolegomenis*, quæ circa vitæ ultima, Historiæ Gothorum, Vandalorum, & Longobardorum præmisit, *Ego*, ait, *in Romanis Legibus subtilitatem minima quæq; persequentem, varietatem, inconstantiam, video, tantam denique molem, & in mole perplexitatem, ut nemo tam felicis sit memoriæ, cui non sæpe eveniat, in leges incursare; At Philosophia legem vult esse simplicem, brevem, claram, qualia sunt patrum familiàs in familiam suam imperia.* Paulò pòst, cum Germanorum Veterum leges præ iis laudasset. *Accedit*, ait, *quòd apud complures gentes, fœcundas Iurisprudentum proventu, istas (Germanicas) leges, Romanis, usus, Iudex non falsus, prætulit.* Ac prolixiori utriusq; Gentis Legum comparatione verbis suis fidem facere deinceps conatur. Stanislaii Orichovii è funebri Sigismundi Poloniæ Regis oratione in Leges nostras impetum, & autoris Anonymi, qui Antitribonianum dedit, acerbitatem memorare modò nihil attinet. Cæterùm longè his rectius scripsisse magnum virum, Albericum Gentilem, cuivis rem justo pondere æstimanti patebit, quæ *cap. 6. lib. 1. ejus de Nupt.* leguntur: *Dicam & quidem audenter, Ius Iustinianæum esse hujusmodi, ut non rectius, non honestius, non sanctius universa Theologorum omnium schola, rogare atque sancire valuerit. Fuerunt maximi illi JCti, (ut de his notem solis, quos juris nostri licet nunc primos nominare autores,) ethnici quidem ferè omnes; sed qui naturæ vocem secuti, & legis ejus, quam insculpsit DEUS animis nostris, sua sic conscripserunt, ut nec unguiculum à recto tramite justæ omnis legislationis aberrarint. Sunt qui contulerunt libris integris Mosaicam & Iustinianicam Sanctionem, & qui affirmant verè, quod si Christianum nomen IurisConsultis illis non Christianis deferas, Christiana omnia in eis facilè deprehendes.* Sane, Lipsii judicium ingens mordaci satyra interdum corrumpi, in vulgus jam notum est. Ac Grotiani nominis major quidem nobis est veneratio, quàm ut refugere necessum sit ad nuperam illam Viri celeberrimi Roberti Baillii censuram, qui illum, *Virum quidem, agnoscit, multò doctissimum, sed in scriptis suis ultimis persæpe absurdissimum*; Veremur tamen, ne nimio in gentem affectu, cujus tunc lautissimis stipendiis ætatem feliciter agebat, se transversum agi passus sit. Sanè item honestius de Justiniani legibus sensisse illum matura licet ætate, testantur incomparabiles libri, *de Jure Belli & Pacis, Florum ad jus Justinianeum sparsio, Introductio in Jurisprudentiam Belgicam*, ac tot *Consilia*, quæ inter Consultationes Hollandicas typis descripta satis ostendunt, summum Virum non parvi fecisse leges eas, quibus tantum ætatis ipse impendisset. Et peccat profectò non leviter uterque, dum Jurisprudentiæ Romanæ culpam facit, quod Imperitorum & malorum hominum, legibus his abutentium, crimen est. Jam, si eo solo à reliquis legibus nostræ hæ differunt, quòd subtiles, argutæ, bonæ, veteres, quis non videt, laudis hæc partem magnam, non censuræ, facere? Et multitudo major, quàm ut singulorum, etiam aliud agentium, quàm ut leges cognoscant, memoriâ contineatur, argumentum humanæ infirmitatis, non legum ineptarum indicium habet. Nempe ea casuum est varietas, quæ numero complecti nequeat, dirimenda tamen, vel arbitrio judicis, vel authoritate legis. Quàm est verò satius, lege pleraque definiri, in quàm nullum affectui imperium, quam à sola judicantis religione expectare sententiam, sæpe iniquam, & quam provocet aliquando vel imperitia, vel affectus? Quod si sint aliqui, qui non omnes leges animo teneant, id Romana, cum omnium gentium Jurisprudentia commune habet. Sunt qui Naturæ jus ignorent. & Gentium præcepta non æqualiter omnibus patent. Quis credat, ex antiquis Judæis singulos nihil Pentateuchi ignorasse? & hodiernos ... jussa? Muhammedani, qui orbis partem fere quintam ...

Jatra (quæ Brachmanorum eſt explicatio) quid jubeat vetetque, plerique eorum juxta cum ignariſſimis ſciunt? Et Indorum Vedam (hoc Codici legum eorum nomen eſt,) &
dicem, prolixa Regni Hungariæ & Poloniæ Conſtitutionum volumina an perſuaderi nobis patiemur, omnium ſubditorum manibus ita teri, ut ſingularum legum unicuique ſu-
perſit memoria? Quin ipſa Dania novas & plures leges meditatur, edendo brevi FRIDERICI, inclutiRegis, Codice: non factura poſt prudentiſſimas deliberationes, ſi tantum à le-
gum multitudine periculi. Ut hoc quidem argumentum gentium conſenſu fidem amittat. Fac tamen eſſe illas paucas & breves, an ideo major in vulgus juris notitia? quin omnia
potius ad vagum judicis arbitrium redacta, incertos de jure ſuo non aliquos, ſed omnes, & de pleriſque relinquent. Interpretes ergò & Doctores, qui ætatis ſuæ partem ma-
gnam in cognitione & explicatione ejus ponant, Jurisprudentiæ noſtræ laudanda varietas requirit: utq; longi laboris tædium ſoletur, ſtudioſam Juventutem præmiis, muneri-
bus, fama, eo invitat. *Atque expectant ideo, me rito ſuo, in proximum Mercurii diem, qui eſt Auguſti XXVI. Clariſſimi Viri, Dominus* JOHANNES GEORGIUS SEEFRID,
& Dominus GISEBERTUS NAGEL, LL. Candidati meritiſſimi, Summos in utroq; jure noſtro honores & privilegia. Ex iis DN. SEEFRID, anno ab hinc vigeſimo quarto, Nor-
dlingæ, Urbe libera Sacri Romani Imperii, primum vitalem ſpiritum hauſit. Patrem habet cognominem Virum Nobilem & Ampliſſimum & patriæ Reipublicæ Conſulem pri-
marium. Matrem, Lectiſſimam Matronam Barbaram Eliſabetham Jägerin. Prima literarum rudimenta in Nordlingenſi Schola poſuit. Inde in Academiam noſtram ante Septen-
nium delatus, Philoſophicis ac Philologicis ſtudiis primùm, dein etiam Jurisprudentiæ Sacris initiatus, cum pietate ac virtutis ſtudio, diligentiam conjunxit. Lectionibus publi-
cis, Diſputationibus, privatis Collegiis, laudabilem operam impendit, ac profectuum documentum dedit, publice defenſis, præter Inauguralem, duabus Diſputationibus, una
ſub Magnifici Rectoris, Dn. Burckardi Bardili, altera ſub Ampliſſimi Dn. Lauterbachii, JCtorum Celeberrimorum, moderamine. Sed & deinceps exantlatis conſuetis Exami-
nibus, & habita Inaugurali Diſputatione, quod ſcitis, *de Privilegio Creditorum perſonali ſimplici*, merito ſuo, Licentiam conſequendi Supremos Juris titulos impetravit. Hinc Spi-
ram, ut praxi Camerali animum applicaret, ante annum & quod excurrit, conceſſit. Unde Martio menſe anni hujus ad capeſſendum Conſiliarii Reipublicæ Nördlingenſis munus
revocatus, eo hactenus cum laude defungitur. Alter DN. NAGEL, Bremæ primùm lucem hanc adſpexit, Anno Orbis Reparati M DC XXXVII. Parente Viro Nobil. Ampliſ-
ſimo & Conſultiſſimo Dn. Johanne Nagelio, J.U.D. & Principum aliquot Conſiliario, ac Patriæ Advocato primario, Matre Lucretia, ex præclara Meyerorum familia, omni virtutum
genere præſtantiſſima fœmina. In Schola patria, & Gymnaſio, non Philoſophiæ ſolùm, ſed Juris etiam prima hauſit principia: Unde habita doctèque defenſa prius ibi de *Tutelis*
diſputatione, viſitata ante Rinthelenſi Academia, Lipſiam pervenit. Anno deinceps 1658. Wittebergam appulit, ac poſt biennii moram in celebri urbis ejus Academia, Heidelbergam
conceſſit. Juſſu Patris Spiræ poſtea practicis ſtudiis eximio cum fructu vacavit, uſus imprimis opera Celeberrimi Viri Pauli Gambſii, Cameræ Advocati dexterrimi. Demùm
ipſi Tubinga placuit: ubi poſtquam biennio Facultati Juridicæ mores & ſtudia ſua probaſſet, defunctus legitimè examine utroque, & habita ſolenni *de Expenſis Victoriæ* Diſputa-
tione, impenſæ in Juris ſtudium operæ, luculentum omnibꝰ fecit indicium. Quare & merito ſuo, & ſuffragiis noſtris, dignus habitus eſt Summis in Utroque Jure Honoribus. Quos
cum utrique conferre deſtinaverit Collegium noſtrum, memorato jam 26. die Auguſti, tempore matutino, omnes Academiæ noſtræ Fautores, & addictos, eo, quo par eſt, cul-
tu ſtudioque invitamus advocamusque P.P. ſub Sigillo Facultatis die XXIII. Auguſti. Anno M DCLXIII.

ACADEMIÆ RECTORE MAGNIFICO
VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO
DN. BURCKARDO BARDILI, J. U. D. & Profeſſore Publico Celebratiſſimo.

CANCELLARIO DIGNISSIMO,
VIRO
Admodum Reverendo & Ampliſſimo
DN. TOBIA WAGNERO, SS. Theol. D.
& Prof. Celeberrimo, Eccleſiæ Tubingenſis
Præpoſito Vigilantiſſimo,

DECANO FACULTATIS
ET
PROMOTORE
ERICO MAURITIO, Placitorum
Feudalium & Criminalis Juris Profeſſore
Ordinario.

RECTOR
ET SENATUS ACADEMIÆ TUBINGENSIS:

OMnem rempublicam duobus his quaſi fulcris, *præmio, & pœna*, conſtare, in ore dudum ſapientum fuit, atque etiamnum in confeſſo eſt omnium. Quod ſi autem curari hæc probè cæteris in ſocietatibus hominum intereſt, tantò profectò enixiùs in civitatibus Scholaſticis (majores inprimis, atque Academicas vulgò dictas, intelligi à nobis, quivis facilè videt) ea ſunt curanda, atque urgenda, quod recti verique cultus hîc omnis, tanquam in officinis quibusdam publicis, vigeat, proſtetque velut in emporiis, atque inde in uſum ac emolumentum politiæ omnis potiſſimùm derivetur. Quanquam mirandum, vel dolendum eſt potius, pœnarum hîc opus rigore ac ſeveritate eſſe, ubi ipſa dedecorum turpitudo in ſummi ſupplicii locum deſervire meritò debet. Et tamen, prout eſt vita omnis mortalium, cum non minus in hiſce virtutum ac ſapientiæ ſacrariis, quàm extra ea, atque adeò

Iliacos intra muros peccetur, & extra:

neque iſthæc, ut innuebamus, ſanctiſſima Muſarum domicilia, recti bonique omnis plantaria, carere animadverſionibus poſſunt; quibus & improbitatis ſuæ merita degeneres luant, juſtitiæ ductu; &, diſciplinæ ſtudio, in terrorem aliorum, exempla condigna edantur. Quocirca, in bonas leges, earumque ſervandarum, atque aſſerendarum curam, omni operâ incubuiſſe laudatiſſimos quosvis retro Principes, ac Magiſtratus temporum omnium, teſtis hiſtoria eſt. Scilicet mutuo quodam nexu legum ac pœnarum opus eſt, ut juſti in hominum cœtibus tenor, visque, ſarta tecta maneat; ne vel inſcitia in delictis aliquod ſibi ſuat pallium, vel executionis neglectu rogationum bonarum auctoritas evileſcat. Vidit & animadvertit idem, quâ eſt paternâ, eâque indefatigabili, pro ſuorum ſalute, curâ & excubiis, SERENISSIMUS AC CELSISSIMUS WIRTEMBERGIÆ PRINCEPS, DOMINUS ET NUTRITIUS NOSTER CLEMENTISSIMUS, EBERHARDUS INCLYTUS: ac proinde, veſtigia velut Imperatoris Optimi, Trajani legens, quem, inter cætera prudentiſſimi regiminis ſtudia, etiam *juventutis vitam ac mores principaliter formaſſe*, diſertiſſimus Scriptorum, Tacitus ait; tum verò & exempla Glorioſiſſimorum Majorum ſuorum ſecutus, Academiæ huic noſtræ usque hactenus de præclaris ſanctionibus atque inſtitutis non proſpexit tantùm: ſed &, in medio quæ eſſent, ut vigorem ritè ſuum ex accuratâ earundem obſervatione ac ſequelâ obtinerent, diligentiſſimè advigilavit. Cum verò inter alias Academiarum peſtes, quas, illuſtri ſat eheu! documento, ſeculi vel malitia, vel infelicitas invexit, DUELLA præprimis, AC DIGLADIATIONES haberet; quarum exempla, proh pudor! etiam modernis paſſim temporibus, nequicquam eâ & artium cultiſſimarum, & oraculorum face divinorum allucente nobis, proſtare meminiſſet; his ipſis ponere obicem ſeveriſſimarum ope ſanctionum, atque averruncare malum tam noxium, tam infame & dedecoroſum, ab his artium liberalium ſeptis, ſedibusque, feriò ſtatuit. Neque enim, humanitatis hîc ullam, nedum pietatis, ac veræ ſapientiæ, laudem ſuperfuturam ampliùs, rectiſſimè eſt arbitratus, ſi eò usque ferocire, aut efferveſcere, plusquam Scythica & Cyclopica maleferiatorum barbaries poſſet, ut citra graviſſimæ animadverſionis metum graſſari conflictibus iſtis publicè, & quaſi impune, præſumeret. Nec verò, dimicationum iſtarum flagitioſiſſimum porrò hîc nomen ut vivis quaſi coloribus depingamus exactiùs, allaborandum eſt nobis, quæ, ſive divina reſpicias jura, ſive humana, peſſimè ubivis audiunt: atque, ut vaniſſimo plerumque *Reputationis* prætextu, non ſine ſuccenturiantis primigenii homicidæ, Satanæ, ductu præſentiſſimo, & inſtinctu, ſuſcipiuntur, ita fas omne, piumque, quo DEO, reipublicæ, proximo, ac nobismet tandem ipſis, niſi conſcientiæ ac ſalutis decoxiſſe reſpectum omnem videri velimus, aſtricti ſumus, auſu nefario, execrabili, deteſtando, perrumpunt, ac pedibus quaſi proſubigunt, & conculcant. Unde & edictis publicis Glorioſiſſimi Imperatoris *Matthiæ, Ludovici IX*. Galliarum Regis, Electoris item Saxonici, *Friderici III*. ne alios commemoremus modo, ſub pœna capitis prohibitæ dudum ſunt, & interdictæ. Illud ſaltem agendum porrò hîc venit nobis, ut, quandoquidem certis quaſi gradibus obviam ire Monomachorum iſti truculentæ veſaniæ DUX NOSTER SERENISSIMUS voluit, Ducalium nunc Sanctionum ſententias, ex ejusdem PRINCIPIS juſſu, ac reſcripto, ante oculos ponamus vobis, atque ita in rem quaſi præſentem nobis autoribus deducamini. Hic ergo Promulgationum re ſuper iſta Principalium ordine tenor eſt:

I. *Quisquis adscribi dehinc in numerum civium Academicorum voluerit, inter cætera juramenti capita, quibus obstringi cives novitii solent, etiam hoc jurejurando promittet*: Velle rixis, dimicationibus, ac duellis, quantum est penes ipsum, ansam & occasionem nullam studio vel opera præbere.

II. *Quicunque Civium Academicorum, quod & de Oppidanis suo loco curatum jam probè, cautumq́ est, feri istiusmodi lites cruentas, agitariq́ provocationes, quocunq́ tandem nomine, titulo, aut loco, à quoquam Iuventutis Literariæ animadverterit, tempori, quantum potest, moram his, atq́ præpedimentum, monendo, dehortandoq́, &, quibuscunque licet, modis justis ac honestis objicito; ni id proficiat, in continenti eam rem, ubi jus fasque est, denunciato. Si conscius gliscentium dissidiorum, tale quid minantium, neutrum istorum fecerit, viginti Thaleris, aut carcere octiduali, ad panis & aquæ alimoniam, socordiam luito. Quod si dimicantibus intervenerit fortè, ad dehortationem tenetor quidem pro viribus: cæterùm, si interpellare conflictum neglexerit, prævià cognitione de pœna Senatus statuito.*

III. *Qui clancularie digladiationi spectatores interfuerint, nec sopire dissidentium litigia studuerint, singuli mulctam triginta Joachimicorum subeunto: aut, solvendo si non sint, carceri ad dies XII. pane & aqua nutriendi, mancipantor.*

IV. *Quicunque ad provocandum alterum amicè operam locârit, inque ipso Duello parastatam vel opitulatorem egerit: ei, sive provocatus compareat, sive non compareat, quinquaginta Thalerorum mulcta irrogator. Sin ære defecerit, custodiæ trium septimanarum, sub prædicti jam alimenti conditione, includitor: atque insuper, ubi in consertione manuum, cui instituendæ autorem se, ducemque præbuit, homicidium fuerit commissum, è societate Scholasticâ ejicitor. A partibus autem provocati qui steterit, quandoquidem susceptæ defensionis nomine exculpari faciliùs posse videtur, ad allegandas istius rei causas devinctum se sciat. Si in his succubuerit, minimùm XXX. Thaleros pendet; aut carcere mulctam compensabit.*

V. *Si sine cæde temerarius ejusmodi conflictus editur, solisque vulneribus, vel etiam sine his, acta res fuerit: uterque, & provocans, & provocatus, pro rerum conditione, & personarum facultatibus (quod attendi præprimis accuratiùs debet) ipsis centum Joachimicis mulctator: aut sex hebdomadarum captivitate, inter aquæ & panis convictum, plectitor: atque ambo præterea, ut membra Universitatis refractaria, atque immorigera, publicè relegantor. Quæ pœna in provocantem quoque temerarium, tametsi provocatus dimicationem subterfugerit, sancitor.*

VI. *Quod si tandem alteruter digladiantium, seu provocatus is, sive provocans fuerit, ictu illato confestim, ac sine pœnitentiæ veræ, decentisq́ ad mortem præparationis indiciis expiraverit: eum vespillo primâ aurorâ vel diluculò, sine campanarum pulsu, ritibusq́, inter Christianos solennibus, inhumato. Sin verò ante obitum seriæ ad DEUM conversionis, animæq́ eidem piè commendandæ, spatium fuerit nactus, de exequiarum honoribus, utrum, & quo apparatu permittendi sint illi, pro ratione negotii sedulò dispicitor: percussor autem, sive provocarit alterum, sive provocatus in arenam descenderit, ἀπροσωπολήπτως, atq́ nullâ vel familiæ, vel dignitatis habitâ ratione, simul comprehensus fuerit, viâ juris ordinariâ de admisso homicidio capitis accersetur, sententiâque latâ ultimo afficietur supplicio.*

VII. *Porro, nequa fugam corripere, cæde peractâ, interfector queat, non à Rectore tantùm, & Senatu Academico, sed à Cancellario etiam Universitatis, atq́ à Præfecto Civitatis Tubingensis tum Superiori, tum Inferiori, quisquis nempe commodiùs id, atque tempestiviùs præ cæteris facere potuerit, Rectoris tamen, & Senatus Academici nomine, (sic exigentibus nimirum Academiæ privilegiis) comprehendi eum fas esto; quem comprehensum illico posteriores hi, &, quoad fieri potest, illæsum, decentiusque habitum, Rectori, aut Pro-Rectori puniendum tradent. Quod si nihilo minus evaserit homicida, loci istius Magistratum, ubicunque is forte delituerit, PRINCEPS literis compellabit, noxæque dedendum reum seriò efflagitabit.*

Ut exasperentur pœnæ, delicti haud rarò gravitas, vel delinquentium multitudo facit. Et esse nihil indignum magis Juvene adolescente, humanitatis ac sapientiæ sacris initiato, quam si, ut Commodus olim Imperator *inter gladiatores versari potiùs, quam in curia* maluit, sic ille in cruento horridi, tetriciq; Martis circo agere virum, quam honestioribus ac tranquillioribus navare operam Musis, præoptet, quis non videt? Jamdudum item Imperatores se Christiani, interq; eos Constantinus & Justinianus, quovis studio æmulatrici isti gentilium sævitiæ opposuerunt; quorum istius in tit. Cod. de Gladiatoribus hæc verba sunt: *In otio civili, & pace domestica, cruenta spectacula non placent*; hic in authent. Ut omnes parent judicibus: *fortitudinem citra justitiam non esse laudabilem*, ait. Sed verò, ubi Christiani inprimis nominis, ubi conscientiæ, ubi salutis æternæ cardo vertitur tam dilucidè, quis non industriam, quis non obsequia, & cautelam longè æquissimam, longè honestissimam, vel sponte suâ polliceatur? Cum periculo sane posthac suo aget, quisquis obsecundare hic aut volet, aut renuet. Etenim nostrum est, & Sanctionum Principalium sedulò præscripta sequi; nec pati, ut ullo modo sacrorum jura nostrorum furor ille verè stygius temeret, aut iisdem illudat. P. P. sub Academiæ Sigillo, Dominica Trinitatis XV. Anno recuperatæ gratiæ, pacisque, M. DC. LXIII.

DECANUS
ET COLLEGIUM FAC. THEOL. IN UNIVERSIT. TUBING. L. B. S.

NEgotium Religionis, ſuperiori ſeculo πολυμερῶσ καὶ πολυτρόπωσ agitatum, Galli Francisco I. Regi ſuo muta quadam comædia ita repræſentaſſe feruntur. Prodibat in theatrū Capellanus faſce lignorum onuſtus, quem in medium proiecit. Eraſmus Roterodamenſis faſcem hunc confidentius attrectare non auſus, ligna tamen utcunque ordinavit; Superveniens Lutherus faſcem iniecto igne accendit, quem mox inſecutus Pontifex Leo X. duabus inſtructus urnis, altera oleo altera aqua repleta, gliſcentes flammas reſtinguere ſatagebat, ſed pro aqua oleo improvidè affuſo ignem exaſperavit magis; Accurrit tandem Imperator Carolus V. qui evaginato gladio ignem fodit non extinxit, ſparſis potius ſcintillis quam ſuffocatis. Quorſum muta iſta Comœdia, quam ut reminiſcamur eandem hoc ſeculo circa negotium religionis ſcenam inſtrui, ſimilemq; ludi fabulam. Incredibile enim dictu eſt quam multiformi apparatu res fidei tentata fuerit, nempe ab initio mox ejus Colloquiis, Ratisbonenſi & Durlacenſi, paulò poſt ſcriptis ab Acad. Heidelbergenſi Irenicis, quibus noſtra ad ἀμοιβαῖα ſollicitata fuit, donec in Imperio Romano ab argumentis ad armamenta, à pennis ad bipennes, & bellum plusquam civile, tricennale eheu! ventum eſt. Sanatis per Tractatus pacis Monaſterio-Osnabrug. animis reſumpta certatim prior ſive cura ſive molitio fuit, ut non pari intentione ita nec eventu. Fuerunt ex Secta papæa, qui Regula credendi nos deſtitutos: alii, qui præſcriptione excluſos vellent, & methodo Veronio-Gonteriana [commoda ſanè μεθοδεία πλάνησ] illaqueatos; mutata deinceps velificatione Colloquii charitativi oportuno nomine ineſcantes: Nec defuerunt ex gente Reformata, qui fiſtulam inflarent dulce canentem, ſed decepturam volucres nimium credulas, pſittacorum χαῖρε edocti, quod nobis acclamarunt: pacis Eccleſiaſticæ oleas alii prætenderunt, vota aliis ſua tantum & deſideria ſarciendæ concordiæ conferentibus. Erant ſocii νεαῤῥιανίζοντεσ, qui omnes Evangelicos cætui ſuo adjungendos, ſublato velut libertatis ſigno, invitarent, dum alii communitate Symboli Apoſtolici, ſimplicitatis, ſi Diis placet, affectatores, in ſuum complexum pellicerent: alii quinque ſecularem Antiquitatem pro norma reformandi obtruderent, præferentibus interim aliis æquitatem Acontianam, aliis moderationem Caſſandricā laudantibus, aliis Eraſmianam extollentibus lenitatem. Nec deerant tandem, qui omnibus ſectis Chriſti nomen utcunq; uſurpantibus myſticū panderent ſinum, & fraternitatem ſpiritualē, immane quantum dilatatā! offerrent, Tros Rutulusve fuat, nullo diſcrimine habendos. Hiat nihilominus diductū Eccleſiæ Vulnus, rimam agit non unam Petrina navis, tunica Chriſti inconſutilis miſerè laceratur, *& ſciſſâ vadit diſcordia pallâ.* Nec mirum parum rem proficere Chriſtianam inter iſtos maleferiatos caduceatores & conciliatores irreconciliabiles, quibus meritò, quod Job ſuis amicis, dicamus: מְנַחֲמֵי עָמָל כֻּלְּכֶם וְאוּלָם אַתֶּם רֹפְאֵי אֱלִל Per rationem ſtatus fieri non poteſt, ut

condescendat aula Romana, & revocet fulmina semel vibrata, necunquam erit ut in ordinem redigatur qui se ἀνυπεύθυνον per tot secula putavit, ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα: Quid de illis speres, qui nos in gremium receptare suum videri volunt, & fratres quinq; saltem articulis dissidentes Decreto Syndico ex eodem excusserunt? An iis tutò fidas, qui vel σκληρὰ μαλακῶς λέγουσι, vel sub assa Symboli συμφωνία, lingua consoni mente dissoni sunt, Hyenæ ad ovilia non pastores? Qua fiducia te istis committas, qui aliud προφάσει aliud αἰτίᾳ habentes, fidem seculi instrumentum faciunt? Quo eventu illis accedas, qui consiliis ex Idearum regione conflatis Eclogaria condunt religionem, persuasi à genio, nescio albo an atro, posse se virtuali communione adhærere huic sectæ, actuali communione alteri, hoc est, dextrum pedem in hac navi, sinistrum in ista ponere, quod Julianum Antecessorem quendam, & H. Grotium, magna alias nomina, molitos credi possit, in visos hoc ipso fidei suæ domesticis, nec gratos adversariis, ab utrisq; autem explosos. Quo emolumento demum iis adoptivus fias aut adscriptitius, qui Syncretismo, compendio omnis curæ palliativæ, te suum facere allaborant, hodie amici, poscente periculo, cras inimici, vertente facie, futuri. Et in hunc tamen modernorum studium fervet, scilicet

Tuta frequensque via est per amici fallere nomen, at: *Tuta frequensque licet sit via, crimen habet.*

Ita semper sensit Wirtembergica Ecclesia, inq; ea nostra Universitas, quæ post sui ab Antichristianismo reformationem nihil prius aut antiquius habuit quam ὑπακούειν ἐκ καρδίας εἰς ὃν παρεδόθη τύπον διδαχῆς, καὶ ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ τοῖς ἁγίοις πίστει: Unde factum ut Antistites ejus tempore Interimistico maluerint mutare solum quam animum τύπῳ ὑγιαινόντων λόγων constanter innutritum, vertere tergum patriæ quā veritati. Nec ab ea animositate dimovere ante semiseculum vicina eam Heidelberga, quibuscunque ad motis machinis, potuit. Ut indictus interim abeat Puccianismus in prima herba per B. D. Lucam Osiandrum, adnitente & consistorio Stutg. Ecclesiastico, & Facultate Tub. Theologica, suffocatus, refutatus quippe altero mox post sacerrimi libri de *Christi Servatoris efficacitate in omnibus & singulis Hominibus quatenus homines sunt*, editionem anno; quo vel solo facto suam super ambitu Syncretismi displicentiam demonstravit sufficienter. Nec hodienum facti hujus pœnitet pigetve, cum eâdem mente, id est invariata laudatis Majorum nostrorum vestigiis pedem intulerimus, non passuri ut virgineus nostræ Academ. vultus hâc macula temeretur, admisso per anticam Syncretismo, per posticam amissa veritate, porrecturi de reliquo haud gravatim dextras humanitatis cum μακαρίτῃ D. Andreæ Bezis nostris, neutiquam fraternitatis. Hanc materiam ita certatim hodie ore styloq; agitatam sub incudem vocare non in consultum duxit noster alumnus, studiis annisq; florentissimus Vir Juvenis Dn. M. JOH. AD. OTTO Ulmas, cui impositum Augustinianæ recurrenti solennitati annuum suum debitum reddendi ad Crastinum nomini ejus in Fastis sacrum h. & l. sol. Quisquis favet nostro ordini, imò pietati, eum haud gravatè compariturum non tàm præsumimus quam confidimus: cæteros clientes nostros præconis velut hac publica voce ad audientiam ciemus, pro virili satis facturos tàm honestati quam decoro officii sui. V. P. P. sub Sigil. Fac. nostræ prid. D. Aug. Anno ult. Dei patientiæ M. DC. LXIII.

DECANUS
ET
COLLEGIUM FACULTATIS THEOLOGICÆ
L. B. S.

TRina arctæ, & admirandæ conjunctionis Imago pingitur in Membranis, quas suscipit, veneratur, & adorat Ecclesia. Prima illius est, quâ coierunt DEUS & Limus, Cœlum & terra, Filius hominis & Altissimi, de quâ Arnobius: Assumpsit hominis formam splendor æternæ Lucis, & sub nostri generis similitudine potentiam suam clausit, ut & videri posset & conspici, verba faceret & doceret, atque omnes exsequeretur res eas, propter quas in Mundum venerat faciendas summi Regis Imperio, & dispositione servatis. Altera est sponsi Animarum cum Ecclesiâ: ambivit quippe sordidatam & sanguine rubentem cœlestis procus, induxit nudæ & abjectæ velamen justitiæ consummatæ, adjectis ornamentis, quibus inter filias hominũ emineat, atq; coruscet. Tertia denique utriusq; Fundamentum & Typus illa est, quæ radiavit in paradiso, exsplenduit in protoplastis, Evâ calente adhuc à ManuNuminis fingentis adductâ Adamo, ut ex connubio tam nobili, radice tam sancta, commixtione tam benedictâ rivuli sanguinis humani se explicarent per orbem, fructus ventris cœlo maturescerent abundanter, atq; prodirent nati natorũ & qui nascentur ab illis. Ut autem superiorum seculorum Theologi contactu suo omnia pænè sincerioris Theologiæ dogmata fœdarunt, ita tricolorem hanc faciem temerario digitorũ profanorum ausu quoq; notanter contaminarunt, fingentes Naturã humanam non gaudere opibus cælestis Sponsi ex admirabili Unionis arctissimæ commercio, non venisse in communionem bonorum æternalium ex indissolubili vinculo, non dotatam fuisse divinæ Majestatis gloria, sed ad extremum personalitatis abjectam hæsisse ulteriore ornamento destitutam; substituentes vicarium, qui absentiam compenset deserentis Ecclesiam, gementem soletur, nupturientem sibi & suæ libidini jungat, subjiciat; nec non matrimonio impuritatis aliquam Labem affricantes, quasi qui ferrent vasa Domini, nescirent vasa sua possidere in sanctificatione & honore, quasi precum sacrificia non possint offerre, qui libidinis ignes divinitus constituto remedio extinguunt, quasi mentem non possint cœlo nectere, qui corpora animosque in his terris ad divinæ voluntatis præscriptum, moderate & prudenter sexui sequiori jungunt, impuriores spurcissimis in papatu sacerdotibus de quibus Marchantius conqueritur, quod non reformident de die offerre virginis filium, qui de Nocte Veneris filium prodigiosè foverunt.

Vidit hanc Labem *Pl. Reverendus & Clarissimus VIR* M. GEORGIUS SCHOENBERG, Halis-Saxo, & ingemuit, cumq; ob temporis rationem erroribus de Christo, & conjugio mystico illius cum Ecclesiâ non licuisset larvam detrahere, ad ultimam imaginem etiam in Clero venerabilem animum applicuit, ejusq; Ideam præteritis diebus exhibuit spectandam, examinandam, ad Lucem Scripturarum sacrarum & Antiquitatis Ecclesiasticæ Lumina comparandam. Natus is est Anno hujus seculi trigesimo, Parentibus honestis, Halis Saxoniæ, Patre Georgio Schœnberg, ob religionem è finibus Bohemiæ pulso, Matre Annâ Boetticheriâ de Mitweide, educatus sub Inspectione VIRI Clarissimi Dn. Christiani Gueinzii in Scholâ Patriâ quondam Rectoris famigeratissimi, ante sedecim annos, missus ad altioris ordinis Palladium, postquam, exercitiis aliquot disputatoriis & oratoriis jussu superiorũ Gymnasio valedixisset, JENAM sc. ubi studio primùm medico incubuit, parentum verò nutu ad cœlestis Medicinæ

primam medico incubuit, parentum vero nutu ad cœlestis Medicinæ apparatum decenter & religiosè movit, non ut hodie contingit immani saltu, quasi inter quisquilias esset computandum studium Philologiæ & Philosophiæ amœnissimum, maximè necessarium & utilissimum, superioris Facultatis Limina premens, sed post haustas feliciter artes ex lectionibus publicis & Collegiis privatis, Philosophico & Logico acutissimi Dn. Danielis Sthalii, politico Solertissimi Dn. Johannis Christfridi Sagittarii, Arithmetico, Geometrico, & Astronomico accurati Dn. Henrici Hoffmanni, Professorum publicorum famigeratissimorum, & ob eximias animi dotes famâ perennante Dignissimorum: ad augustæ Theologiæ autem fores pulsans invenit, Viros Plurimum Reverendos & Amplissimos Dn. Johannem Majorem Nonagenarium, canitie zeloque Venerabilem, Dn. Gottofredum Cundisium, Theologicâ gravitate Conspicuum, Dn. Johannem Tobiam Majorem, & Dn. Johannem Musæum acumine in Philosophicis, & judicio singulari in Theologicis celeberrimos, qui manu prehenderunt amicâ ad alta nitentem, in penetralia Templi introduxerunt, & quicquid opum & ornamentorum habet hæc Diva fideliter & copiosè explicarunt.

Maturus itaq; functioni Ecclesiasticæ, cum etiam Lipsiæ audivisset Doctores Theologos, & Hamburgum nobile illud Germaniæ Emporium petiisset, divinâ numinis Faventiâ, adminiculantibus Nobilissimis Fratribus à Jagovv, Equitibus palæomarchicis, commendatus fuit Per-Illustri & Generosissimo Dn. Christophoro de Cannenberg, Sereniss. Electoris Brandenburgici Vigiliarum equestrium tunc Præfecto Generali, insigni Heroi, Animo factisq; Martem spirantibus Incluto, nunc Generalis Locum tenenti & Gubernatori Mindensi Laudatissimo, qui, cum vocasset ad Munus sacrum, & publicè eundem ordinari à VIRO plurimum Reverendo & Clarissimo Dn. M. Johanne Strahlio Superintendente Palæomarchico & Prignissæ Generali gravissimo curasset, Lateri suo & suorum adhibuit, Conscientiæ serenandæ in dubiis præfecit, atq; Exercitui Brandeburgico concionibus publicis & Sacramentorum dispensatione informando, roborando commendavit, quod Munus quoque fideliter executus est invalescente peste circa Varsaviam Poloniæ Urbem primariam, ubi tanquam alter Aaron inter moribundorum suspiria & viventium gemitus Thuribulo precum & solatii medium se stitit & conscientiæ, DEOque litavit, nec minora dein strenui studii in Officio commisso, Bello Sueco Danico infeliciter exorto indicia prodidit, semper sibi constans, & telam quam cœperat feliciter pertexere intendens. Quemadmodum verò illum commendat studii ardor in Juventute, Muneris administratio laudabilis in subsequentibus annis, ita cumulum adjiciunt peregrinationes frequentes, & Virorum Doctorum in diversis locis Compellationes crebræ. Vidit ille Poloniam, & in illâ Cracoviensem Academiam, transivit Borussiam, lustravit Holsatiam, Daniam, ingressus est Belgium, ubi quod oculi desiderant, animus expetit, passim & undanter obviat, paravit argumenta scientiarum sibi in Regiomontanâ, Hafniensi, Rostochiensi, Gryphiswaldensi, Erfurtensi, Wittebergensi, Giessensi, Heydelbergensi, Franckofurtensi ad Viadrum, Templis virtutum, Delubris sapientiæ, aditurus etiam Moscoviam, & Africæ oras ex vocatione nostrorum ibi degentium ad sacra, ni Amicorum Consilia propositum sufflaminassent. Cum itaque nostram Academiam, quam etiam peregre existens in deliciis habuit junctus comes Filio paternarum virtutum æmulo DN. JOHANN. CASPARO à Pothausen ab Illustr. & Generoso Dn. parente CASPARO à Pothausen Elect. Brandeb. Consiliario bellico & vigiliarum Præfecto Generali &c. nunc cœlitum agminibus immixto accessisset, Licentiam in Theologiâ gradum quondam supremum consequendi decenter petiisset, Examen rigorosum masculè sustinuisset, atq; publica etiam Disputatione suscepta de Clericorum Cœlibatu & sufficienter defensa publico sese probasset, judicavit nostrum Collegium honestæ illius petitioni esse candide & faventer deferendum. Quapropter ut consummet, quod Numinis adspirante Gratia cœpit, sequenti Die Lunæ horâ primâ Lectione cursoriâ, ut vocant, de Conjugio fidelis cum infideli etiam felicitatem in docendo publicè ostendet. Favete, quotquot multicolorem Divinitatis Jaspidem ex rubicanti humanitatis sardio radiantem in συνθέλῳ venerамini illi, qui JESUM suis præ oculis cum Paulo delineare unice in Votis habet: Adspirate, quotquot illius Sponsæ Membra vos agnoscitis, quæ ex Sponso animarum delitias cœlestes & ornamenta æternatura ducit illi, qui cum Paulo virginem Christo adducere aliquando paranymphus allaborat: Plaudite, quotquot detestamini Sordes Cleri pontificii, & accinite illi, qui quod Paulus defendit contra μισογάμων, pro viribus quoque divinitus dispensatis masculè est tuitus, & quem Jena vidit quondam inter triginta tres Principem Magistrum, Hamburgum Poetam coronatum, adscriptum Societati fructibus eruditionis fœcundæ, Borussia Pastorem exercitus castrensem indefessum horâ indictâ Voto pro incremento Ecclesiæ nostræ immixto pio audite, videte, & amate Theologiæ meritissimum LICENTIATUM, Exaratum 1. Maji. 1664.

TUBINGÆ, Typis JOHANN. HENRICI REISII.

DECANUS ET COLLEGIUM FACULTATIS THEOLOGIÆ.

L. B. S.

DIvus Augustinus diu cunctatus, cum meditaretur transitum ad orthodoxiam, tum spiritus divini Libertatem in operando, tum mentis humanæ lentos progressus, tum Conversionis indolem per gradus ad complementum suum assurgentis satis luculenter effigiavit: Annos inquit fermè novem expectabam Faustum. Cæteri enim eorum in quos fortè incurrissem, qui talium rerum quæstionibus à me objectis deficiebant illum mihi promittebant cujus adventu colloquioq; collocato facillimè mihi hæc & si qua forte majora quærerem enodatissimè expedirentur. Ergo ubi venit expertus sum hominem gratum & jucundum verbis, & ea ipsa quæ illi solent dicere, multô suavius garrientem. Sed quid admeam sitim pretiosorum poculorum decentissimus ministrator? Jam rebus talibus satiatæ erant aures meæ nec ideo meliora videbantur mihi, quia melius dicebantur, nec ideo vera, quia diserta, nec ideo sapiens anima, quia vultus congruus & decorum Eloquium. Cæpit itaq; fastidire Manichæismum, libros plenissimos longissimis fabulis de cœlo & syderibus, Sole & Luna tenebris dignos æstimare, flagello ægritudinis correptus sensim ad salutẽ & sanitatem animæ adspirare, tandem audito Ambrosio paulatim ab Erroribus resipiscere, donec quod cœperat Deus bonum opus, admirandâ Spiritus vi quoque consummaret. Transeunt & hodie quandoque ad nostra castra Religionis Pontificiæ vel promachi vel gregarii, qui si pedetentim ducuntur, solidius durant, re labentibus facilius illis qui re tam arduâ non probe expensâ aut deli-

aere intermedio, aut ex Pontificiis fierent Lutherani tam levi operâ, atq; fungi succrescunt unicâ nocte, præprimis si blanda temperies provocat, dira libido titillat. Non istius ingenii hactenus sese prodidit VIR Reverenda Dignitate & usu rerum præclarissimus inter suos PETRUS GABRIEL; in lucta quippe constitutus per octennium, quo se verteret nescius, tandem veritatis divinæ fulgore perstrictus nostris partibus, postquam in Ordine Capucinorum Annos exegisset triginta, se junxit. Natus is est in civitate Vesuntionensi Imperiali, liberi Comitatus Burgundiæ Metropoli, ex parentibus honestis, & in eadem Majoribus; accepit Anno ætatis XVI. habitum Capucinorum, ac vigesimo quinto secundum Trident. ad sacerdotalem dignitatem fuit promotus, paucis post temporibus effluxis ad comitia generalia Capucinorum Romæ coacta sc. Socius custodis a P. P. suæ provinciæ deputatus, eodẽ tempore ab Urbano octavo Missionarius Apostolicus electus? quod Munus per spatium octodecim añorum exercuit, Cõfessarius Illustrissimarum Burgundiæ familiarum, nec non aliarum provinciarum Deputatus, totam fere Italiã, Galliam, Belgium, Lotharingiã, Sabaudiam Helvetiã & partem Germaniæ ex Superiorũ mandato perlustravit. Sed cum illud maximè in Beneficiis sit deputandum, quod sensim illuminatus cæperit fastidire Ægyptum, & desiderare terram lacte & Melle Evangelico manantem; Quapropter exponere constituit stimulos sibi divinitus subditos ad deserendum Papatum partim Apologiâ Gallico idiomate conscriptâ, partim Oratione Errorum Revocatoriâ. Vos quotquot nostra sacra amatis, cum sequens dies Lunæ huic solennitati sit constitutus horaque antemeridiana nona, & corpore & animo gratulabundo in Acroaterio majori haud gravate ut speramus comparebitis, & actum hunc, quem Angeli gaudio coronant, honorifica præsentia confertim condecorabitis. Exaratum VII. Febr. M. DC. LXIV.

TUBINGÆ, Typis JOHANN. HENRICI REISII.

DECANUS
ET
COLLEGIUM FACULTATIS THEOLOG.
IN UNIVERSIT. TUB. B. L. S.

VOX est θεήλατος, cœlitus insonans, quæ in Apocalypsi legitur Johannæa: Exite è Babel popule mi, ne participes sitis peccatorum ejus, & ex plagis illius accipiatis. Divini hujus celeusmatis verba ferè & argumentum ex Jeremiæ cap. 51. mutuata esse vulgo eruditorum constat, ubi ita entheatus vates: צְאוּ מִתּוֹכָהּ עַמִּי וּמַלְּטוּ אִישׁ אֶת־נַפְשׁוֹ מֵחֲרוֹן אַף יְהוָה Ex quo indubium est, tam in nova quam veteri Babylone, licet utraque sentina abominationum esset, aliquem fuisse populum DEI, sed captivitate pressum; ut eo ipso responsum jam sit Pontificiis quærentibus: ubi fuerit Ecclesia ante Lutherum si papatus non fuit? Sensus vocis hujus paræneticæ extenditor meritò ad omnes pios, quotquot sunt, fuerunt aut erunt Romæ, non modò intra urbis mœnia, sed & intra jurisdictionis Romanæ pomæria. Populus Judaicus jugiter animo exire jubebatur fugiendo idola ejus reliquaque μιάσματα, in quo totus est in toto suo libello Baruch; post definiti autem temporis decursum etiam corpore, repedando patriam sub Cyro, diplomate libertatem reditus promulgante. Utrumque egressum nova ex Babylone, quantum pote, Christianis injunctum meminerimus, ut longo longius fugiamus eo ex loco, in quo

Omnia cum liceant, non licet esse pium.

Ætiologia autem, cur parendum sine mora sit huic monito cœlesti, sat idonea, sat gravis est, scilicet partim ne peccatis ejus inquinemur, cum sumantur à conversantibus mores,

Uvaque conspecta livorem ducat ab uva:

Partim ne communi Babylonis involuti ruina pœnas luamus lentitudinis, cum & musculos natura docuerit ruinis imminentibus præmigrare, (si fides Plinio) & aranei cum telis primi cadant. Hoc ipsum, quod multæ ante Ecclesiæ, Waldensium, Albigensium, Wicleviſtarum & Lutheranorum fecēre, & innumerabiles personæ singulares, feliciter has imitatæ, æmulandum sibi quoque putavit *Eximius & Clarissimus Vir-Juvenis* DN. FRANCISCUS KAISER Oenipontanus Tyrolensis, nuper in papatu ordinis SERVORUM MARIÆ Monachus, nunc ad libertatem, quæ legibus Christi servit, meliori sorte adspirans. Is enim cum ante quinquennium Francofurti in negotiis suæ Sodalitatis ageret, tempore coronationis Imperatoriæ, bona quadam scæva in solidissimum opus Refutationis Concilii Tridentini judiciosissimi Chemnicii incidit, modo non planè absimili, quo Augustinus quondam in horto deambulans, & Novum Testamentum manu gerens, per vocem, nescio unde, bis assonantem TOLLE, LEGE, ad meliorem à Manichæismo & concubinatu viam vocatus traductusque est. Ita enim argumentis ex sacratiori Armario Scripturæ deprompitis in conscientia sua constrictus & expugnatus est, ut post luctas nec parvas nec paucas exarmatum se tandem & erroribus pristinis exutum nobis dederet, imò veritati triumphanti. Profectum mentis profectio corporis subsecuta est, in qua in metropoli hujus Ducatus appellentem primo pedatu excepit Serenissimi Principis tutelaris & munifica cura, insertum illicò Musicæ Aulicæ Sacelli Duculis. Paulò post ex bonæ causæ, & vitæ apud Adversarios traductæ fiducia suppliciter rogavit, ut quod corde crederet, voce etiam publica profiteri apud nos liceret, quo clementissimè indulto Stuttgardiâ huc advolavit, & desiderium suum decenter exposuit. Cum itaque voluntati Serenis. nostri Principis & instituto novi proselyti per se laudabili & favorabili omnes nos pronis animis satisfacere jus fasque existimemus, Revocationi huic solenni diem crastini condiximus, ejusque horam antemeridianam nonam orationi in Aula nova habendæ tribuimus. Hic Actus ut festivior appareat, peramanter rogamus comparitionem frequentiorem omnium eorum, quibus gloria DEI, cui hîc litatur, & desertorum Babyloniæ salus curæ cordique est seriò; quibus vindemiales distractiones id non permittent, pro corporali præsentia animi sui vota cum nostris haud gravatim conjungent. P. P. sub publ. Facult. nostræ Sigillo Anno virg. partus M. DC. LXIII. d. 18. D. LUCÆ sacro.

TUBINGÆ, Typis JOHAN-HENRICI REISI.

RECTOR CANCELLARIUS ET SENATUS UNIVERSITATIS TUBINGENSIS

Lectoribus Salutem!

QUod Alaricus Rex de Gothicâ Cassiodori historiâ inquit; *Gloriosis Dominis gratiosiora esse praeconia, quàm tributa*, idipsum de Serenissimo nostro Principe EBERHARDO verissimè dici posse, inter alia documenta ex paternâ curâ, quam Serenissima sua Celsitudo pro Universitate hac gerit, colligendum est. Videns enim Heroum Clementissimus, quanta sit pulchritudo praeconii, quo inclytus hic Ducatus prae reliquis Germaniae provinciis passim locorum per Universitatis nostrae celebritatem à primo fundationis lapide inclaruit, florentem in ea juventutem non secus prosequitur, ac si meri essent Ascanii, è Serenitatis Suae lumbis descendentes, in quibus omnis *chari stat cura parentis*, ne quoquo modo neglecti pessumeant, aut in foveas ab Acherontico Insidiatore in ipsorum perditionem egestas, praecipites dentur; Inter quas imprimis *effera illa, ut plurimum levibus de causis* (quae vel paciscendo transigi, vel ferendo dissimulari, vel non curando contemni, nedum remittendo fraternè ignosci possent & deberent) *exorta ad duellandum provocatio* periculosè dehiscit, jamdudum ex Imperatoriis Regiisque aulis publicis edictis sub poenâ capitis proscripta, maximè omnium proscribenda ex Universitatum pomeriis, tanquam ex arenâ non digladiatoriâ, sed literariâ, ubi conflictus nulli, nisi literarii, congressus nulli, nisi disputatorii, vulnera nulla, nisi ex quibus inscitiae cruor exudat, commodiùs non curandis, quàm ipso conflictu, dum victor laude conspectior, victus auctior profectu ex pugnâ discedit. Hoc insensatum, ac verè cyclopicum malum ne in hac EBERHARDINA Universitate radicem agat, Serenissimus noster Princeps sub ordinariâ Relegationis poenâ cavendum statuit, ut instar gangrenae à pacifico Universitatis corpore amputentur, quotquot cyclopicâ hac, & Goliathicâ con-

dicti atque conventionis audacia in mutua viscera grassari, pacemque publicam gladiis monomachicè strictis infestare non reformidant: Provisione omninò salutari, Patre Vniversitatis ac Principe verè dignâ; Cujus Serenitas malis ideò in severitatem vertit, ut bonis illustrior oriatur, ad avertenda ab iis omnis generis, & animæ & corporis pericula, in quæ præcipitari solent, ubi lege severitatis solutâ, malis adversus bonos impunè violentis esse licet.

Quid igitur reliquum est, quàm ut Serenissimi nostri Principis EBERHARDI, cyclopicas has monomachias, aliis Vniversitatibus in exemplum prohibentis, Statuto stet sua laus & autoritas? nemine mortalium nobis justè succensuro, si in vindicando omninò punibili & verè cyclopico hoc conatu nulli delinquentium credamur ignoscere, sed exequi, quæ Serenissimus Princeps per justissima Rescripta imperat, & conscientia officii peccantibus indulgere vetat.

Mandamus ergò omnibus & singulis, mediante juramento Jurisdictioni Universitatis nostræ subjectis, Nobilibus pariter, & qui per studiorum gradus ad veram Nobilitatem aspirant, quotquot ex ephebis excedens ætas, profectusque in aliquâ Facultatum superiori, (Novitios n. ipsum Serenissimi Principis Rescriptum à gladiis gerendis excipit) permissu statutorum gladiis suis alligavit, his, inquimus, sub pœnâ Relegationis seriò mandamus, ut manus à præferoci hac, & insensatâ duellandi promptitudine abstineant, gladiosque, quos gestant, fortitudinis, quæ consultissima Virtus est, symbola esse meminerint, non Mavortia arma, ad lædendum lateribus appensa, quæ inter Leges, quarum ut plurimum studiosi sunt, sileant, quemadmodum inter ipsa superioribus annis leges sat diu oportuit silere; Honestis interim gaudiis & exercitiis studiorum cursui moderatè interponendis, nemini nostrorum interdictis, ne frontem nimis Socraticè corrugare, aut vi illatâ juvenilis ætatis differentiæ disciplinam ita tornare velle videamur, ut tota teres sit atque rotunda, nihilque, quod correctionis egeat, restet; protinus ad fustidineas insulas, ultimamque Thulen relegatis, qui Saturnum caperatâ fronte induere recusant; quod judicium Momis, qui *Curios simulant, & Bachanalia vivunt*, solâque affectatâ heri semper-lenitate acolastis se insinuare gestiunt, de nobis latum contemtim indulgeamus, dummodò florentissimæ studiosorũ coronæ, quæ, ut cum Regio Psalte loquamur, כְּחִצִּים בְּיַד גִּבּוֹר hoc est, *quasi Sagitta in manu fortis*, pharetram Lycei nostri laudatissimâ frequentatione adimplet, integrum sit, limitibus verecundiæ, pudoris & modestiæ immotè servatis, præ licentiosis atque violentis ingeniis studiorum cursum in hac Vniversitate EBERHARDINA quietè continuare. Valete! Dabamus sub majore sigillo Vniversitatis nostræ, 24. Septembris, Anno Christi CIↃ IↃCLIV.

PRO-DECANUS
ET COLLEGIUM FACULTATIS THEOLOGICÆ
IN ALMA UNIVERSITATE TUBINGENSI

LECTORIBUS SALUTEM.

QUanquam vix quicquam contemtius sit in Mundo, quàm sunt veri & sinceri Doctores Ecclesiæ in superborum oculis: *Deridetur enim justi simplicitas, lampas contemta apud cogitationes divitum,* Job 12. Vix quicquam tamen illis pretiosius esse in oculis Domini, inter alia argumenta etiam ex descriptione à paribus sumtâ, constat. quando Stellis Cæli comparatos non in uno Scripturæ loco legimus; sic enim Filius DEI in Apocalypsi Johannæa Ecclesiarum Asiaticarum Doctores Stellas vocat, ac Stellis visibilibus in manu sua contentis designat; non tantùm ut fideles Ecclesiæ Ministros officij sui admoneat, sed etiam dignitatem Ministerij, ex qua Ecclesiæ Doctoribus sua dignatio accedit, contemtoribus ob oculos ponat, & quousque profanitatis suæ supercilio progrediantur, admoneat. Stellis enim Firmamenti quid sublimius? quid à terrenis, & corruptioni obnoxijs rebus remotius? quanticunque vel tandem pretij res etiam in sublunaribus habeantur, utpote aurum, argentum, gemmæ, adamas, rubinus, carbunculus, smaragdus, sapphirus, &c. quarum tamen nulla etiam cum minutissima Stellarum comparari potest; ad indicandum, non terrenos, sed cælestes thesauros esse, qui Ecclesiæ Doctoribus sunt concrediti, ad quos comparandos pij auditores cælesti eorum doctrinâ deducantur; ut ob id doctorum Ecclesiæ augustior dignitas esse non possit, quàm quòd ob cælestium thesaurorum dispensationem cælesti potiùs, quàm terrenâ denominatione, à stellis cæli desumtâ, Filius DEI eos voluit appellare; Ut profanissimos esse oporteat contemtores Doctorum Ecclesiæ, qui os suum ponentes in cælum stellas tangunt, cæloque dejicere conantur; cujus facinoris aliquando condignam mercedem à justo Iudice vivorum & mortuorum sunt reportaturi; scilicet quando *Justi stabunt in magnâ constantiâ adversus eos, qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum, &c,* Sapient. 5. Verùm non sic, non sic, Serenissimus ac Celsissimus noster Princeps EBERHARDUS, cujus specimina erga cujuscunque magnitudinis Ecclesiæ stellas, quas modò solidâ doctrinâ, & vitâ probatâ scintillare videt, tanta sunt, ut Serenissima sua Celsitudo videatur velle non esse magna, nisi per celebritatem suorum Theologorum quoque magna sit in Ducatu suo plantata Ecclesia, & juxta hanc imprimis quoque Magna THEOLOGICA FACULTAS in Universitate nostrâ, quæ cæterarum Facultatum anima, basis & fundamentum est, ut eâ stante stet, inclinante inclinet, cadente cadat Universitas, cum disciplinâ Religione ipsâ in eventum tentationis sub ictum datâ; quò inclinationis aut ruinæ nè nostra FACULTAS, ante hæc tempora nulli non hosti veritatis metuenda progrederetur, Serenissima sua Pietas quasi novas in ejus Sphæram stellas, sibi mutuò successuras ponere clementissimè jussit & mandavit, ut juxta Serenitatis Suæ Concionatorem Aulicum etiam tres alij Theologi futuro XXIV. Novembr. in Serenissimo conspectu Serenitatis Suæ publicâ solennitate THEOLOGIÆ Doctores renuncientur; quorum vitæ Zodiacum, & præstita merita operæ pretium est succinctâ brevitate in hoc Programma exscribere. *Primus* ergò in ordine eorum est, Admodùm Reverendus, Præclariss. & Consultissimus Vir, DN. M. CHRISTOPHORUS ZELLERUS, uti dictum, Serenissimo PRINCIPI à Concionibus & Consilijs Ecclesiasticis, Anno 1605. die 19. Martî, ab honestissimis Parentibus, DN. M. JOHANNE ZELLERO, Pastore Rothfeldense, Matre verò BEATRICE BLOSSIA, in hunc Mundum natus; dehinc in triviali Scholâ Calvensi ab anno 1612. usque ad annum 1619. informatus, donec ab anno 1619. usque ad annum 1628 Studia sua in hâc Universitate tantâ felicitate per omnes gradus continuavit, ut etiam tùm oblatâ doctorandi licentiâ Doctoris titulo à Facultate nostrâ pro dignissimo fuerit habitus, donec praxis Ministerij diversis in locis, Liebensteini, Schlaidorfi, Calvæ, tandem Stutgardiæ in Serenissimi PRINCIPIS Aula & Consistorio fidelissimè acti accessit, ex quo de qualitate, imò quantitate ejus cognitionis in linguis latinâ, Græcâ, Hebræâ, in plerisque Philosophiæ partibus, imprimis quæ Theologo necessaria sunt, maximè omnium in Theologia, pronum est judicare; quorum quidem cursoriè legendo, & Ecclesiasticè concionando ea specimina edidit, quæ non alium, quàm profundissimum Theologum arguunt, &c. Dignitatis ordine sequitur Theologus *Secundus*, Admodùm Reverendus & Præclarissimus Vir, DN. M. JOSEPHUS DEMLERUS, Ecclesiæ Pastor Dignissimus, Theologiæ Professor Celeberrimus, itidem à Parentibus honestissimis, Patre Cognomine, Matre verò MAGDALENA FRIULA, in Thermis Ferinis ante 53. annos in hunc Mundum natus, ab ijsdemque pientissimè educatus, donec absolutis trivialibus, in hac Universitate Studiorum cursum per omnes gradus tantâ strenuitate absolvit, ut superiorem neminem, pares paucos, plurimos inferiores se habuerit, subsecutâ tantâ per praxin Ministerij, Dagersheimij, Feurbaci, Bietigheimij, tandem ferè triennium in Ecclesiâ & Universitate nostrâ fidelissimè acti perfectione & soliditate, ut Ecclesia Pastorem, Universitas Professorem hactenus meritissimè fuerit admirata, statimque ab ejus ingressu in Academiam Facultas nostra seriò judicaverit, dignissimum esse, qui alios in Doctores promoveat, nedum ut ipse ab alio in Doctorem promoveatur; quod judicium etiam nuper solidissimè disputando abundanter de se ... est Admodùm Reverendus & Præclarissimus Vir, DN. M. BALTHASAR RAITHIUS, Theologiæ ac Hebrææ Linguæ Professor dexterrimus.

anno 1616. die 8. Octobris, itidem à pijs & honestis Parentibus, Patre Elia Raithio, Matre Ursula Geringeria natus, de quo multa referre opus non est, quia multis retrò numeratis annis ipse continuis verè officijs, ut Magister Repetens in Stipendio, ut Diaconus in Ecclesiâ, tandem ut Professor in Universitate, dona sua ita in publicum collocavit, suæque eruditionis specimina omni modo edidit, ut citiùs Homerum Poëtam, quàm ipsum Theologum quis negaret; quemadmodum etiam Doctorei honores à nostrâ Facultate meritissimo omnium fuerunt decreti. Tandem Paulum, Barnabam, Syllam, sequitur Timotheus, Candidatorum Theologorum numero *Quartus*, Reverendus & Clarissimus Vir, DN. M. JOHAN-ADAMUS OSIANDER, Ecclesiæ nostræ Diaconus vigilantissimus, Parente, Avo, Abavo, Atavo Osiandris, Theologorum Celeberrimis, ante 32. annos in hunc Mundum natus, ut Doctoris titulum ei hæreditarium quis diceret, postquam merita, quæ indefesso Studio in Linguis, Philosophiâ & Theologiâ ipse obtinuit, accesserunt, ut quis filium Prophetarum, avito ingenio præditum diceret, ob egregia ingenij dona dignissimum, qui majorum nomen ab extinctione vindicet, & hoc ipso nomine à Serenissimo nostro Principe EBERHARDO, nostræ Facultati, ad promerendos summos in Theologia honores, quos etiam masculè disputando, solidè respondendo, & dispositè profitendo, promeruit, clementer fuit commendatus. O ergò consilium benedictum, Evangelico Principe, genuino Ecclesiæ Nutritio, ac Paterno Doctorum Ecclesiæ Patrono verè dignum! Benedictus, quicunque id, quantùm in se, promovet, nec in herba executionis supplantare conatur! Nos, quantùm in nobis, strenuè dabimus operam, ut promotio Præfatorum Theologorum Candidatorum futuro vigesimo quarto Novembris die eâ, quæ summè erit possibilis, solennitate juxta Dei conspectum etiam in Serenissimi nostri Principis EBERHARDI conspectu, horâ matutinâ circiter nonâ, dato prius signo consueto, expediatur; Omnibus Facultatis nostræ Alumnis ut eam devotè frequentent seriò jussis, Cæteris cujuscunque status, dignitatis & ordinis sint, officiosè, ut suis votis & gratulationibus adsint, invitatis; Quod officii genus occasione quâcunque se oblaturâ studebimus obnixè demereri. Scriptum sub Facultatis nostræ Sigillo, 23. die Novembr. Anno Salutis cIɔ Iɔc LVI.

Celebrabitur hic Actus

RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICO:

Nobilissimo & Experientissimo Viro,

DN. SAMUELE HAFENREFFERO, Medicinæ Doctore ac Professore Celeberrimo.

PROCANCELLARIO,
Ex singulari Ordinatione Serenissimi PRINCIPIS,
Reverendissimo & Celeberrimo VIRO,
DN. MELCHIORE NICOLAI, S. S. Theologiæ Doctore de Ecclesiâ meritissimo, Serenissimi Principis Consiliario gravissimo, Ecclesiæ Stutgardianæ Præposito, ac Universitatis Tubing. Visitatori dignissimo.

PRO-DECANO ac PROMOTORE,
Viro admodùm Reverendo & Præclarissimo,
DN. TOBIA WAGNERO, S. S. Theologiæ Doctore ac Professore celeberrimo, Ecclesiæ Decano dignissimo, Serenissimi Principis Stipendij Superintendente vigilantissimo.

TUBINGÆ, Typis exprimebat Theodoricus Werlin, Typ.

DECANUS
ET
COLLEGIUM FACULTATIS THEOLOGICÆ,

UNIVERSIS ERUDITÆ TUBINGÆ ORDINIBUS,

cum debitâ congrui cuivis honor. præfat.

S. P. D.

COmmonet nos craſtinus dies, Gothofredi nomine in Faſtis ſignatus, glorioſiſſimi Ducis Lotharingiæ GOTHOFREDI BULIONEI, qui auſu planè Heroico famoſiſſimam illam adverſus Barbaros expeditionem ſuſcepit tanto cum ſucceſſu, ut & terram ſacram inique poſſidentium manibus eriperet, & primus denuo poſt tot Secula Hieroſolymorum Rex ſalutaretur. Sed ut ſummis negatum eſt ſtare diu: Ita inuſitatæ hujus rei felicitas non per integri ſeculi decurſum duravit, remittente Succeſſorum virtute, & relabente cum hac fortuna. Fas ſit nobis inter variantem temporum lætorum triſtiumque faciem eundem diem craſtinum vel Faſtis inſcribere, vel certè candidiori numerare lapillo, quo non in Barbaros, ſed ipſam barbariem ducemus militiæ togatæ Anteſignanos, numerum Bulionei exercitus non æquaturos quidem, ſed, quod confidenter ſperamus, virtutem. Aſſerturos quippe hos Quatuor (quisque in ſua Facultate) facta quaſi manu, ſacra profanaque, aras focosque Sionis, nec paſſuros ut Reſpub. literaria ſua culpa quicquam detrimenti capiat. PRIMUS Ordine ingreditur Reverendus & Clariſſimus Vir, DN. JOHANNES GRAFTIUS, Logices & Metaphyſices ordinarius, Mathematum extraordinarius hactenus Univerſitatis noſtræ Profeſſor, Bibliothecarius atque Contubernii Rector, Theologiæ Triennalis, & quod excedit, Licentiatus. Natus IS fuit ante XXXIV. annos Mengringhuſii Waldeccorum ex parentibus perhoneſtis, Patre ESAIA GRAFFTEN, Senatorii Ordinis, Matre MARGARETHA, ex familia HUNDERTMARCHIA dicta oriunda, qui nil prius aut antiquius habuere, quàm filium ſuum CHRISTO per baptiſmatis fœdus ſemel inoculatum patriæ Scholæ maturè adhibere, cujus emenſus ſpatia capacioris indolis remigio eſt. Poſtea ablegatus ad celebratiora Weſtphaliæ Gymnaſia, ſenſim altiora tentavit, donec ſubvectus Roſtochium Philoſophiæ & Theologiæ juncto Connubio ſe Magiſterii gradu dignum oſtendit, quem mox, delatus Regiomontum, continuato ſub Præceptoribus Philoſophis Theologisque diſcipulatu, ſumma cum laude, primus quippe competitorum, conſecutus eſt. Apertis & dehinc, Superiorum licentia, Collegiis Hebræis, Mathematicis & Metaphyſicis, quin imò publicatis etiam diſputationibus; ſobrie in Theologia philoſophandi viam monſtrantibus; datis interea in vicem D. Miſlentæ, D. Behmii, D. Calovii frequenter concionibus, non mediocris doctrinæ ejus acceſſio facta eſt, quâ ut via-

tico instructum, & testimonio insuper Academico mactum, incessit cupido alias quoque invisendi Universitates. Post visam enim Leidensem, Groningensem, Franequeranam, Ultrajectinam, Haidelbergensem, Giessensem, velut in transcursu, appulit tandem apud nostram Academiam, in quâ cœlesti indultu spei reiq; suæ anchoram ita fixit, ut speciminibus Professioni publicæ paribus ad Philosophicam Cathedram & moliretur gradum & emoliretur. Nec contentus eo, velut scopo Studiorum minus principali, ante triennium & semestre LICENTIAM summorum in Theologia honorum, prævíis ritè meritis, lectione cursoria, disputatione & concione cum examinibus consuetis, & procatus & exprocatus est, statione interim Philosophica minimè deserta. Quos honores in Doctoreos actu convertere, certis de causis, meritissimo prolytæ cras, DEO volente, tandem in Brabeuterio solito decrevit Theologica Facultas. Ad hæc solennia, quæ syndrome trium superiorum Facultatum ut insolita magis, sic festiviora quoq; facit, ut Spectatores, plausores ac testes frequentes confluere, & sua inter acclamationes applaususq; vota benevolè conjungere nobiscum dignentur, devotè Mecœnates, quosvis, officiosè Proceres Academiæ, peramanter reliquam Nobilissimam ac florentissimam juventam, sacris Musarum deditam, invitamus rogamusque: nihil eorum, quæ ad redhibendum memorem gratumque animum, pro ut occasio aut usus feret, omissuri deinceps. P. P. sub Facultatis nostræ sigillo, TUBINGÆ, Dominica Misericordiæ, Anno τῆς τῦ Λόγυ οἰκονομίας, Millesimo, Sexcentesimo, Sexagesimo.

Celebratum ibimus hunc ACTUM

ACADEMIÆ RECTORE MAGNIFICO,

DNO. JOHANNE ULRICO PREGITZERO,

S.S. Theol. Licentiato, Ethices Professore ordinario, & Facultatis Philosophicæ t.t. DECANO Spectatissimo.

PRO-CANCELLARIO UNIVERSITATIS DIGNISSIMO,

VIRO plurimùm REVERENDO & AMPLISSIMO,

DN. TOBIA WAGNERO,

S.S. Theol. Doctore & Controversiarum Professore Celebratissimo, Ecclesiæ Tubingensis DECANO, & Illustris Stipendii Superattendente Gravissimo.

DECANO FACULTATIS THEOLOGICAE,

ET

PROMOTORE,

BALTHASARO RAITHIO,

S.S. Theol. Doctore, ejusdemque, & Linguarum Orientalium Professore, Ecclesiæ Tubingensis Pastore.

TUBINGÆ, TYPIS THEODORICI WERLINI, ANNO CIↃ IↃC LX.

DECANUS
ET COLLEGIUM FACULTATIS JURIDICÆ IN ACADEMIA TUBINGENSI,

multam salutem Benevolis Lectoribus, honorificè compellando singulos, dicunt.

NOn vanum, aut illepidum illud Poëtarum, ut complura alia, de *cornu Amalthea*, etiam adagiorum jure donatum, figmentum est: sed tot sententiarum divortiis, quod originem dicti concernit inprimis, intortum atq; intricatum, ut natatore Delio opus esse consideranti singulas videatur. Parum tamen interest, *ad capram, Jovis nutricem, an ad Herculem, Acheloi victorem, aliamve sive mulierem, sive regionem*, tritissimæ locutionis natalem referamus. Illud, quod sensum usumq; ejus attinet, acu velut, præ cæteris collineatiùs Socrates tetigit, cui cornu istud, Stobæo commemorante, *industriæ ac sedulitatis* fuit *symbolum*, unde omnis scilicet *affluentia boni* ad eum, qui minime *μάλθων*, hoc est, dissolutus, mollis, aut ignavus esset, redundaret. Hanc enim beatam affluentiam uvæ istæ, & poma, & segetes, & quicquid est rurestris insuper proventus, quo scatere cornu dicebatur, commodissimè designat: quemadmodum nec de fundente ubertatem istam, navitate ac solertia dubitabit, qui modo, bovis, tanquam operosissimi, ac laboriosissimi animalis, cornu esse, volet recogitare; quô ad denotandum animi, in laborem obstinati, robur, invictamq; duritiem, nescio, an quicquam aptius reperiri possit. Nec vero difficultatem præterea quandam explicationis importat, quod de fœcundo hoc bonorum cornu veteres affingebant; *à bono* nimirum *Genio, ipsaq; Fortuna* istud *sustineri*. Quâ formâ in antiquorum etiam numismatis videre subinde adhuc *Genios* illos, *cornucopiæ tenentes*, licet. Neque enim opus est, ut de Gentilitiis ista Deastris Christiani, *cæcos, cæcorumq; duces* secuti, accipiamus; quo respectu non Fortunam tantum, colebant illi, *præsentem*

Vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos:

sed *singulis* quoque *hominibus* per omnem vitam *Dæmones* suos, *sive Genios*, eosq; adversis invicem studiis, *bonum* nempe alterum, alterum *malum*, tribuebant; bono inprimis, si quid auspicatum fortè, prosperumq; obtigisset, acceptum ferentes; quanquam & integris destinari urbibus, populisq;, aut exercitibus, Genios istiusmodi, minimè fuerit infrequens. Quanto enimvero rectiùs nos illa de DEO ipso, vero, unicoq;, & Optimo Maximo Geniorum, *vendente* nimirum *omnia bona sua* rectis ac legitimis *laboribus*, quod de fictitiis item Numinibus suis erronei illi enunciabant, intelligemus! Utut enim *per somnum* quoq; *benedicere ac ditare suos* hic Parens omnium noster benignissimus in sacris literis dicatur: neutiquam tamen eo ipso curas, operasq; officii decentes vult exclusas; cum *nec manducare non laborantes* velit Apostolus. Estq; revera hæc genuina illa, ac germana *Fortuna*, quæ *ducem Virtutem comitari*, etiam in Ethnicorum monumentis superstitibus, hinc inde, more proverbii, toties legitur, dictitaturq;. Tametsi nec impium adeò, aut absurdum fuerit, ad *ministratorios* quoq; illos *piorum* in hac vita *Spiritus* auctoramentum aliquod istius sive opulentiæ, sive felicitatis, de qua loquimur, extendi. Etenim si pagani isti, ac profani, tutelares suos, præstitesq; vitæ, & Genios secundos, longe remoti ab oraculorum divinorum lumine vero, perspexerunt, aut veriùs suspicati sunt: cur Angelica nos præsidia, quibus *à vocationis tramite non exerrantes*, vel exorbitantes, *custodiri*, fortunariq; sacra pagina affirmat, dissimulemus impii, aut non deprædicemus ingrati? Nefas sane sit, & indignum vel maximè nomine Christiano, non allectare quoq; eosdem puritate, sanctimoniâ, & castitate omnigenâ velle, modo nec gentilibus, Geniorum suorum cultoribus, incognito, quos *æquales olim*, atq; socios, inter jubila æternitatis *sumus habituri*. Atq; hactenus viam aperuisse, qua etiam *Clariori quocunq; prosequendus encomio* DN. JOHANNES JACOBUS DÆMON, *Utriusq; Juris Candidatus dignissimus*, ad aliquam bonorum honorumq; copiam inter plures inde à puero contendit, sufficeret, nisi præmium Eidem, præconiumq; amplius, amplioris ratio meriti vindicaret. Ille enim, nominis quasi sanctitate stimulatus, cum parum haberet, post natales satis honoratos, Gersheimii, Comitatus Ebersteinensis oppido, à Parentibus Honestissimis, *Dn. Johanne Dæmone, oppidi Præfecto, & Anna* Herwechin, *cive ibidem primariâ*, Anno currentis seculi nono & vigesimo, adeptos, Spiræ primum

tionis annisu, cornu illud, metam pariter, ac illicium suum, incussisse & solicitasse: ad sanctissimum insuper *Justitiæ templum*, quo nomine Legum sacratissimarum Corpus ipse Justinianus Imperator indigitat, animum applicavit; in quo eò usq; devotum se operis indefessis comprobaret, dum *Juris* tandem *Sacerdotibus*, quales Jureconsultos Ulpianus appellat, ipse quoque accenseretur. Obduravit is hactenus tantam in spem animum, nihil omittens eorum, quibus tam beati compos voti redderetur. Et Argentinæ jam quidem, absoluto Philosophiæ curriculo, dicatas Themidi suæ operas non infeliciter, *sub Antecessoribus ibidem longe Clarissimis*, aliquò usq; produxerat: sed pertexere telam ibidem cœptam non licuit, avocato scilicet inde inopinatò ad *Generosissimum, maximeq; Strenuum* Dn. Georgium Fridericum ab HOLTZ, &c. cujus *Filii* unici, paternarum virtutum perquam æmuli, *studiis* privatis *præficeretur*. Itaque hâc ipsâ Ephoriâ conspicuus, Anno 1653. ad nos pervenit, ubi, cui se devoverat, sacro tanta porro diligentiâ est operatus, ut, præviis quibuscunq; meritorum speciosissimis speciminibus, anno antegresso proximè, *Licentiam Supremi*, quem *Legum* sacra norunt, *Tituli*, quandocunque ipsi liberet, solenniter consequendi impetraret. Cujus Tituli plenariam denique collationem, interruptam paullò peregrinationis utilissimo proposito, cum Facultas Ei nostra in diem crastinum destinarit; quem ipsum tori simul genialis auspicem est habiturus: quid obstat, quo minus ipse suus sibi *Dæmon*, isq; *verè* εὐδαίμων, extitisse hactenus, tantiq; nominis vim omnem auspiciis maximè secundis explevisse dicatur nobis, ac laudetur? Sive namq; Platonem audiamus, qui, ex sententia Hesiodi, δαίμονας quasi δαήμονας, hoc est, prudentes & scientes interpretatur; sive, cum Philosophorum vetustate fere omni, ad Deos ipsos vocem extendamus; non solum scientia major esse nequit, quam quæ communi hominum saluti & tranquillitati consulit: sed & majores jamdudum nostri inesse quandam in iis divinitatem putaverunt, qui jus administrarent. Quò illud pertinet, quod de *Jurisperitis inter Deos indigitatis* Cyrillus commemorat. Sed parcimus nimiis laudibus: & Vos jam, *Academiæ Proceres, Civesq; & quisquis*, astitem Numinis, generisq; nostri antistitem, venerandam *Justitiam colit*, ad destinatorum cohonestationem solennium ea, qua par est, observantia & humanitate, non fine reciproci obsignatione studii, invitamus, advocamusque. P. P. sub Sig. Fac. Dom. penult. Trin. Anni M. DC. LX.

Adornabitur ista Festivitas

ACADEMIÆ RECTORE MAGNIFICO

Viro Nobilissimo & Excellentissimo

DN. WOLFGANG-ADAMO Lauterbach/ U. J. D.

& Pandectarum Professore Celeberrimo.

PRO-CANCELLARIO DIGNISSIMO

VIRO

Admodum Reverendo atq; Amplissimo

DN. TOBIA WAGNERO,

SS. Theol. D. & Profess. Celebratissimo, Ecclesiæ Tubingensis Decano, & Jll. Stipend. Superattendente.

DECANO FACULTATIS

ET

PROMOTORE

BURCKHARDO BARDILI,

U. J. D. & Criminalium Sanctionum Professore Ordinario.

DECANUS

ET COLLEGIUM FACULTATIS MEDICÆ

IN INCLYTA TUBINGA OMNIBUS & SINGULIS HAS LECTURIS ὑγιαίνειν.

CRastinus dies *Novello in Arte nostra Doctori* Natalis erit, siquidem & ij, qui honores consequuntur, veteribus nasci dicebantur, ad quem pro more loco horisque solitis celebrandum omnes omnium Ordinum Antistites, Cives, Artisque præprimis servandorum hominum Fautores eâ, qua par est, submissione, observantiâ, humanitate, invitamus, advocamus, expectamus.

Asclepiadem cum Fortuna sponsionem fecisse ajunt, ne Medicus ab ullo haberetur aut crederetur, si unquam invalidus ullô modô fuisset ipse. Græcis istam & Græcorum vicinis suam ostentationem relinquamus. Tali verò experimento probari nec Noster hic, nec Medicorùm ullus, qui quidem sapit, quæret; nec nisi extremè impudens postulare hoc à Medico præsumet. Suo satisfecit Medicus officio, suas præstitisse partes meritò censendus est, si ut sanaret, omnia fecit, ut ut speratus non semper respondeat successus; pro effectu laudabili illi tamen est, omnia attentasse, ut efficeret concupitum. Etiam damnato reo eloquentiæ officium constat Oratori, si omnes lecythos movit, si in omnes partes ingenium versavit. Laus Imperatori quoq; victo, Ducibusque captis redditur, si & prudentia militaris & industria & fortitudo haut infractæ muneribus suis sunt defunctæ; nec minoris æqui conditionis humanæ æstimatores Medici æstimabunt operam, si ægrotandi vel denique moriendi necessitati eripere vel se vel alios, quorum sors urna exijt, foresq; fata pulsarunt, non potest; nec enim ulla hoc humanâ ope effici potest, nec ut posset, summus mortalium Præses voluit. Lapidem Philosophorum, quô unicô omnes morbos, an & mortem? ut unicô lapidis Davidici ictu integra Philistinorum agmina, profligare quidam satagunt, Chimicorum furnuli ab annis jam vix memorandis anxiè, sed sine successu, parturiunt: at præter sudorem & negotiosam inopiam hactenus obstetricantes aliud laboris præmium non abstulerunt, interim incerti thesauri fascinati spe certa insumunt, καταναλώσαντες τὰ φανερὰ τῶν ἀδήλων ἕνεκα, ἃ μὲν ἔμελλον, οὐκ ἔλαβον, ἃ δὲ εἶχον ἀπέβαλον, ut verbis dicamus *Demetrii Phalerei*. Longè alio voto fatoq; feliciori, hic, qui nunc commendandus nobis venit, Candidatus noster, Nobilis & experientissimus DN. BALTHASAR ERHARDUS, suum olim Medicinæ nomen dedit, longeq; melioribus instructus armis serijs in posterum cum morbis pugnis admoveri cupit. Hic Divinâ obstetricante gratiâ annô post millesimum sexcentesimum, trigesimo nono primùm vitalem lucem hanc in Imperiali Memminga aspexit, *Patre* quidem *Viro* admodum Reverendo & Præcellentissimo *Dn. M. Johanne Erhardo*, prælaudatæ Reip. Ecclesiarchâ, dignitate, cum viveret, summâ, æternâ nunc laude celebratissimô; *Matre* verò familiæ omniumque matronalium virtutum splendore etiam post fata conspicua, *Helena*, ex *Funciorum* familia oriunda, natus: imbibitis à prima statim ætate veræ pietatis succis, jactisq; fideliter humaniorum disciplinarum in patria Schola fundamentis, adolescentiæ jam spatia ingressus, uberrimôq; erudi-

feliciter pergeret, spemq; optimorum parentum de se conceptam alerat & impleret; nec fefellit; humaniora enim non modo & Philosophica, sed & Medicum, cui se naturæ ductu totum dederat, studia eo fervore ursit, ut annô pòst 1658. in felicius Artis suæ aucupium almam hanc Tubingensem ingressus, non modò inceptam studiorum telam ex voto produxerit, sed & eò usq; divinâ afflante gratiâ pertexerit, ut tandem sub anno 1661. editis solitis iisq; egregiis tum privatis tum publicis eruditionis speciminibus omnium votis & acclamationibus summis honoribus maturus dignissimusque judicaretur, proclamaretur. Nec his tamen sciendi cupidus animus satiebatur; sed cùm non uno strangulatum loco, sed per universum orbem Christianum diffusum nosset, quod solitam scientiam appellamus, præsertim Medicam, cum *Hipp. & Galeno* Artis parentibus peregrinandum sibi duxit, ut collectis hinc inde diffusissimæ Scientiæ aristis magnum Artis Cumulum domum reportaret, divitemq; aliquando cum fœnore messem experiretur. Ad Patavinum itaq; Gymnasium, Medicorum Palladium, ivit, Practicorumq; Excellentissimorum adjunctus lateri ut Artis pericula faceret, & exercendo experimenta maturè caperet, operam sedulam dedit, conatu ne an successu felicior, eventus loquatur. Ita enim his animi sui mercibus redux in omnium animos & oculos influxit, ut jã ab Inclyto Augustano Magistratu Medici Lazarethani functione dignatus fuerit; cui dum se nunc parat, ne Gratioso ibi Medicorum ordini, nec alijs, quibus nuda virtus suspecta propemodum est, deesset, ad capessendos *Honores in Arte Summos* suisq; meritis dudum debitos crastinô, si DEUS volet, die se accinxit. Adeste, quæsumus, qui saluberrimæ Arti favetis, & sub reciproci nostri officii sponsione *Novis Honoribus* certatim acclamate ***FELICITER***! Tubingæ sub sigillo Facultatis, Dominica Exaudi anni Christi cIↃ IↃcLXIII.

Celebrabitur supra intimatus actus

MAGNIFICO ACADEMIÆ RECTORE

DN. BURCKHARDO BARDILI, J. U. D. & Professore.

Cancellario Dignissimo
DN. TOBIA WAGNERO,
SS. Theol. D. Prof. & Ecclesiæ
Tubing. Præposito.

Decano Facultatis
GEORGIO BALTHASARE
METZGERO Med. D. & Prof.

Promotore
DN. JOHANNE CONRADO BROTBEQUIO Med. D. & Prof.

DECANUS
ET COLLEGIUM FACULTATIS JURIDICÆ IN ACADEMIA TUBINGENSI
LECT. SAL.

QUem titulum *Plato*, Atticus Philoſophus, inter honores innumeros, qui & vivo, & mortuo, decernebantur olim, obtinuit, ut ab incomparabili quodam ſentiendi, ſapiendique, docendi item, ac dicendi genere *divinus* appellaretur: is quin & Themidos divinæ myſtis illis, ac ſacerdotibus venerandis, æqui & iniqui arbitris, *Iureconſultis* ſuo modo competat, dubitari neutiquam debet. Etenim, ut de *legum* ſacratiſſimarum *origine* nihil quicquam hic commemoretur; quam omnis tamen retrò ſapientum conſenſus, ipſaque adeò *Nomothetarum conſuetudo* perpetua *ad Deos retulit*: certè non niſi pro *divino* quodam *dono* ac munere, ſingulari gratiâ orbi terrarum conceſſo, proque *DEI* adeò *vicariis*, habendi meritò illi videntur, quorum ſe curæ operæque inſignes *in ſalutem hominum*, in tranquillitatem nationum ac rerumpublicarum omnium, efficaciſſimâ undique vi atque *incrementis* verè *divinis* diffundunt. Quid enim illuſtrius, quid in communem uſum convenientius, quid *DEO* ipſi *proprium magis* ac familiare, quàm, quod faciunt illi, tueri inſontes, oppreſſos vindicare, diſſidentes componere, *rectum atq; juſtum* unicuique, quaſi ad lancem aliquam, aut ulnam ſanctiſſimæ æquitatis *appendere, vel admetiri?* Tolle hos velut turbarum ac tumultuum publicorum fortiſſimos obices; hæc legum verendarum robuſta quaſi repagula: quid niſi odiis, ac diſſidiis, niſi fraudibus, cædibusque, niſi vi, & cyclopicâ verè immanitate compleri omnia ſenties illico, ac quaſi dilacerari, dilaniarique? Quocirca & pro ſtabiliendâ populi olim ſui republica DEUS, *Habetis*, inquit, *Aaron & Hur vobiſcum: ſi quid natum fuerit quæſtionis, referetis ad eos.* Et ipſum ideò, niſi fallor, *jus à juvando* aptiſſimè deductum dicetur; cum nihil adeò omni in vita mortalibus tantum adjumenti præſtet, ac ſedula, & immota juris cuſtodia. Sanè & *Iovem*, ſummum juſtitiæ præſidem, ab hoc præcipuè munere appellatum opinamur: & de *Ivone*, Phœnice *Iurisperitorum*, & *ſacro Antiſtite*, eandem jam originationem veteres adſtruebant, ut juvandi ſcilicet in utroque generis humani vis, & facultas quædam inſignior vel ex ipſis illico nominibus innoteſceret. Jam neque hoc ad arguendam in Jurisprudentibus divinitatem parum facit, quod *iisdem cum DEO* ac Servatore noſtro *appellationibus* Sacra in Scriptura gaudent. Neque enim minus hic ſe *advocatum & patronum*, hic *patrem* ſe *orphanorum, ac viduarum judicem*, quam illi, vocat. Quid quod *Iuſtinianus* ipſe, cum juris à ſe digeſti corpus, *juſtitiæ templum*; cumque eo *Vlpianus*, cum Jurisconſultos *juris ſacerdotes* appellant, non niſi rem omni ex parte *ſacram*, *Iurisprudentiam*; *ſanctos* autem, & quaſi propiùs à DEO inſpiratos, *juris* adminiſtros atque *præſides* innuunt? Quare & majorum ea jam noſtrorum fuit opinio, ut *divinitatem* in iis aliquam eſſe crederent, qui *juri dicundo* præeſſent. Poſſentque citari huc inſuper, ſi opus foret, *Sanctorum*, quæ alibi extant, *elogia Iurisperitorum*, atque illi inprimis, quos inter Deos indigitatos Cyrillus memorat, ne tritum hoc objiceretur ſcilicet:

Cauſidicum in cœlis unum, inquit Paulus, habemus:
Præter eum num qui ſunt ibi Cauſidici?

Sed abſit in re manifeſta ulterior prolixitas, & inter *Ioves* quaſi hujusmodi, interque *divinos*, non quidem Platones, ſed *Paulos, & Vlpianos*, etiam *meritis* nunc, atque *virtutibus* undiquaque *ſuis Nobilem ac Præcell.* DN. ABRAHAMUM PLATONEM, *Dicaſterij, quod Libera & Auguſta S. Romano-Germanici Imperij Respubl. Ratisbonenſis habet, h.t. Advocatum Solertiſſimum*, publicâ ſolennitate in DOCTOREM JURIS UTRIUSQUE craſtinâ luce inaugurandum, recenſeamus. Is ſanè, ſi aut ex ambitione Medicus olim *Menecrates*, aut ſuæ beneficio præſtantiæ *Plato* Philoſophus, ſupra humanum quaſi vulgus eminuerunt, non minus eò ſe jam pertingere faſtigii & ipſe, quod gaudeat, habet; & nos, quod ipſi gratulemur, habemus. Atque agite, ne, tanti quisquam nomen elogii, vocemque *divini Platonis* de ipſo inaudiens, quod *Alexander* olim ad militem cognominem, *Aut mores muta, aut nomen*, oggerat ei: antecactæ tramitem vitæ, quo ad hunc usq; dignitatis verticem ſtrenuo hactenus graſſatus paſſu eſt, idque in ἀγλαΐᾳ quadam divini Platonis, & quaſi radiis laudum repercuſſis videamus. Equidem Athenienſem illum Platonem *partu virgineo* veterum monumenta inſigniunt; ut quem mater Perictione, Apollinis oppreſſa phantaſmate, genuerit. Sed, fide iſtâ ſuis autoribus relictâ, *Candidatus* potius *Noſter*, quos non minus verè, quam glorioſè alleget, Parentes habet: *Patrem* nempe, cognominem ſibi, ABRAHAMUM PLATONEM, Virum Nobilem, & multa rerum experientiâ, famæque calculo candidiori *Inſignem*, è Dantiſco, ocello Boruſſiæ, primitus oriundum; deinceps *Per-Ill. duorum* BARONUM à Ræ[illegible] / itemque *Generoſi* pòſt DN. CHRISTOPHORI LUDOVICI WEISSII, à [illegible]

... LUDOVICI WEISSII, à Walsee/ & Wirthing/ *Ephorum Spectatissimum*; atque *Indigenam* tandem inclytæ *Ratisbonæ Famigerabilem: Matrem* autem EVAM ROSINAM, *Matronam* sui sexus ornamentis *Pereximiam, Ampl. Viro* CHRISTOPHORO Faschang/ *Secretioris*, qui *Welsæ*, oppido Austriæ, est, *Senatus*, progenitam. Ex his Parentibus postquam A. 1636. die 3. Jun. natus is esset: simul per ætatem licuit, à Matre (nam Patrem vix bimulus fato amiserat) post curam pietatis, intimiori Musarum commercio, non sine quibusdam *apum* velut *Platonianarum* ominibus, datus, destinatusque est. Cui commercio ritè primùm in patrio Gymnasio initiatus, post jacta ibidem doctrinæ elegantioris fundamenta solida, de suasu & consilio *magni* VARNBÜLERI, *Ducalis*, quem Wirtembergia tum celebriorem habebat, *Consiliarij*, Affinis sui, in locum parentis æstimandi, Academiam hanc nostram A. 53. appulit: inque ea probitatem, industriam, modestiam, probans undique, quod *monumentum primò omnium parandum* sibi Plato inclytus ajebat, *nomen* sibi, paravit; *veritatem* inprimis, tanquam *omnium*, de Platonis ejusdem judicio, *bonorum ducem*, sectatus. Et Platonis quidem pro excolendo ingenio, quà domi, quà peregrè, navitatem historia omnis celebrat. Estq; inprimis discendi quidam, sciendique in eo ardor omni seculo memorabilis; quem & ultimum sub agonem, *Sophronis* adhuc *habens sub capite*, quos legeret, *numeros*, designavit. Sed neque minus Noster, integrum fere per sexennium hîc degens, studiaque, cum Philosophica, tum Juridica, & hæc inprimis quidem, quà publicè, quà privatis in Collegiis, tractans, diligentiæ eam undecunque laudem suæ acquisivit, ut, quod Plato *Clario* quondam *Antimacho*, suam Thebaida legenti, propterque prolixitatem deserto ab omnibus, fuit, esse non rarò *unus instar omnium* posset. Fecit ea diligentia, ut, si Plato quoq; suis olim, qui notissimi sunt hinc inde, denique maturuit honoribus, cum præsertim *omnium ad se ora in Olympiis converteret*, & Noster hic *Brabeo*, quod intendebat, *suo* magis magisque indies approximaret. Hinc, postquam A. 58. habita priùs *Disputatione de Actione Injuriarum Recantatoria*, jussu Dn. Matris hinc migrasset, & anno sequente Spiram, praxeos cum theoria conjungendæ, processuumque Cameralium apprehendendorum gratiâ abiisset; quâ in re ducem præclarum, *Famigeratissimum* illîc Advocatum & Procuratorem *Dn. D. Paulum Gambsium* (hoc enim præprimis familiariter ibidem usus fuit) habuit: anno elapso proximè inter patriæ primò Advocatos ascitus, apertum mox sibi apud *Magnificum* ejus Reipublicæ *Senatum* ad Honores *Amplissimos* gradum vidit; quibus ut dignior adeundis rediret, huc pro sumenda nuper sacræ *Themidos infula* accessit. Destinavimus isti *Solennitati*, quam debere nos Eidem pro illustribus meritis, etiam pridianâ *de Officio Iudicis Nobili Disputatione*, contestatis, fatemur, diem D. v. crastinum. In quo ut PLATONEM hunc *Nostrum*, *prisci* illius, *legibus* suis, & *civitate formandâ* celebrati, non proletariè *æmulum*, *Patres, Fautores, atque Cives Academici*, singulariter singuli Honorandi, vultu pro more, plausibusque, & votis, undique faustis, piis, propitiis, mactare & condecorare velitis, eo, quo fas est, studio & affectu contendimus. Dab. Tubingæ, sub Facultatis Sigillo, Dom. XXIV. Trin. M. DC. LXII.

Celebrabitur hic Actus

RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICO,

Viro adm. Reverendo, longeque Præclarissimo,

DN. JOHANNE ADAMO OSIANDRO,

SS. Theol. D. ac Prof. Publ. Celeberrimo.

PRO-CANCELLARIO DIGNISSIMO,

Viro perquam Reverendo atq; Eminent.

DN. TOBIA WAGNERO, SS. Theol. Doct. ac Prof. Controversiarum Famigeratissimo, Ecclesiæ Tubingensis Præposito, ac Stipendii Ducalis Superintend. Gravissimo.

DECANO, ac PROMOTORE,

DN. BURCKHARDO BARDILI, U. J. D. & sanctionum Criminalium Prof.

DECANUS
ET COLLEGIUM FACULTATIS THEOLOGICÆ IN UNIVERSITATE TUBINGENSI,
LECTORIBUS SALUTEM.

AMORE plenissima est allocutio, quâ Christus Salvator agnos & oves suas Apostolum Petrum, Ioh. 21. v. 15. 16. trinâ vice pascere jussit, inquiens: Βόσκε τὰ ἀρνία μου, *Pasce agnos meos*; & iteratò; Ποίμαινε τὰ πρόβατά μου, *Pasce oves meas*: Quo quidem tergemino præcepto Petro Monarchiam in Universam Ecclesiam à Christo collatam esse, Iesuitæ eo fine contendunt, ut eandem pari ruditatis grossitie Vejovi suo Romano his argumentis vindicare possint; *quia soli Petro Christus hanc pasturam commendet, verbumq; pascere hanc Monarchicam omnipotentiam arguat, ac per agnos & oves Christi indefinitè nominatas Universa Ecclesia sit intelligenda; & in his omnibus Petro succedant Romani Pontifices*: Quasi inferrent, tergeminum baculum stare in angulo. Quod enim consequentiæ cadaver hoc est: *Petrus trinâ vice, ut agnos & oves Christi pasceret, fuit jussus*: Ergò *Petrus constitutus fuit Monarcha Universæ Ecclesiæ?* Nihil ne causæ subesse putemus tergemino huic præcepto, quàm œcumenicam super Ecclesias jurisdictionem, & potentiam? Quid, si ideò ita inculcasset Christus, *ut ostenderet, quantam ovium suarum curam faceret?* quæ est expositio Chrysostomi: vel *ut benè inculcaret, quales esse velit Magistros ac Doctores, quos hîc orbi daturus erat*, ut Theophilactus explicat: vel *ut amoris Petri in Dominum Professio trina interrogationis solidata redderetur mysterio*; ut exponit Leo M. *vel ut trina negatio æquali confessionis numero compensaretur, ac ternâ confessione trina negationis delictum evacuaretur*, ut interpretantur Cyrillus, Pelusiota, & Ambrosius; vel *ut Apostolus admoneretur, quod pascere debeat doctrinâ, vitâ & exemplo*, quæ est Augustini expositio; & ut alii aliter; nedum, ut Apostolus στεφανηφόρος Pontifex, œcumenicè Ecclesiæ imperans, hoc tergemino præcepto Christi fuerit constitutus; *quia*, iterum dicente Augustino, *cùm ei dicitur, ad omnes dicitur; Amas me? pasce oves meas.* Quid porrò absurdius, quàm pro obtinendo statu Monarchico in verbis βόσκειν & ποιμαίνειν, hoc est, *pascere* subsidium affectare, ac si id tantundem esset, ac *regere*, aut *regio more præsidere?* quod juxta nativam significationem nihil aliud est, quàm *alere, cibum ac nutrimentum administrare*; nutrimentum nempe animæ, *divinos sermones, & cibum æternum*, ut iterum Patres, Basilius Seleucensis, & Cæsarius, Scripturâ, Ezech. 34. v. 8. cap. 37. v. 24. Ier. 3. v. 15. Esa. 40. v. 11. Actor. 20. v. 28. Ephes. 4. v. 11. 1. Petr. 5. v. 1. 2. ita illis prælucente faculam, hunc sensum confirmant; qui à Iesuitarum sensu Monarchico tàm procul abest, quàm abest regnum de hoc mundo à regno Christi; imò lux à tenebris, Christus à Belial. Et tandem quâ fronte ex indefinitâ agnorum & ovium Christi nominatione œcumenica super Ecclesias potestas vindicatur Petro, ut vindicetur Pontifici, cùm tamen constet, eandem omnium gentium, omnisque creaturæ pasturam tàm reliquis Apostolis, quàm Petro à Christo commissam fuisse, cum illi *omnes gentes docere*, Matth. 28. v. 19. *Omnique creaturæ Evangelium prædicare*, Marc. 16. v. 15. hoc est, ad indolem præsentis textus, eas *pascere* juberentur. Transeant igitur hi Iesuitarum stantes baculi in angulo; genuino sensu verborum Christi de pastura ejus agnorum & ovium extra omnem dubitationis aleam posito, tum demum Petrum, quòd Christum sincerè amet, demonstraturum, si agnos & oves, hoc est, *gregem Christi non coactè, sed spontaneè secundum Deum, neq; turpis lucri gratiâ, sed voluntariè, neq; ut dominans in cleris, sed forma factus gregis ex animo paverit*; ut ipse Petrus verba Principis pastorum 1. Epistol. c. 5. v. 3. 4. optimè interpretatur: innuendo triplex, juxta regulam Augustini & Lyræ pabulum; *Verbum veritatis*, ex solis Scripturis, *quæ*, ut Ambrosius ait, *populum audientem saginant*, desumptum; *Vitæ exemplum*, quia iterum dicente Augustino, *nunquam fit efficax prædicantis autoritas, nisi eam effectu operis cordi affixerit audientis*; *Et temporale subsidium dilectionis*, quâ ipse Christus cum ejus grege ad pectus pastoris premitur. Quorsum hoc, devotè ac benevole Lector? Vt constet, quantæ molis officium sit, agnos Christi in Scholis, & oves in Ecclesiis verbo, vitâ, & dilectione pascere; *Officium*, inquam, *quo*, dicente Augustino, *in hac vita, & maximè hoc tempore nihil difficilius, laboriosius, periculosius*, sicut multas ob causas, ita, ut reliquæ omnes in præsens transeant, inprimis ob corruptissimam hominis, pasturam animæ fastidientis, tergumque pascentibus se vertentis naturam; ut facilius sit bubulcis in boves, equariis in equos, adeoque omnibus, quos pastores dicimus, in illæc animalia, quibus præsunt, imperium, quàm pastoribus hominum in homines, quia, sic observante Xenophonte l. 1. Pæd. Πάσας ταύτας τὰς ἀγέλας ἐδοκοῦμεν ὁρᾶν μᾶλλον ἐθελούσας πείθεσθαι τοῖς νομεῦσιν, ἢ τοὺς ἀνθρώπους τοῖς ἄρχουσι; hoc est: *videmur videre, greges hos omnes lubentiùs suis pastoribus parere, quàm homines magistratibus*: Id, quod imprimis agnorum ac ovium pastores in Scholis ac Ecclesiis experiendo discunt, quando juxta *virgam*, ut est apud Prophetam, *amabilem*, quâ morigeros dirigunt, etiam *virgâ doloris* præfractos percutiunt, ne dissoluti pessum eant, suisque exemplis etiam partem corporis sinceram in nassam perniciei trahant; quorum intuitu *Episcopi*, hoc est, agnis & ovibus Christi in Scholis & Ecclesiis Superintendentis *nomen plus operis, quam honoris sonat, ut plus mœroribus afficiatur, quàm honoribus gaudeat*, ut Rationale divinorum officiorum lib. 2. de Episcopo scitè definit. Talem agnorum & ovium pastorem se hactenus DEO, Ecclesiæ, Principi, ac Universitati nostræ non sine singulari laude, favente divinâ gratiâ, stitit Vir admodum Reverendus, & Dignissimus, DN. M. CHRISTOPHORUS Wölfflin/ Ecclesiæ nostræ Ecclesiastes, ob facundum divini verbi eloquium Auditoribus oppidò acceptus, Ducalis Stipendii Superintendens vigilantissimus, ac Professor Theologiæ in Universitate extraordinarius, Collega noster dilectissimus; quem non est, ut laudemus verbis, qui se hactenus in officiis gravibus integrum quadriennium Ecclesiæ ac Universitati nostræ ipsis factis graviter commendavit, ut ex fructibus pronum sit de arbore judicium ferre. Natus is est Kirchemii anno 1625. octobr. 23. Parentibus perhonestis: Patre Reverendo Viro, *Dn. M. Georgio VVölflino*, primùm Kirchemii Diacono, pòst pastore Owensi: Matre verò *Catharinâ*, ex Tritschlerorum familiâ oriundâ: quos noster anno ætatis nono, Christi verò 1634. fato lugubri, Matrem quidem peste, patrem verò tragico trucidationis casu amisit, cùm is amissâ ad Nordlingam Evangelicorum victoriâ Nirtingam, ut animam

violati exemplaris adhuc testimonium loquitur: cujus anima sine omni dubio in cœlo subtus altare juxta reliquas interfectorum animas adhuc vindictam sui sanguinis flagitat: quem casum noster in Christo, tandem etiam ipse ἐν ἁγίοις, frater *Eckhardus*, sequenti Epigrammate expressit!

Quo fuga te duxit, fugitivi terminus ævi
Hic, quanquam fovit spes meliora, fuit.
Nam postquam irrupit furiis accensa latronum,
Insontum nulli parcere sueta cohors:
In manibus fuerant, (sed dudum mente reposta)
Exilii fidus, Biblia Sacra, comes:
Et quantum omen inest! digitis, moribunde, notâsti
(Pagina quod nobis sparsa cruore probat)
Tarsensis pugnam, quam depugnaverat olim
Felicem, cujus justa corona comes.
O fervens studium, sic Biblia volvere Sancta,
Ut proprio signes sanguine lineolas.

Sit B. Martyris memoria in benedictione, jugiter deducenda in Reverendum Dn. Candidatum, unicum ejus, quem reliquit, filium; de cujus educatione ex educato judicare pronum est, cùm is absoluto in Illustri Stipendio studiorum cursu Heydenheimii, Oberkirchæ, ac bis Stutgardiæ Ministerii vices, ut ut juvenis, singulari dexteritate egisset, tandem anno 1651. Uracensis, anno 1657. Tubingensis Diaconus, anno 1659. in Illust. Stipendio Magister Domus, & Græcæ Linguæ Professor, & vel tandem anno 1660. Professor Theolog. extraordinarius, ordinarius autem Ecclesiastes, & Illustr. Stipendii Superintendens, utrobique spirantibus legitimæ vocationis favoniis, fuit factus, ut ulteriori laudatione modestiæ optimi Candidati meritò parcamus, quia cumulatæ promotiones, quæ se velut undæ invicem truserunt, testimonia in solis mensâ exponunt, Dignissimum esse, & meritissimum, cui summi in Theologia honores, ad quos assumendos statuta ejus modestiam adigunt, conferantur; quod in crastinum, die nempe 29. Iulii, in aulâ Theolog. novâ, dato signo horâ 9. solenniter incipiet fieri: cui solennitati ut frequentes intersint omnes jurisdictioni nostræ subjectos seriò monemus, de reliquarum verò Facultatum Dns. Professoribus ac Studiosis, quin sponte suâ affuturi, & prospera quævis Reverend. Dno. Candidato apprecaturi sint, tàm non dubitamus, ut exorandos esse vix putemus. Datum sub Sigillo Facultatis nostræ, die 28. Julii, anno 1661.

Peragetur hic ACTUS, RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICO,

VIRO NOBILI, EXCELLENTISSIMO, ET CONSULTISSIMO,

DNO. JOHANNE GRAVIO, Utr. Jur. Doctore, & Pandectarum Professore Celeberrimo.

PRO-CANCELLARIO DIGNISSIMO,

Viro plurimùm Reverendo, & Amplissimo,

DN. TOBIA WAGNERO, SS. Theolog. Doctore, Controversiarum Professore Celeberrimo, Ecclesiæ, ut & p. t. Facultatis Theolog. DECANO, & Illustr. Stipendii Superintendente vigilantissimo.

PRO-DECANO, ET PROMOTORE,

Viro Reverendo admodùm & Excellentissimo,

DN. JOHANN-ADAMO OSIANDRO, SS. Theologiæ Doctore, & Professore Ordinario.

TUBINGÆ, TYPIS exprimebat THEODORICUS WERLIN, ANNO CIƆ IƆC LXI.

DECANUS
ET
COLLEGIUM FACULTATIS JURIDICÆ TUBINGENSIS

Suo Lectori Salutem.

INter ætatis hæc nostræ blandissima etiamnum halcyonia, non pace tantum, pacisque desideratis peregrè rumoribus, sed rerum quoque copiâ optabili, & commodâ aëris salubritate, fœta ac fœcunda, qui aut superiorum turbas temporum ingratus obliviscitur, aut præsentem, quantum in se est, stabilire felicitatem impiè securus negligit: næ is, cui aurum omne seculi in durissimum ferri rigorem commutetur, longè dignissimum se exhibet. Et tamen quantilla hæc forent, nisi purioris insuper è cœlo doctrinæ, fideiq; cultus; nisi vigor, flosque artium liberalium; nisi æqui & recti inter homines, quantum fert quidem non communis tantum imbecillitas, sed & vergentis in senium mundi languor, inæstimabilis momento pretii accederent! Constat opinor hîc, quantum de tanti ubertate boni optimè inprimis constitutæ Scholæ sibi vendicent meritò. Pone enim, male sit istis reipublicæ omnis seminariis; docentium discentiumque conspirantes invicem operæ dissolvantur, ac marcescant; nullo vel pœnarum metu, vel spe honorum, pulcherrima sapientiæ ac virtutum exsuscitentur ac foveantur germina: quid nisi mera, miseraque rerum, etiam per externæ illam beatitudinis apparentiam, desolatio consequetur? Nec vero, quantum cæteræ artes ac facultates, quæ tradi inter pulpita scholastica solent, emolumenti, ad politiam communem, cœtusque hominum juvandos, vel ornandos, conferant, prolixiùs modo recensemus. JUSTI saltem & ÆQUI notitiam, quam Jurisprudentiæ acceptam ferimus, annon pro vinculo quodam societatis humanæ, invento divinitus, ac commonstrato, ducendam meritò arbitrabimur? Hinc sane esse, ac sustentari, quicquid in republ. firmum, in ædibus privatorum incolume, in foro pacificum, in templis pium, in arcanis denique penetralibus devotum ac quietum sese continet, fateamur necessum est. Quare non maximus tantum Philosophorum, *sine Jurisconsultis civitatem rectè gubernari posse* negat: sed Patavinus quoque scriptor, *nulla re alia, quam legibus, coalescere unius in populi corpus multitudinem posse*, disertè affirmat. Atque hæc causa est, cur & *reginam virtutum* Justitiam vulgò appellemus: & *regiam virtutem* Plato dixerit dudum; quod scilicet ejus *à regibus inprimis cura*, Valentiniani Imperatoris asserto, *flagitetur*: tum vero ne consistere quidem sine eâ regna possint, ut quorum fulcrum quoddam, seu, ut Augustinus loquitur, *columen unicum* Justitia est. Habent proinde cur inter nos quoque, de impenso hactenus Legibus sacrosanctis studio, Earundem CANDIDATI Insigniores, VIRI à literis præterea melioribus, moribusque vel maximè Commendabiles, DN. ERICUS MAURITIUS, & DN. GEORGIUS ULRICUS RüMELIN, sibi gratulentur; habemus inquam, cur & nos ipsis. Non sine spe certe eximia fructuum, in omnem posthac vitam communem, divinâ aspirante gratiâ, derivandorum, ad SUMMI, quem novit Facultas nostra, HONORIS apicem dies Eos crastinus, quod ita, & pro voto secundet DEUS! videbit evectos. Et alterum quidem, DN. MAURITIUM nempe, quod & Schola hæc nostra Ordini jam, qui Legum est, Professorio, sic annuente SERENISSIMI PRINCIPIS AC NUTRITII NOSTRI placito, allegerit, id vero vulgo nuper innotuit. Sed quo circo tamen studiorum suorum ad hanc usque metam nobilem pervenerit, ne sicco, quod ajunt, pede prætereamus, è re omnino erit. Editum ergo in has auras vitales Itzehoæ, non ignobili Holsatiæ ad Storam oppido, Anno supra Millesimum ac Sexcentesimum trigesimo secundo, Parentibus Laudatissimi nominis, hodieque DEI munere eximio superstitibus, Patre nimirum Viro Nobili & Consultissimo, DN. ERICO MAURITIO, tum Urbis Consule, deinceps Consiliario SERENISS. PRINCIPIS AC DN. DN. JOACHIMI ERNESTI, Hæredis Norvegiæ, Ducis Slesvici ac Holsatiæ, &c. Matre autem MARGARETA Matrona lectissima, ac omni virtutum genere ornatissima, primis literarum rudimentis, post trivialem in patria, Hamburgensis cum schola, tum Gymnasium excoluit. Inde inclyta Witteberga ad triennium qua Philosophicis, qua Legalibus insigniter [illegible] ad Annum M. DC. XLVIII. fovit, rem attestantibus Disputationibus, sub Præsidio ut aliorum, ita inprimis Magnifici Viri Augustini Strauchii, Electoralis modo

ſtudiis eruditum ab Anno M. DC. XLVIII. fovit, rem [illegible] ad Deputationum Comitia Legati, habitis. Unde in ſeſquiannum Gieſſæ ſuam egregiè induſtriam cum probaſſet, extante item in rei fidem Exercitatione, de Abolitione, Juridica, ſub Nobili Conſultiſſimoque Dn. Gregorio Tulsnero, Conſiliario Darmſtadino ac Prof. Gieſſenſi, publicè vulgata: huc delatus, pro Summis in Utroque Jure Honoribus, A. M. DC. LIV. Præſide Celeberrimo noſtro Lauterbachio, habita Diſputatione, facultatem eosdem primo quoque tempore capeſſendi, unanimi Ordinis noſtri ſuffragio, ob ſingulares ingenii dotes abundè promeruit. Sed in patriam paullo pòſt revocatus, ſupra dicti SERENISS. DUCIS FILIO CELSISSIMO, CAROLO HENRICO, ad morum ſtudiorumque gubernationem præficitur, cumque Eo Viennam ad Imperialem aulam dimiſſus, Glorioſiſſimæ memoriæ IMP. FERDINANDO III. aliisque Principibus, atque aulæ Primoribus, ſtudia agens PRINCIPIS ſui, innoteſcit. Atque hinc, luſtratâ primùm Hungariæ parte ea, quæ Chriſtianos ritus ſequitur, per Bohemiam, Holſatiam repetit. Ubi cum ſubſtitiſſet parum, per cultiſſimas Uniti Belgii Provincias, Galliam adit, Lutetiæque, inſtructiſſimarum Bibliothecarum, Virorumque Celeberrimorum copiâ illectus, per ſolidos quindecim menſes commoratur: indidemque per repetitam denuo, bellicis tum calamitatibus afflictam, patriam, Heidelbergam ſe confert; ubi binis Collegiis, juris publici, Pandectarum uno, ac alio itidem Proceſſus prima rudimenta explicante, cum jam LL. Studioſæ Juventuti operam impendiſſet, ad nos divino ſic præeunte nutu ac regimine, ad Ordinariam Juris Profeſſionem evocatur. Jam & alterum DN. CANDIDATUM ne indictum patiamur, quod fieri contractiùs, utpote in re nota, poterit: familia is gaudet inter noſtrates cumprimis Eximia. Patrem quippe habet Præclariſſimum Virum DN. BURCKARDUM RüMELINUM, Supremi Dicaſterii Wirtemb. Advocatum, ſanctâ canitie venerandum: Matrem autem ſumma laude conſpicuam, SABINAM, Mathematici quondam inter nos Celeberrimi Mæſtlini filiam. Jactis in triviali Anatolica artium fundamentis primis numero Studioſorum A. M. DC. XLI. aggregabatur; quos inter A. XLIV. primâ Laurea condecoratus, exacto Philoſophiæ curriculo, Jurisprudentiæ A. XLVII. animum applicat; cujus eâ ſorte decurrit ſtadium, ut, poſitis ſolidè fundamentis, habitaque A. LIV. De Actionibus Realibus Diſputatione publicâ, & ſolenni, Advocatis ſupremæ, quæ hîc eſt, Curiæ aſſciſceretur. Hanc etiamnum ſtationem tuetur naviter, non ſine Collegiorum, aliquoties pubi Juridicæ apertorum encomiis. Sed & nuper, habitâ item Inaugurali, Licentiam, quandocunque liberet, ſummos in Facultate noſtra pariter amplectendi Honores à Collegio noſtro facile impetravit. Utriusque porro ut in reportandis Honoribus Feſtivitas illuſtretur magis, omnes Literatæ hujus Tubingæ Ordines, cultu, ſtudioque ſingulis decenter devoto, ad horam Craſtini matutinam Septimam, & ore tum, votisque benevolentiam exſerturos, invitamus, advocamusque. Sub Sigillo Fac. P. P. Dominica Miſericordias Domini, M. DC. LX.

Academiæ Rectore Magnifico,

DNO. JOHANNE ULRICO PREGITZERO, S.S. Theol. Lic^to.
Ethices Profeſſore Ordinario, & Facultatis Philoſophicæ t. t. Decano Spectatiſſimo.

PRO-CANCELLARIO
DIGNISSIMO,
VIRO
Admodum Reverendo & Ampliſſimo
DNO. TOBIA WAGNERO,
S.S. Theol. D. & Prof. Celebratiſſimo,
Eccleſiæ Tubingenſis Decano, & Illuſtris Stipendii Superattendente vigilantiſſimo.

DECANO FACULTATIS,
ET
PROMOTORE
JOHANNE GRAVIO,
U. J. D. & Prof. Practices
Ordnario.

Typis CELLIANIS, ANNO M DC LX.

DECANUS ET COLLEGIUM FACULTATIS MEDICÆ IN TUBINGENSI ACADEMIA

Lectori Salutem!

VSq; adeo ſterilis oculorum voluptas mortalium occæcavit magis, an dementavit animos, ut rerum in ſuperficie colorem, quam reconditum virtutis calorem & valorem longè pluris æſtiment. Id unico è multis florum exemplo obvium eſt. Quid nempe aliud ſunt, quam miſerum immitis Boreæ ſpolium, fugaciſſimæ veris & oculorum delitiæ, pompoſa luxuriæ vexilla, vana voluptatis ſpecula, pictæ vanitatis ſtatuæ? Et paucis, quid aliud ſunt, quam pulchrum in hortis nihilum? At quid inde? Nihiloſecius homines reperias, qui flores ceu conſortem momentaneæ vitæ ſuæ plebeculam, immani pretio hinc inde conquirunt, ultráq; meritum ſanè ac debitum colunt & nutriunt. A qua culpa nec Lipſius immunem ſeſe profeſſus eſt, ſcripſit enim: *Cariores ſibi Tuliparum ſelectarum bulbos ad ſe miſſos fuiſſe, quam globuli totidem aurei.* Alibi autem reſipiſcens, ſemetipſum cum aliis Floræ corrivalibus his redarguit verbis: *Quid dicam? nil niſi hilarem inſaniam eſſe, nec abſimilem illi puerorum pallentium & rixantium circa pupas ſuas & ſigilla.* Faſtiditis itaq; immodeſtis, iniquis, ſtultisq; amoribus illis, ab ancilla ad Penelopen redite. Sequimini ergo poſthæc, prævium rurſus in florida ſua tempe Lipſium, nonniſi ad animi relaxationem, ad meditationem, ad lectionem & ſcriptionem, unde fiatis docti. Aut quod melius atque utilius, comites adeſte Æſculapio, ad ſalutiferas florum vires cùm indagandas, tum deguſtandas, unde abeatis ſani. Vel quod optimum ac lucroſiſſimum eſt, cum Theoſophis, à floribus ad ipſum aſcendite Deum, unde redeatis pii & beati, unde & in ſanctum fraternitatis opimius frugiferæ chorum recepti, immortale nomen decusq; conſequamini. Flores etenim, viva quædam Theologiæ naturalis, ipſiusq; Spiritus ſancti emblemata ſi dixeris, pulchrè dixeris. Unicam ex omnibus florum reginam ſpectate *Roſam*. Quid ſuavius, quid beatius eligamus; quam Dominum ac Soterem noſtrum Christum, modò ſub roſis paſcentem,

rosam inter spinas rubentem, jam labia ejus nil nisi rosas mellifluas fundentia, devote nimis aspexisse? Quid jucundius est, quam foecundum Ecclesiæ ventrem, & lactea hujus ubera rosis circumsita vidisse? quid formosius est, quam sapientiam, Cœli filiam, rosæ instar Hierichuntææ fulgentem attentius spectasse? Hinc non absq; causa, B. ille Megalander noster Lutherus, rosam ceu cordis sui cruce signati requiem, emblematis loco sibi elegit. Hujusmodi alia & longe plura cum rosarum, tum aliarum rerum mysteria, plusquam Elysii isti Salomonis, totiusq; sacri codicis campi rimanda ac miranda nobis exponunt. Hi pomposos exuperant Adonidis & Alcinoi hortos, his procul cedunt pensiles Assyriorum delitiæ, præ his Pangæi montis, & Pæstana insuper rosaria, nil nisi fœtorem squaloremq; emittunt. Hic igitur, quicunq; divinioris voluptatis proci estis, rosas colligite, sub rosis pascite, sub his quiescite. Nolite spinas timere, haud etenim, ut rosarum cultores pungant, sed ut rosas muniant, raptoresq; arceant, easdem circumcingunt. At quorsum hæc dicta sint, quærenti fortean alicui respondemus: Rosam, quæ pulcherrima florentis anni hujus soboles est, jam hodie hos oculos nostros, has nares nostras demulcentem, animum juxta nostrum accendisse, & quidem præcipue illam, virtute atque eruditione florentissimi Viri Juvenis, Domini JOHANNIS BVRCKHARDI RVMELINI, peregregii Rosæ Iatricæ Candidati, mentem excitasse, ut nobis ita jubentibus, rosisq; oculos naresq; ipsius perstringentibus, Orationem quandam, uti vocant, anniversariam, in Medicæ artis honorem, de ROSIS concinnaverit roseam, in qua Apellem simulatq; Apollinem egisse videtur, corallinam nempe rosarum faciem depingens, aureas dotes exponens, utile cum dulci commiscens, & nihil non in laudem earum profuturum, eleganti sermonis penicillo exprimens. Sic equidem decuit, tempori insimul servire, namq;, ut proverbio constat, rosa quæ præteriit, quærenda non est; Et, cum non amplius anthesteria, sive Floralia celebrantur, Cares foras eliminandi sunt. Quocirca, florido huic ROSARUM encomio publicè recitando, diem Mercurii subsecuturum, qui decimus erit mensis hujus, destinavimus, subinde rogantes, vos quotquot in Elysiis Academiæ hujus campis, elegantiores omnis literaturæ, scientiæ, sapientiæ, linguarum artiumq; flores, partim excolitis & in alios transplantatis, partim colligitis & rigatis, Vos alloquimur, Dominos Professores, Doctores, Magistros, omnesq; generosi, prænobilis, præstantis, honestiq; tituli Studiosos, subinde rogantes, ut ad horam prædicti diei nonam antemeridianam, in Aulâ, quæ Theologorum est, majore, frequentes densiq; comparere & interesse, & vel saltem spirantium rosarum amore allecti, pectoris auriumq; sinus aperire, & pro suadæ Musarumq; rosis tunc diffundendis, vos favorificas Charitum rosas refundere ne dedignemini. Valete. P. P. Tubingæ sub solenni Facultatis nostræ Sigillo. Dominica secundâ Trinitatis. Anno *Rosa Cœli inter spinas nata*, supra seculum decimum sextum, quinquagesimo septimo.

RECTOR
ACADEMIÆ TUBINGENSIS
LECTORIBUS SAL.

VIRGINES ac MATRONAS NOBILIORES dum, inter alia mundi sui genera, etiam MARGARITIS decorari, ornarique, prout quæque domo opibusve præstat, videmus: quid obstat, quo minus ipsas quoque margaritas quasdam, immò margaritis omnibus pretiosiores, dum ne virtutis destituantur æstimatione, dicamus? Sane, etiam nobis tacentibus, ipsius Spiritus Sancti testimonio, sapientissimum in Proverbiis sacris Salomonem si audimus, jam dudum istæ hoc, quicquid est, insigne agnomenti retulerunt præconium. Et verò nominis similitudo vel cognatio, quod piè Defuncta, hodieque tumulanda, spectatissimi MATRONA décoris gerit, id ipsum poscere quasi jure suo videbatur. Neque vero, ortum primò si consideremus, sexui tantum fœmineo is, sed omnibus omninò hominibus cum margaritis valdè compar, ac quasi communis est. Scilicet, uniones quæ parit vel producit, guttula roris est, quâ velut imprægnatæ, conchæ marinæ fœtum hunc tanti nominis suo dein tempore excludunt. Quem autem latet, nostram si genituram vel originem spectemus, heminam unam sanguinis esse, prout, Seneca Batavorum, Lipsius loqui amat, ex quâ, alvo matris conceptâ, generamur, atque in auras has vitales, maturescente jam partu, edimur vel protrudimur? Iam si, naturæ mysta disertissimo, Plinio teste, principium, culmenq; omnium rerum pretii margaritæ tenent: quid censu majori pretiove existimandum fœminâ, dotibus suis instructâ, vel virtutibus? Minor est ille nitor fulgorque; minor oblectatio omnis, & decor; minor ipsa unionum utilitas, tot rationibus modisque in genus nostrum redundans, quàm ut ad fastigium dignitatis, quam deprædicamus, fœmineæ, muliebriumq; ornamentorum eminentiam attolli vel æquiparari mereatur? Nam, uniones si colore suo ac claritate fulgurant: non equidem, familiarem sexui huic, opponimus formæ elegantiam: sed unius, si ad oris venustatem accedat, virtutis pulchritudinem hîc pro innuenda, quam volumus, præstantiâ sufficere affirmamus. Hæc, ubi in fœmina relucet, ubi amabilem utilemque mundo reddit, quid pendulus ille ab auribus, vel colla manusque cingens ornatus, quid oculos irritans, spectandi voluptas, quid usus deniq; multiplex, ac medela, quâ margaritæ homini deserviunt, valeat ultra, polleatve? Atqui & cœlô tantùm, munus tam pretiosum alicui contingit, si contingit: quemadmodum non nisi ex Oriente ferè advehi quoque clarissimos quosq; uniones novimus. Cœlo porrò cognata magis unaquæq; viraginum præstantium videri debet, quantò virtute præstat cæteris: prout cochleæ etiam margaritiferæ, quò rorem cœlestem hauriunt uberiùs, eò majores uniones gignunt. Jactet ergo India, vel Taprobana, vel Cubagua, unionum Insula, margaritas suas; jactent historiæ Cleopatræ binionem, disputabilis cœnæ lautitiis destinatum: jactent eædem coopertam totam smaragdis atque unionibus, superbissimo cinctu ac vestitu, Paulinam Lolliam: si pretium omne, atque amabilitatem unionum parasangis innumeris anteiri, exsuperarió, dotatæ suis decoribus fœminæ præstantiâ

nequicquam addubitamus. At non fusiùs exponi ista charta præsens patitur, qua ducendas MATRONÆ suis elogiis undecunque vel inprimis condecoratæ, MARGARETÆ HEERBRANDINÆ, Viri Nobilissimi, Amplissimi atq; Consultissimi, DN. SAMUELIS BANSOVII, U. J. Doct. & Prof. Publ., Serenissimi PRINCIPIS Wirtembergici Consiliarii, ac Dicastæ Aulici, p. m. relictæ Viduæ, exequias publicè denunciamus. Cujus si laudabilem, prout fas quidem est, dissertatione brevi memoriam hîc instituere, vel exponere volemus, non immeritò tueri illam suum, quo sub mysticæ regenerationis sacra insignita fuit, nomen comperiemus. Unio quidam fuit illa, claritatem familiæ, ex quâ orta est, si recogitemus. Patrem quippe habuit Virum Reverendum ac Clarissimum DNM. M. CHRISTOPHORUM Heerbrand/ in pago Weilheim/ qui in districtu Tubingensi ad Neccarum situs, Pastorem; Dignissimo Academiæ nostratis Cancellario, Ecclesiæque Præposito, atque eodem Aulæ Wirtembergicæ Consiliario, JACOBO Heerbrand/ b. m. natum: Matrem autem sibi cognominem, matronaliumque laude ornamentorum conspicuam MARGARETAM, insignis Theologiæ Doctoris ac Prof. Publ. THEODORI SCHNEPFFII filiam ex quibus parentibus in oppido prædicto Weilheim/ Anno 1591. die 18. Iunij, edita in hanc lucem fuit. Unionem imitata est, simul immaculatâ innocentiæ divinæ stolâ in Baptismo amicta, fulgere, cum annorum incremento, pietate omni, virtuteque, & pudicitiâ cœpit. Unionem in eâ, quavis dignatione majorem, supra dictus, b. m. Maritus invénit, quando hanc A. 1610. tutorum, quibus commissa erat, consilio ac consensu, thori sociam assumpsit, nec ornamenti minus, quam subsidii per omnem vitam dulcissimi loco eandem habuit. Cui ipsi quoque tantò carior chariorque fuit, quod prole gemellâ, mascula altera, altera fœmineâ, conjugium bearet; quarum posteriori etiamnum maritâ VirConsultissimus ac Gravissimus DN. LUDOVICUS Weber/ U. J. L. oppidique nostri Præfectus Inferior, gaudet. Unionem denique exæquavit pretio, vel devicit, quando non domi tantùm, suisq;, sed vulgo etiam, laudato hinc inde exemplo & meritis enitere, ac prodesse, ut potuit, studuit. Extinxit jam speciem istam ac decorem, quisquis fuit, Mors vastatrix omnium; nisi quatenus illibatâ in plurimis recordatione superest adhuc, atque animam inprimis, CHRISTI sanguine mundam, epuloque ejus salutari, paullò ante obitum, pastam, cœlitum choris, amictu atque ornatu ineffabili renitentibus, associavit, corporeis suo tempore exuviis, cum inextinctâ décorum accessione, reduniendam. Vestrum jam est, Academici, mortalitatis, mutuique per fidem Christianam nexus memoriâ excitorum, ire exequias horâ consuetâ laudato funeri, atque, uniones & thesauros dum acquiri sorte vel hæreditatibus cogitatis, Gregorio Nazianzeno piâ meditatione suffragari, qui, Virtus, inquit, & pietas est optima hæreditas. Tubingæ, P.P. sub Academiæ sigillo, Prid. Non. Sept. Anno post Unigenam DEI incarnatum M DC LVIII.

TUBINGÆ, Typis Theodorici Werlin.

RECTOR
UNIVERSITATIS TUBINGENSIS
CIVIBUS SUIS
S. D.

Uanquam certi nihil augurari, vel conjicere licet: de nihilo tamen non est, neque omni adeò observatione indignum, quòd Vir Nobilis, Amplissimus, & Consultissimus, Dominus JOHANNES WURMSERUS, Utr. Jur. Doctor, & Feudalium, uti & Canonicarum apud nos Sanctionum Professor Publicus, Collega noster, piâ, ac propensâ dehinc recordatione perpetuò prosequendus, Suæ Nudius quintus mortalitatis numerum explevit. Sive enim diem illum, Divi alioquin LUCÆ nomini ac memoriæ in fastis sacrum, per se, & absolutâ quadam consideratione, sive mutuo ad BEATUM nunc respectu lustremus: utrobique rari aliquid, mirique, & quod curiosas fati mentes exercere possit, reperiemus. Quis enim illud primò juxta æstimet, aut insuper omninò habeat, quod ejus sub occasum lucis, quam & Nostra hæc, & aliæ complures Academiæ, *Novi CAPITIS Magnifici* electione Festam habent, & solennem, Venerabile hoc MEMBRUM *Inclyto Amplissimi* inter nos *SENATUS CORPORI* decessit? Equidem ad ariolos vel aruspices neminem hîc ablegamus; neque in archiva adeò Divinæ Providentiæ animum plus justo solicitum penetramus, vel immittimus: illud saltem æquissimum judicare pietas nos nostra jubet, ut, quemadmodum intimiori quodam doloris sensu funestata hoc VIRI LAUDATISSIMI Obitu gaudia nostra deprehendimus, sic ardentiùs quoque, & pro salute Academiæ Universæ, & pro auspicatiori præsertim *VENERANDI* ejusdem *MAGISTRATUS* regimine vota iteremus. Neque verò & illud porrò susque deque putari prorsus, aut nullo planè animadversionis calculo notari meretur, quòd, postquam BEATE DEMORTUUS diuturno satis corporis, usque & usque pejùs habentis, languore & defectu fuit conflictatus, eum demum emortualem invenerit diem, quem & natalem olim habuerat. Quanquam enim & hoc casui cuidam, fortuitoque rerum eventui imputari, citra omnem controversiam, possit: simile tamen aliquid, etiam in aliis quondam, non exigui nominis, VIRIS, ab antiquiorum temporum Scriptoribus curâ ac notelâ attentiori consignatum legimus. Ut enim Antipatrum modò, Poëtam Sidonium, transeamus, quem, Naturæ mystes scrupulosissimus, Plinius natali suo quotannis febri correptum, eoque ipso longâ tandem senectâ consumptum commemorat: si ad famæ singularitatem ea res quicquam facit, Magnum sanè Alexandrum, Pompejum item, & Julium Cæsarem, Gregorium præterea Magnum, & Philippum Melanchthonem, at quanti commatis nomina! primorum cum novissimis in vitâ dierum convenientiâ exæquatos DEFUNCTO, ex annalium priscorum monumentis comperiemus. Uti verò, solidiorem BEATISSIMO commendationem ex vitâ laudabiliter anteactâ suppetere, lubentes concedimus: sic asserere jure quodam nos posse, videmur nobis, decretorium illum, ac fatalem, quo expiravit, Diem, natalem nihilominus Eidem, atque alterius cujusdam, ejusque longè felicioris, vitæ auspicem, atque inauguralem extitisse. Et quis ideò non gratulandum quoque hinc EI esse pervideat; qui, cum, sub

Dominica inprimis tempor...

ea sapientiæ simul, ac bonitatis divinæ vis immensa, ut, quam, reo primitus statim, generi nostro universo gravissimam decreverat pœnam, eam suis præcipuè tot malorum, quibus hàc in vitâ affliɛtantur, PARENS SUPREMUS præsentissimam reddat medicinam. Neque enim pertingere ad æternantis illud culmen gloriæ, nisi morte prævià, Perruptor noster CHRISTUS potuit: & *CAPITI* nos MEMBRA *nostro* conformari in hoc omninò est necessum. Quod si verò contendere insuper ærumnas PIE DENATI cum eâ, quam nunc subiit, quiete ac refocillatione allubuerit: verè super IPSO usurpare Syracidæ illud, integrum erit nobis: *Melior est mors quàm vita amara; & requies æterna, quàm languor perseverans.* Sed agite vitam potiùs Ejus omnem, quantum per scripti angustiam licet, ut dicta jam pleniùs elucidentur, debitaque VIRO OPTIMO persolvantur, breviter percurramus. Natum ergo *GIESSA*, Anno Salutis, M. D. IC. die, ut diximus, Lucæ, hunc in Mundum dedit, PARENTIBUS non erubescendi ordinis, famæque, GEORGIO nimirum WURMSERO, Ædili Comitum Tillenburgensium, & *MARGARETHA, ECKELINA* stirpe vel sanguine. Qui non domi tantum, suâ, privatorumque Moderatorum curâ, sed & publicorum, in Pædagogio inprimis Patrio, Præceptorum solertiâ, perspectam Ejus, neutiquam abhorrentem à bonis literis, indolem eò usque foverunt, aluerunt que, dum matriculæ ibidem Academicæ inserere non immerito nomen posset. Probatus suis in Patriâ Universitate speciminibus, exteras celebriores, atque inter has Marpurgensem, Ingolstadianam, Heidelbergensem, tandemque & Nostram invisit; hic ubi, jam & studiis præclaris, & equestribus insuper exercitiis spectatus, anno uno, XXVIto. nempe, triplicem fortunæ indultum, vel laborum præmium asportavit; felicis nimirum cum *Eximia Fœminarum*, *BLANDINA ANDRAEANA*, DN. JOHAN-LUDOVICI MOEGLINI, Medicinæ Doctoris & Professoris Clarissimi, superstite Vidua, Conjugii; Laureæ insuper in Utroque Jure Doctoralis; & Advocationis tandem in Nobilissimo DYCASTERIO Aulico. Quo munere per ipsos viginti annos functus strenuè, asciscì Professorio JURIS Ordini meruit: atque hanc ipsam spartam tàm insignem, quod item non indigne in annum quartum usque, & decimum, dùm vires, annique sinebant, ornarit, post Lectiones publicas, institutæ Disputationes, Collegia, & libelli in vulgus emissi, viceque non una typos experti, testantur. Quorsum & RECTORATUS semel, DECANATUS autem aliquoties, nec sinistre, gesti honores, uti & commissorum ab Amplissimo Senatu negotiorum fides, dexteritasque pertinet. Quas inter virtutes candor aliquis, &, condiens vitam universam, in familiaritatibus, & congressu hominum facilitas, pacisque, & placidi convictus studium enitebat. Orbatus prima Conjuge, trium liberorum, quos DEO præmisit, matre, *alteram* sibi, *Florentissimam* tum *Virginem*, *MARIAM-AGNETEM*, prosapiâ SCHWEICKHARDINAM, associavit. Cujus prolem quaternam vidit; sibi autem superstitem utriusque sexus alteram tantum reliquit. Impetitus jam ab aliquot retro annis Paroxysmo non uno Epileptico atque Apoplectico, sensim imminui vegetum illud, quo polluerat antè, animi corporisque, ac prosterni, vidit robur; ut, lecto tandem affixus, cum subeundum sibi carnis iter Oecumenicum sentiret, tempestivo se ad hoc EPULI DOMINICI viatico instrueret. Quod ipsum iter, die, quo diximus, proximè elapso Martis, sub sextam vespertinam subiit; cum nocte, quæ antegressa est, quasi rediens ad semetipsum, Patriam subinde Cœlestem devotis suspiriis inclamasset. Verbum ejus in terris novissimum Sui hoc annorarunt: VICI. Cantet ergo post agones temporum durissimos æterna nunc in cœlis epinicia, suique, quà hic eluctatus est, virtutem Promachi cum Angelis modis ac melodiis, nobis incomprehensibilibus, felix dilaudet. Vestrum quid sit in exequiis benè meriti Doctoris, *CIVES*, ipsi facilè intelligitis. Sic agamus universi, ut ne supremus ille, quem nulli declinare fas est, leti ictus improvidos, vel imparatos fallat. P. P. Tubingæ, 22. Octobr. Anno Christiano, M. DC. LIX.

EPHORUS ILLUSTRIS COLLEGII,

LUDOVICUS BERCHTOLDUS,

Literarum Statores, Doctores, Cultoresque perofficiose salutat.

NOn minus incertitudini, quam difficultati, obnoxium videtur, veritati per omnia consentaneum ea de re perhibere testimonium, quam viventium nemo est expertus, & quam exactiori notitia assequi, si divinorum oraculorum revelationem seponamus, vix quisquam potest, nisi ejus ipsemet fecerit periculum, quod salva vitæ hujus usura, nemini datur superare. Loquimur de morte, cui tot odiosa tribuuntur ab iis nomina, quibus plerumq; ignotum est, eam vera appellatione exprimere, aut genuinis insignibus adumbrare. Sunt enim, qui prædonem publicum, sunt qui laverнionem nocturnum, sunt qui larvatum latronem, sunt qui perfidum amicum, aliisq; impatientia dictatrice conceptis titulis audent detestari. Nec desunt, quorum sapientia omnis symbolis exprimitur, qui jam peracuta secula minacem, jam tento & telis onusto arcu terribilem, jam clepsamidii nondum evacuati supera cum inferis convertentem, jam cadaverosis, h. e. cute & carne nudatis, ossibus horridam, sive grallis incedentem, sive luteo emaciatoque asturconi inequitantem imaginem, conspectui nostro, pro icone mortis objectare consueverunt. Fatendum equidem est, sicut nomina illa humani doloris dant indicia, imagines vero istæ ad præsentiorem mortalitatis memoriam esse possunt subsidia: ita ab utrisque vim mortis ipsam accurate nec explicari, nec repræsentari. Propius ad scopum collimant, qui typum mortis ab exitu vitæ mutuantes, corporis eam animæque separationem interpretantur. Quod quam sit verum, Florentissimi nuper Celsissimique Principis ac Domini, Domini JOHANNIS FRIDERICI, Wirtembergiæ Tecciæque Ducis, Mompelgardensium Comitis, Heydenhemiorum Dynastæ, Serenissimi sui & totius PATRIÆ nostræ PATRIS Primogeniti Filii, hujusque ac Regnatricis Domus universæ, sperati aliquando, contra mortis insidias, proximi munimenti, luctuosa, heu nimis luctuosa! fata satis abunde testantur. Dimiserat ante sesquennium, ad peregrinas regiones lustrandas, multa votorum sanctissimorum pietate cumulatum, ILLUSTRE COLLEGIUM, hunc ab anno restauratæ in Germania pacis hospitem primarium, speque optima olim sospitatorem, certe ingens decus suum dimiserat. Sed ad nos, superiori mense rediit solum corpus, balsamo quidem & omni condimentorum genere, in Angliæ metropoli, ubi morte beata & tranquilla, sed nobis perquam lugubri, piissimus Princeps, postridie Calendarum Augusti, inter vivos agere desiit, perunctum ac respersum; sed ab anima, tot insignibus benedictioris naturæ donis, & regnatricibus melioris curæ dotibus, in

Regum, Principum ac Magnatum, quotquot peregre adierat, admirationem & stuporem usque, exornatissima cultissima-
que, ab anima, inquam, illa, cœlo suo intime cognata, viginti duorum prope annorum socia, prorsus destitutum atque sepa-
ratum, suoque & beatissimorum majorum conditorio Stutgardiæ protinus illatum. Huic jam tum partim in mœroris, par-
tim in solatii monumentum suspiria isthæc publica pietas dicavit, tumbæ illius sacrata & insculpta.

Tecciacæ cubat hic Princeps, heu fata! Juventæ,
Patris amor, Patriæ gloria, gemma domus.
Ah! nimis est verum: nil distat finis ab ortu,
Qui foris est natus, mortuus ille foris.

Alsata construxit cunas, capulumque Britannus,
Exuviis requiem Patria mœsta dedit.
Fama manet custos summæ virtutis, at autor,
Mens, pro terrenis Cœlica sceptra tenet.

Perrexisset vero ab ipsismet statim exequiis ILLUSTRE COLLEGIUM ad luctus super hoc obitu iterationem, & memoriam
Excelsi Principis JOANNIS FRIDERICI, sibi semper sacram, semper renovandam, solenni parentatione, madentibus ad-
huc oculis, tametsi ne nunc quidem siccis, æternitati consecrasset: nisi feriæ autumnales, tam a nostratibus, quam ab Academicis,
silentio transigi solitæ, & postmodum illustris Legati, ad hunc actum gratiosissime destinati, impensa publicis negotiis absentia,
hoc sive studium, sive officium, usque huc distulissent. Nunc autem, postquam Serenissimi Ducis EBERHARDI, Principis ac
Domini nostri indulgentissimi, sed & nunc ob orbitatem suam mœstissimi Patris, hac de re mandata, cum desideriis & conatibu[s]
nostris, ex amussim conspirant, dictus est huic solemnitati dies hujus mensis XII. qui Sabbathi est, ejusque hora ante meridiem no-
na, in qua MAGNUS HESENTHALER, Politices, Historiarum & Eloquentiæ Professor in Illustri Collegio publicus, ac studio-
rum pie defuncti Principis ante decennium moderator, MARCIDUM hunc Wirtembergiæ FLOREM, prædicatione tamen
tot rarissimarum virtutum immarcessibilem apud posteros futurum, e cathedra Auditorii nostri, non comta, non cerussata ora-
tione, sed lugubri & tristitiæ temporibus congrua, ostendet. Restaret nunc, si in alio argumento versaremur, ut muneris nostri, quo
autoritate publica fungimur, partes expleturi, tam ipsummet Prælustrem LEGATUM, quam vicinos in ACADEMIA nostro[s]
honoratissimos, ad panegyrin hanc, præsentia sua concelebrandam, ea, qua par foret, compellatione rogaremus; nostros ver[o]
Incolas ad comparendum ex officio commoneremus; reliquos denique, quos tanti sanguinis veneratio & literarum amor tan[-]
git, ad subsellia nostra invitaremus: Sed firmitudo spei, quam de promtitudine omnium & singulorum concepimus, nullum
operosis precibus, monitis aut invitationibus omnino locum relinquit; sufficitque sponte sua comparituris, quæ prædicta sunt,
hoc alloquio indicasse: Unicum est, quod addimus, paria scilicet, sicubi res tulerit, utinam non pari mœrore! ILLUSTRE
COLLEGIUM esse facturum: Sub cujus publico Sigillo ista perscribimus, & lectores nostros diu nobiscum valere optamus.
Tubingæ X. Novembris, M. DC. LIX.

DECANUS
ET
COLLEGIUM FACULTATIS MEDICÆ JN JNCLYTA TUBINGA

Literatorum Ordini Salutem!

HAud raros hodie videas, qui sinistro rationis suæ oculo, novercantem hujus seculi in literas atque literatos fortunam intuentes, vel literas non salutare, vel salutatis valedicere cogitant. Nimirum & Virgines etiamsi & virtute, & genere, & forma præfulgeant, parum tamen ditatæ ac dotatæ raros inveniunt procos. Idque vel unico Medicinæ, artium alias reginæ exemplo constare potest, quæ tot tantasque, tam intra quam extra pomœria sua, querelas planctusque effundit, ut non tam a Medico studio, quam & a stadio jam trito liberum quemque animum deterrere posset. Unde justo quondam dolore percitus Clarissimus Raymundus Mindererus Threnodiam medicam, in artis tamen nostræ solatium & propugnaculum, toti orbi exhibuit. At vero, qui dextra rem penetrabit pupilla, torvum non visurus, neque cum clypeo animum abjecturus est, sapienter recordans: A sinistris quidem, commune hoc & immutabile fatum æquo animo ferendum esse, utpote ex primævo justoque sudoris laborisque pacto subortum. Nullum etenim pie cordati, cordateque pii sterile, sed multo prægnans commodo, experiuntur incommodum. Scilicet,

Cum SPINA PANIS crescit quem sudor acerbat,
Nam distant PANIS duraque SPINA parum.

A dextris autem serio expendit secum, nihil non ob DEI gloriam, salutemque communem atque privatam agendum ac patiendum esse. Hinc prout omnium interest hanc cynosuram observare: sic quam maxime etiam a teneris unguiculis huc collimavit, genere ac genio, virtute, eruditione & peritia præclarissimus Dominus JOHANN. BURCKHARDUS RüMELINUS, Tubingensis, Medicinæ Candidatus jam pridem meritissimus, qui natalem vidit diem nonum Maji, Anni 1628. Vitales vero auras, post Deum, patri debet honorandissimo, Viro Nobili & Consultissimo Domino BURCKHARDO RüMELINO ICto, & supremi Dicasterii Würtembergici, quod hic Tubingæ est, Advocato practico Celeberrimo; Nec non matri charissimæ, Matronæ omni virtutum flore exornatissimæ, SABINÆ, quæ magni illius & inextinctæ famæ Mathematici, Domini MICHAELIS MÆSTLINI p. m. filia superstes est. Iisdem parentibus alteram pariter ac nobiliorem, qua nunc fruitur, acceptam refert vitam, quæ nempe tota DEO primum, dein proximo per educationem consecrata est. Siquidem, actis nactisque, ipsorum atque præceptorum cura, in linguarum studio novellis radicibus, ex triviali schola, in Academicam nostratem transplantatus fuit, ubi lacteo philologiæ ac philosophiæ succo innutritus, ad Hippocraticum Medicæ artis vinum, Anno 1647. accessit degustandum, in quo labra sua proluens, simul ac Astrologiæ, Botanices ac pharmaceuticæ Galenico-chemicæ condimenta [illegible]

ipsemet quoq; medicum salutis poculum ægrotis exhibendi, a Collegio nostro veniam impetraverit. Cætera, in Academica hac palæstra tam masculе sese exercuit, ut lectionibus publicis frequens Auditor, disputationibus creber opponens ac respondens, Collegiis privatis indefessus interfuerit Discipulus. Et quod sigillatim memorandum, Orationes medicas anniversarias solennesque de ratione & experientia, de vino, deque rosis tres publice recitavit. In disputatione publica (exceptis privatis haud paucis) de corde, pulmonibus, reliquisque thoracis partibus habita, docte respondendo egregie se commendavit. Hisce suffultus meritis, vel tandem Candidatus noster ante semestre, ab ordine nostro Doctoreos honores, queis jamdudum dignus erat, ambivit, priori adjiciens speciminum cumulo, Examina duo decretoria, solennemque de Dysenteria maligna & epidemica, truculento nimis affectu, disputationem, in quibus ad utrumque paratum sese exhibens, omnium applausum commeruit. Nil itaque porro superesse ratus meritissimus noster Candidatus, ad ipsos sibi cum fratre suo Iurium Candidato dignissimo (quod rari est exempli) decernendos honores Doctoreos, adjutu Altissimi, sese accinxit. Cui Academico, juxtaque Nuptiali creati prius Doctoris Festo, dies dicatus est crastinus, qui proinde, nullos non Tubiæ literaturæ Mecœnates, proceres, fautores, cultoresque, prævio rogatu nostro demisso atque debito, sollicite invitatos vult. Nosque, interea, officii cultusque nostri reciproci nuspiam immemores permansuri sumus. Tubingæ, sub sigillo Facultatis. Dominica Misericordiæ, Anno Christi cIↄ Iↄc LX.

Celebratum ibimus hunc Actum

Academiæ Rectore Magnifico,

DNO. JOHANNE ULRICO PREGIZERO, S.S. Theol. Lic[to].

Ethices Professore ordinario, & Facultatis Philosophicæ t. t. Decano Spectatissimo.

PRO-CANCELLARIO
DIGNISSIMO,
VIRO
Admodum Reverendo & Excellentissimo
DNO. TOBIA WAGNERO
S.S. Theol. D. & Prof. Celebratissimo,
Ecclesiæ Tubingensis Decano, & Illustris Stipendii Superattendente vigilantissimo.

DECANO FACULTATIS,
ET
PROMOTORE
SAMUELE HAFENREFFERO, Philos. & Med. Doct. Professore, & Facultatis Seniore.

Typis CELLIANIS, ANNO M DC LX.

RECTOR
UNIVERSITATIS LITERARIÆ TUBINGENSIS
SUO LECTORI SALUTEM.

LUCTUM ex chariſſimorum obitu uti culpare, cum modum ſervat, eſt nefas: Ita, ſi modum excedat, quin vel paganum aliquem, nedum Chriſtianum hominem dedeceat prorſus, dubitari haudquaquam debet. Non ſacram hac in re paginam modò teſtem advocamus: gentilium ſaltem quanta in luctu ſuorum fuerit moderatio, qui recogitat, vereri ſanè, ne in ruborem aliquem lugendi intemperantiâ detur, neceſſum omnino habet. Vel an parum cordati roboris, priſci olim Maſſilienſes exeruerunt, quando ſine planctu omni, ac lamentatione diem funeris, adhibito quoque, poſt ſacra domeſtica, neceſſariorum convivio, tranſegerunt? Quorum magnanimitatem, vel ſapientiam exſuperat etiam, quod Thraces antiqui, cumque his complures aliæ gentes, quaſi jura exequiarum & natalium confunderent prorſus, mortem quidem, obitumque ſuorum planctu, plauſu autem ortum ac nativitatem ſunt proſecutæ. Neque enim, quanquam ſtoliditatis cæteroquin notâ in multis laborent Ethnica illa nomina, id quoque inconſiderantiæ illorum, vel ſtupori accenſendum eſt. Nimirum, quod encomiaſtes eorundem Maximus Valerius addit, aitque, verum illi conditionis noſtræ habitum, etiam ſine ullis doctorum præceptis, perviderunt, quando ſpe felicioris ac beatioris alicujus finis, naturalem aliàs omnium animalium, vitæ dulcedinem, quæ & facere multa, & pati turpiter cogit, removerunt. Erigite mentes, paganorum vel exemplis, vel judicio & elogiis admoniti, vos, quorum, inter veræ commercia fidei, conſtantiam, per exceſſum dilecti cujuscunq; capitis, mœror nimius dejicit. Non illis, in contendendâ vitæ mortalis, vel fugacitate, vel miseriâ, ad æternos illos gaudiorum in cœlo triumphos, quos fluxu illibato, ſine faſtidii, vel ceſſationis metu, pii expectant, caligantis naturæ ſcintillulæ, quam nobis cœleſtium oraculorum Pharos lucida, vel Cynoſura, illuſtriùs affulſerit. Obliviſcamur Sophoclem, quaſi ad archetypum gentium ſupra commemoratarum, plorare natos, ut maxima ingreſſos mala, efferre autem inter gaudia & gratulationes demortuos, tanquam vitæ omnis malis ſubductos, jubentem. Quid divinæ ad piorum funera voces accinant, recolamus. Quam ſereni illud, ac indubitati ex Apocalypſi ſacra encomii: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur!* Quam delenificum prorſus, atque emitigandis doloribus accommodum, Pſalmodiæ Regiæ carmen: *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usq. in finem!* Recolit indubiè hæc, aliaque ſimilia, etiam inter juſta hodierni diei, quæ FILIO intimiùs dilecto, deſideratoque JOHANNI-CHRISTIANO, literaturæ egregiæ ac probitatis cultu *FLORENTISSIMO ADOLESCENTI*, facit, PARENS ejus domo atque loco Spectatiſſimus, VIR NOBIL. EXCELLENTISS. ATQUE EXPERIENTISS. DN. GOTTLIEB BREUNING/ Med. Doct. Archiater Wirtembergicus, & Poliater Stutgardianus, &c. Recolit, inquam, &, dum eò mœret acerbiùs defunctum, quò impenſiùs amari is, quoad viveret, merebatur, frenos tamen luctui immodico, ultroneâ religione prudentiâque adductus, tempeſtivè injiciet. Quare nil quidem ad rem faciebat, Tynnichum quendam in exemplar ipſi proponere, qui, relati clypeo ex pugnâ, filii Thraſybuli mortem animo tam infracto tulit, ut eam in rem Epigramma iſtud fieret:

Exanimis Pitanen clypeo Thraſybule rediſti,

Adversa ostendis tamen omnia, Sanguinolenta
Membra rogo imponens, Tynnichus hæc senior:
Plorentur timidi; mî infletus humabere fili,
Qui & patre hoc verè dignus es, & patriâ.

Etenim consimiles sane Tynnicho, immo longè æquiores, moderandæ mœstitiæ causas ille habet. Nam si strenuam Marti operam Thrasybulus is, quem diximus, ad mortem usque, pro salute publica, probavit, non minus acrem se, alacremque Filius, cui exequias parat, in militia Apollinari, mysticaque illa, & cœlesti præbuit, probavitque; utrinque sane adeò, ut re verâ non CHRISTIANUS tantum, sed & JOHANNES, h. e. gratiosus, isque apud DEUM, parentes, præceptores, omnes, non esset minus, quam audiret. Et Christiani quidem bellatoris in tantum munia explevit, in quantum cœlesti jam Academiæ præparari hîc ipsum, maturarique, inter specimina Scholæ eximia, fas erat. Norat ille, castra Musarum, casta illa, ac verecunda, dum sequeretur, fidem præprimis CHRISTO, cui per Baptismi aquas fuerat initiatus, servandam à se esse. Indictâ ergo à teneris voluptati carnis omnigenæ, mundique, qui vexillifer satanæ est, illecebris, hostilitate, procul ab auctoratâ hîc seciùs turbâ, eheu frequentiore indies! veræ usque & usque pœnitentiæ, pietati, patientiæque, ac modestiæ militavit. Non est, ut exercitijs hîc ipsum suis, per lethi inprimis prodromos, dies morbi ac ægritudinis, quos precum & piarum cantionum assiduitate, tum mirâ tantarum imbecillitatum tolerantiâ conspectiores reddidit, prolixiùs commendemus; quem suus, apud singulos, mœstissimos inprimis Parentes, amor, testimoniaque quaquaversum commendant. Hincque adeò factum, ut, cœlo maximè, ac virtuti cum belligeraret, aspirantem quoque in arenâ studiorum, mitiorem indies auram navitati suæ experiretur. Trophæa jam certè sua, quasi in opprobrium desidis commilitij, susceptâ aliquoties declamandi provinciâ, nostris in Auditorijs erexit. Jam & Philosophiæ non instrenuum sese tironem exhibebat, Medicæ propediem artis cancellos ingressurus; cui rerum Botanicarum solertiâ singulari præludebat. Quod si spem tantam, profutura olim publicè, rudimenta fefellerunt, cœlo consummatior scopus non est, quorsum omnia tot desideriorum, studiorumque tela collineent. Eriget cogitatio ejuscemodi etiam dulcissimam Matrem, Fœminam tanto Marito dignam, Dominam ANNAM CHRISTINAM, Spectatissimi quondam DN. JOHANNIS MOLITORIS, Pago Schwibertingen/ Præfecti filiam; ex quâ beatus jam nunc A. 1639. die XIII. Sept. Stutgardiæ progenitus est. Neque nutum hîc quendam divinum non agnoscent ambo Parentes, quando diem eundem, XIII. scil. Sept. quanquam anni diversi, Filio suo natalem pariter, & quasi fatalem fuisse reminiscentur. Scilicet hic ipse XIII. Mensis, hodie finientis, is est, quo, febris malignæ, qualem Medicorum Scholæ appellant, impetu, lecto primum affigeretur; quæ cum incrementis usque valentioribus in, alioquin etiam haud paullo invalidius, corpus grassaretur, nudius tertius, paullo ante horam matutinam septimam, facilem ipsi ad sepulchrum commeatum indulsit, anima paucis ante diebus, in spem pacatarum supra nos mansionum, epuli dominici usu, præmunitâ. Forte & hoc inquietiùs illos habeat, quod extra urbem patriam filius exoptatissimus conditur. Anaxagoram ergo memoriâ repetant, qui cum, peregrè moriens, an in patriam referri vellet, rogaretur: Nihil necesse est, inquit; undique enim ad inferos tantundem viæ est. Quod de inferis ille, non difficulter isti de superis cum intellexerint, in filii ultimâ perfectione, DEIque, salutari semper fidelibus, beneplacito acquiescent. Vos, Cives, ut filiales PATRI Amplissimo exequias honorifica undique deductione celebretis, mitigetisque, honoratissimo Eius nomine monere hic, & orare debebamus. TUBINGÆ, P. P. die Sept. ultimo, M DC LIIX.

TUBINGÆ, TYPIS exprimebat THEODORICUS WERLIN.

RECTOR
UNIVERSITATIS TUBINGENSIS
CIVIBUS SUIS, AC LECTORIBUS SALUTEM!

CUM omnem virtutem prisci, ut poterant, etiam in demortuis colebant: tum vel maximè *fortitudinem* haud uno venerationis genere ad æternam posteritatis memoriam consecrarunt. Nec verò statuas, imagines, cippos, columellas, atque id genus monumenta alia, viris fortissimis, fato jam suo functis, posita, ignorare gnari antiquitatis eruditæ possunt. Iberi quidem egregiorum facta bellatorum tam largè post mortem munerabantur, ut *tot obeliscos* apponerent singulis, *quot hostes* propriâ manu interfecissent. Platæenses autem in agro suo, ubi commissum à Græcis adversus Persas bellum fuerat, quotannis in cæsorum pro communi libertate memoriam, solenni pompâ sacra peregerunt. Non attinet, evidentiam rei ex annalibus veterum illustrare magis. Hæc saltem Universitas nostra quam sedula item eorum, qui *in militia* præsertim *literaria* strenuè magis præ cæteris egissent, cultrix post fata eorundem fuerit semper, latere neminem, nisi qui moris, sanctionumque adeò nostrarum scientiam prorsus habet nullam, arbitramur. Quæ cum taliter affectam in omnes præclarè de literis meritos se gesserit dudum: præprimis tamen id *sacris DEI Heroibus*, veritatem doctrinæ cœlestis, etiam multa nonnunquam per hostilitatis tela, vim, & insidias, impigrè fassis, quorum non aspernandam usque messem Wirtembergia hæc nostra, &, Cimelion ejusdem verè pretiosum, Academia hæc inclyta tulit, debere se opinata est. Nec deme minit quidem, adhuc quoque non paucorum

tali in ære se esse; quorum quasi de tumulis voces, illarum interiarum monitrices, exaudire sibi, quanquam aure neutiquam surdâ, videtur. Sed cæterorum posthumas commendationes dum suo reservat tempori, post *Demlerianæ Parentationis* justa nupera, VIRO nunc PER-REVERENDO, *evictisque pro fide Orthodoxâ gravissimis quibuscunque agonibus ac periculis insigniter commendabili*, DN. DANIELI HIZLERO, *Præposito Stutgardiano, Serenissimiq; ac Celsissimi Principis ac Domini*, DN. EBERHARDI, DUCIS WIRTEMBERGICI, &c. *Consiliario*, LAUDES PARENTALES meditatur. Non seram, aut intempestivam Laudationem hanc Viri, inter Promachos divinæ veritatis verè singularis & eximii, licet anno jam hujus seculi V.to & XXX.mo Argentorati in exilio defuncti, à quoquam judicatum iri veremur, qui modò, ut cætera sileamus, serum esse nullum virtutis præconium reputabit nobiscum, quod verum sit quidem, tantoque insuper luculentius, quantò ipsâ temporis vetustate, justissimâ actionum nostrarum arbitrâ, nitet magis, & exsplendescit. Encomia Viri, de sententia Senatus, *Admodum Reverendus, atque Amplissimus* DN. TOBIAS WAGNERUS, *SS. Theologiæ Doctor & Professor Celebratissimus, Universitatis hujus Pro-Cancellarius Dignissimus, Ecclesiæ nostræ Decanus, nec non Illustris Stipendii Superattendens Gravissimus, Collega noster meritò venerandus*, perendie divinâ aspirante gratiâ, in Senaculo Academico circa dimidiam IX. matutin. dicet, qui ipse tantò majus ad Elogia hæc Beati HIZLERI momentum est allaturus, quantò de literatura omni, ipsaque Ecclesia DEI, premens scilicet Prædecessorum clarissima vestigia, insigniùs & meritus est hactenus, & mereri porrò, quod maximè diuturnum precamur, studio indefesso allaborat. *Tot* ergò quasi *Obeliscos* ab eo insignes cum lberis superioribus p. m. DN. PRÆPOSITO erectos audietis, *quot* in Ipso *virtutes, eximiaque* constantiæ, magnanimitatis, patientiæ, sinceritatis, & industriæ *trophæa*, ab hostibus Ecclesiæ reportata, dilaudabit. Cui proinde Vestram pluribus conciliare præsentiam meritò supersedemus. P.P sub Rect. Sig. Dom. Trin. XXIII. anni hujus MDCLX. ultimâ.

TYPIS THEODORICI WERLIN.

ILLUSTRIS COLLEGII
EPHORUS,
LUDOVICUS BERCHTOLDUS,

Lectores mortalitatis memores officiose salutat.

PErquam notabile funus, trium naturæ regnorum arbitri, qui ex celebri apud Vindelicos familia, cui vitam debebat, postremus erat tradux, cras hora II. pomeridiana, efferendum è vicinia nunc indicimus, & ad solennes ejus exequias, vos, *Perillustres, Generosi, Nobilissimique hospites*, ut *&* cæteri *Cives* nostri hujus *Collegij*, observanter invitamus. Nimirum nostis, novum hunc annum pene simul inchoasse & finiisse, i. e. spirare ac vivere desiisse, *Virum patritia nobilitate & consummata rei medicæ gloria perinclutum*, DN. CASTOLUM HAUGIUM, *Sereniss. Principis nostri Consiliarium & Archiatrum emeritissimum*, quem magnæ matris gremio, qua parte condi potest, *Nobilissima* & natalibus æque ac virtutibus *Splendidissima Fœmina*, DNa. CATHARINA MEGIZERIA *de* Veldorff/ usque huc Uxor, nunc *vidua* HAUGIANA sane permœsta, ad propinquæ resurrectionis diem, tempore jam prænotato, cupit inferre. Sic ILLE profecto regnatricem hanc provinciam hactenus administravit, sic *Ille* in *minerali, vegetabili* & *animali* naturæ *regno*, medica sceptra gessit, ut si antea, medicinam regiam artem esse, ulli fuisset ambiguum (qua laude tamen omnis antiquitas resonat) honorificum id nomen, vel hujus viri exemplo, jure nunc potuerit adipisci. Postquam n. M DIIIC, die quarto Septembris, *Viro Patricia* apud Augustanos *stirpe*, Imperatorio Caroli V. decreto, ante seculum & duorum annorum decades, nobilitata, ut *& professoria* hic apud Academiam *celebritate Eminentissimo* DN. JOHANNE JACOBO HAUGIO, *Medicæ artis Doctore, & præstite Excellentissimo, Patre; Matre* vero, omnibus sexus sui *decoribus Exuberantissima*, DNa. JUDITHA. *Ampliss. olim Cancellarij Tub.* DN. BEURLINI, Doct. Theologi, *Filia*, in lucem esset editus, paterna protinus vestigia, utprimum id per ætatem licuit, premere incepit, neque alio, quam divino auspicio, huic studiorum generi se applicuisse, tot præclarissimis experimentis fuit deprehensus. Contigit id quidem, post præmaturum beati Parentis obitum, sub vigili cura, cui CASTOLUS noster morientis Patris voluntate commissus erat, DN. D. FABRI, *V. Cl.*, itemque *Medici* in hac Universitate tunc *Professoris*, qui eundem *Archiatro* in Pannonibus *Celebratissimo*, DN. SPINDLERO, in Austriam dimissum, enixe postea commendaverat: cujus memoriam HAUGIUS, utpote sub quo permultum profecisset, semper sanctam habuit, dignisq; grato animo verbis perpetuo deprædicavit. Ad hoc tamen ILLE fastigium, non grallatorio gressu ascendit, sed justo ordine servato, per arduam virtutis & laboris viam, eo tandem est eluctatus. Pueritiam ergo HAUGIUS Philologiæ, Adolescentiam Philosophiæ, reliquam vitam (tametsi ad harum quoq; literarum delicias identidem regressus) rei potissimum medicæ faustissimis successibus impendit. Et annorum quidem juventam Medicinæ in vita Academica, partim domi, partim foris, (Viennæ præsertim Pannonum) exactius noscendæ destinavit. Ex hac ILLE Universitate, aulaq; simul Cæsarea, Anno MDCXXV. prosperrime redux, supremo in Patria Medicæ Facultatis brabeo, multa cumlaude, fuit cohonestatus. Virilem igitur deinceps & senilem ætatem HAUGIUS, tam in primo, quod cum D. D. HALBRITTERI *&* BOCERI, *Nobilissimorum Amplissimorumque Iureconsultorum, illius Filia, hujus Vidua*, DNa. EUPHROSINA contraxerat, quam in hoc, quod supra memoravimus, Anno M DC XXXIIX. VII. die Januarii iterato, concordi utrimvis matrimonio (illo quidem improli, postremo autem Filiola, ANNA MARGARETA, M DC XL. nata denataq;, fœcundo pariter & orbato) eidem Medicinæ posthac exercendæ, velut alter Machaon, prodigiosa felicitate consecravit. Noverant pridem & celebrabant Virum indigenæ, sed cum, ante proximum seculi labentis quadrantem, & quod excurrit, sævi bellorum impetus his terris ingruerent, ibi vero militiæ Imperatoriæ, Gallicæ, Suecicæ, Bavaricæ, Lotharingicæq; supremi Duces ac Tribuni, jam periculosis internorum morborum concussionibus tentari, jam fœdis externarum vulnerationum cruciatibus saucii, jam quoque præstigiatricibus veneficiorum furiis correpti, HAUGIUM nostrum certatim adierunt, quidam peregre consuluerunt, quidam per ingenia viarum inter-

valia huc se deduci curarunt, ut valetudinem, incolumitatem & robur pristinum, a salutari EJUS medela impetrarent, EUMque postea, velut alterum parentem, à quo vitam recepisse sibi sunt visi, constanter coluerunt. Sane cum haud pauci, militarium ejusmodi procerum, amicitiam ILLIUS ambirent, & absentes quoque sartam ac tectam sibi servare eam cuperent, sæpenumero factum est, ut in EJUS gratiam, toti huic Tubingæ parceretur, IPSIUSque intercessiones, ubi armorum vis id nequibat, præsentissima furorum periculа, à cervicibus hujus urbis averterent, aut quadantenus tranquillarent. Non poterat diutius latere Viri tanti virtus & fama, quæ jam in plurimorum circumcirca principum ac magnatum aulas sese diffuderat, *Serenissimum Patriæ nostræ Patrem*, qui HAUGIUM, pluries ad aulam suam accersitum, desperatissimis morbis fortunatum auxiliatorem deprehendit, eaque propter ILLUM, licet plenam domicilii translationem, non contemnendas ob causas, humilime deprecatum, præcipuo inter Archiatros loco esse jussit, EJUSque consiliis longe saluberrimis, suam suorumque valetudinem, plures per annos, faustissime fulcivit. Ubi vero totius Imperii negotia sacratum hoc caput foras evocabant, quod in nuperis quoque comitiis Ratisbonensibus factum, *Celsissimorum*, quos domi reliquerat, *liberorum* saluti, per neminem melius, ac per valetudinis custodem HAUGIUM, quem ideo præsentem iis esse voluit, prospectum fore existimavit. Hinc illa tot clementiæ principalis testimonia, toties iterata renovataque, ut ad alios etiam haud exigua hujus felicitatis pars, sæpissime emanarit, qui sua desideria, per hunc pararium, exposita voluerunt & viderunt impleta. Parum esse putabat, Vir ad benefaciendum natus pariter ac paratus, si corporis tantum necessitatibus, quod exoratus, in omni morborum genere, pauperum æque ac divitum familiis abunde præstitit, medico consilio succurreret, nisi & alia ope, amicis & clientibus suis, quorum ingentem sibi numerum acquisierat, ubi ubi posset, alacriter subveniret. Ita ILLE prægnantibus ac puerperis, ita nascituris ac nascentibus, ita lactantibus & lactentibus, ita puerascentibus & ephebis, ita Juvenibus & adultis, ita Viris ac Matronis, ita denique senibus ac decrepitis, quomodocunque laborantibus, opera se sua reddidit amandum, colendum, admirandum. Attamen dum prospera hac fama vivus fruitur, dum ministeria ministeriis in principem & aulam universam, dum officia officiis in amicos, dum beneficia beneficiis in reliquos cumulat, dum aliis sic inservire conatur, ecce tandem & ipse consumitur! *artem longam esse, vitam brevem*, suopte exemplo, alio tamen, quam Hippocrates dixerat, sensu expertus; postquam fugientem animam, quod toties in aliis & in seipso poterat, non amplius sistere dabatur. Bene vero! quod DEUS immortalis non *naturæ* modo, sed *gratiæ* etiam, sed *gloriæ* pariter *regnum* habet, atque ex illo in hoc & istud, nihil imminuto, verum adaucto potius cœlesti favore, fideles suos solet translocare. Tametsi enim HAUGIUS noster in primo naturæ regno, velut Prorex, qualis est medicus, à DEO fuisset constitutus, in altero tamen ILLE regno, quod gratiæ diximus, regem quoque se fieri (quo nomine genuinos Christianos princeps Apostolorum Petrus appellat) vel maxime concupivit, deq; eo privilegio, post primum sanctissimi, quo regeneramur, lavacri autoramentum, nunquam dubitavit. Hinc illa in orthodoxa religione, licet toties splendidis illecebris ad heterodoxiam sollicitata, confessionis perseverantia. Hinc fides ex auditu lectuq; sacri codicis, quem annuatim (anno morboque postremo parte aliqua retardatus) totum absolvit, semper augescens; hinc vita, sine labe, sine probro, acta & peracta; hinc errorum, quibus nemo non obnoxius, frequens & seria pœnitudo; hinc veneratio erga Theologos singularis; hinc beneficentia in pauperes; hinc erga amantissimam vitæ sociam, justi nunc mœroris plenam, constans ac concors propensio; hinc in adversis, à DEO immissis, patientia, aliæque virtutes, quibus ILLE duplicatam, sicut dictum est, regiam dignitatem, ad extremum usque spiritum, sollicite tueri nunquam prætermisit. Nunc autem in gloriæ illud regnum, quod piis ac pœnitentibus, à Servatore suo, noverat præparatum, anima ejus penetravit: posteaquam illa, de corpore, impetuosis & vagis quartanæ caloribus, aliisq; symptomatibus, vehementer emaciato, post viginti dierum decubitus, tertio Januarii die, hora ejus post meridiem altera, placide ac pie secesserat. Ista ergo *summi Viri* merita, etiam sine ulteriori expositione, huic nostro orbi notissima, vobis haud difficulter persuadebunt, ut ad beatas sedes resurrecturo corpori EJUS, qui tot illustrium, tot nobilium familiarum favores vivus promeruit, exequias ire, simulac mortalitatis memoriam firmius stabilire, à pietate vestra neutiquam ducatis alienum. Deus NOBILISSIMAM VIDUAM, solatio mœroris cœlesti, potenter erigat, rem medicam novo tibicine fulciat, vobisq; non hoc tantum, cujus in primordio degimus, anno, sed multis quoq; subnascituris, vitam & valetudinem prolonget & conservet! Ita precamur, ita vovemus, votumq; nostrum Publico ILL. COLLEGII Sigillo obsignamus. Tubingæ, die 7. Jan. 1661.

RECTOR
ACADEMIAE TU-
BINGENSIS,

Post anni auspicia nupera, quævis auspicata

Suis Lectoribus exoptat.

CUm *in vita nihil pretiosius, aut præstantius vitâ* homo, de creatarum cœtu rerum præstantissimus, habeat; ut sine qua nec acquiri cætera, quæ in vita eminent forte, bona, nec possideri, aut disponi quasi ad æternitatem queunt: patet sane, quo in honore, conservatrix vitæ, atq; opitulatrix, ars Medica, cumq; ea, præstantiores qui sunt in eadem præ cæteris artifices, sint habendi. Nec vero attinet quicquam, hoc loco debitum arti cultum, sive ex divini verbi oraculis, sive ab exemplis veterum, apud quos magno hinc inde in pretio fuit, asserere, vel arcessere longiùs. Illud equidem nemo ibit inficias, quod, quemadmodum committi, propter difficultatem scientiæ divinæ, ab imperitis haud rarò error aliquis, atq; lapsus, in ejusdem exercitatione solet; unde *expedire* olim Alexander VI. Papa ajebat, *esse Medicos, ne mundus* scilicet *habitatoribus opprimatur:* sic eò ampliorem quisq; venerationem meritò deposcat sibi, quò præclaris ad medendum dotibus, in excellentium numero Medicorum, magis fuerit instructus. Quas porro si aliquo velut circulo includi à nobis necessum sit: ad quem tanti summam elogii referemus alium, nisi ad eum, qui, in factitanda medicina, *cum scientia conscientiam, prudentiam cum usu, cum navitate vigilantiam, cum juvandi* deniq; *facilitate felicitatem* quandam, quam sive influxus occultior gratiæ supernæ, sive, ut Pindarus loquitur, πότμος συγγενὴς, hoc est, *fortuna congenita*, præstare dicatur nobis, parum interest, nexu quodam amicabili conjungit? Atq; liceret utinam enumeratarum catenam virtutum in *Æsculapio sui temporis, patriæq; ornamento singulari, Viro Nobilissimo, summæq; existimationis,* DN. CASTOLO HAUGIO, *Philos. ac Med. D. Serenissimi Wirtembergiæ Principis Consiliario, & Archiatro, Fautore & Amico nostro desideratissimo*, velut in ectypo quodam pulcherrimæ eminentiæ, etiamnum ostendere! Non *Patriæ Pater Celsissimus*, non Proceres tanto numero, non cives cæteri, ipsumq; promiscuum vulgus, eam dexteritatem, peritiam, ac promtitudinem curationis desiderarent, quam inhumari nunc cum HAUGIO suo, unaq; tellure abscondi, summopere undiquaq; dolent. *Felices* olim *Medicos* Nicocles, sive per jocum, sive per opprobrium, ajebat, *quorum errores terra contegeret, successus Sol intueretur.* Nos, dum sua *Virum* insignem eruditio à sepulchri communione, quæ est sors omnium nostra, absolvere neutiquam potuit, nostri interea meritò officii ducimus, quicquid laudandum in Eo, imitandumq; adeò eminebat, qua possumus, ab oblivionis caligine assertum, clariori in luce ponere; brevita-[illegible] *Haugianæ* luculentior expositio suadent. Natales ergo pri-

mùm *Beati* si respicimus, benigniorem aliquem cœli indultum, cum anno seculi superioris XCVII. die IV. Septemb. hac ipsa in urbe, Clarioris utrinq; familiæ tradux, ederetur, contigisse Ei deprehendimus. *Patrem* quippe habet istius *prosapiæ*, *quæ* jam à Carolo V. maximi nominis Imperatore, ante ipsas XII. annorum decades, *Ordini S. Imperii Equestri ascita & inserta fuit*; nempe JOHANNEM JACOBUM HAUGIUM, de Patritiorum, qui Augustæ Vindelicorum est, numero, *Medicinæ Doctorem & Profess.* quondam hujus Universitatis *inclytum*: *Matrem* autem JUDITHAM, fœminam Lectissimam, Cultissimamq;, *Cancellarii* olim inter nos Dignissimi, DN. JACOBI BEURLINI *filiam*. Ex hac tam præclara stirpe oriundus, non obscura illico, inter primum ætatis florem, indolis eximiæ dedit indicia; quam non segniter quoq; annis succrescentibus per artes ingenuas, sub pollice quasi Præceptorum fidelium, excolere cœpit. Et quanquam filiali *Parentem* dulcissimum curæ præfestinâ migratione mors eriperet: æmulam tamen paternæ fidem in *Medico Eximio*, JOHANNE FABRO, *D. ac Prof.* pòst expertus, propior indies præfixis laboriosæ adolescentiæ præmiis ac honoribus evasit; in medendi cumprimis arte, quam unam jam tum, peculiari quadam ingenii propensione, remis velisq; omnibus sectandam sibi statuebat. Neque parum huc adjumenti Ei, *Medicus* in Austria *famigeratissimus*, D. SPINDLERUS attulit, cui à Curatore suo, modò prædicto, Cl. FABRO fuerat commendatus. Atque omnino sic domi, forisq;, doctrinâ, moribus, ac meritis egit, ut, redux in patriam, Anno labentis seculi XXV. *Brabeum Facultatis supremum* asportaret. Unde iis confestim medicationum experimentis, eaq; artis felicitate, quà prope, quà procul, inclaruit, ut non alius, quam prosper quidam Genius, aut *Jupiter*, *non* qualem fastuosus olim *Menecrates* se finxit, sed *ope*, *oreq; præsens*, & cujus vel aspectus convalescendi animum oggereret, ægrotorum tecta subiret. Fons intra ædem Æsculapii *perpete* olim *oleo* manabat, cujus se virtus *in omnis vim morbi* efficacem ostendit. Verè hunc *fontem* B. HAUGIUM fuisse dixeris, tam salutari, tam promta, & accuratâ pharmacorum ubertate in omnes scaturientem. In quo cum cætera omnia exactæ sanationis amussim sequebantur; hoc tamen rarum, & quasi palmarium erat, quod, non nisi causis ægrotationum penitus perquisitis, ad curandum accederet, longè nimirum diversus ab *illa* medentium *turba*, quorum dum *consilia devitare* Seneca monet, causam addit; quia *parum* scilicet *docti*, & *satis seduli*, *officiosissimè multos occidunt*. Nostis insuper continentiam abegenis *Viri*; nostis & *vitam*, & *artem*, ex præscripto Hippocratis, *sanctè conservatam*; ne labores commemorem, quos in deprecanda toties patriæ clade, apud Imperatores superiorum temporum bellicos, quorum valetudini forte, non sine ingentibus congiariis, admovebatur, impendit. Pro minuendis, partiendisq; vitæ molestiis, *bis conjugem* vidimus; semel cum EVPHROSYNA BOCERIANA, JOHANNIS HALBRITTERI, Antecessoris Cl. filia, quam ut fœtam amore, sic prolis expertem habuit: deinceps cum CATHARINA MEGENZERIA *de* Veldorff / *Matrona Nob.* nunc, post XXIII. annorum cum Marito consuetudinem, turture gemebunda; *filolæ* quidem anno à nuptiis tertio *matre*, sed quam annus idem intumulatam vidit, & genitam. Ipse quoq; nunc eheu! *Stemmatis Nobilissimi*, cujus antiquitatem supra innuebamus, *ultima propago* decedit. Sed erigant nos tot *Virbii*, *seu Hippolyti*, à desperatis subinde morbis ab Ipso quasi regeniti; tum vigor iste, qui inter cœlitum sodalitia marcorem hunc vitæ sequitur. Ad quem vigorem ut per XX. hos, quibus decubuit ultimò, dies anhelarit devotus, suspirarit fide ac patientiâ immotus, adderem hîc, nisi, post facundum in templo Ecclesiasten, & hæc, & alia, alibi restarent fusiùs enarranda. Vos, CIVES NOSTRI, postquam *inter* hæc *anni exordia*, HAUGIUS noster, defunctus scilicet placidè die mensis hujus tertio, hora pomer. II. instante, mortalitatis exuvias deposuit, inq; illum beatæ quasi *æternitatis annulum*, superstes posthac, & sospes perpetim, se induit: deesse opinor sponte noletis funeri, & exequiis tanti *Viri*, ut fas est, ornandis. Quos ut salvos interea, & incolumes quam diutissimè conservet *Christus Sospitator*, ex animo precamur. Tubingæ, VIII. Jan. M. DC. LXI.

RECTOR ET SENATUS
ACADEMIÆ TUBINGENSIS
Studiosæ apud nos Juventuti Sal.

PUlchritudinis, è venusto corpore renidentis, ea vis & efficacia est, ut vel invitos in sui amorem trahat. Itaque *regnum sine satellitio* eandem Carneades nuncupabat; quod ultroneis nempe obsequiis ad se illorum inclinet mentes, quorum oculos telo quovis acutiùs vulnerat. Sed quantò potentior, addo & stabilior, animi est pulchritudo, illa nimirum, quæ in virtute ac scientiâ consistit! De hac jam olim sapientes, & rectissimè, *si oculos hominum incurreret, mirabiles sui in spectantium animis excitaturam amores fore*, statuebant. Nimirum tantò præstantiorem hanc æstimare convenit, quantò mens ipsa corpore sublimior est, DEUMque, datorem & auctorem omnis pulchritudinis, quiq; ipse summa verè pulchritudo est, gradu quodam propinquiori contingit. Equidem apud Xenophontem Socrates non dubitat, *præ ista animi pulchritudine eam, quæ in corpore est, spuriam & adulterinam* appellare; tam ingente à se invicem intervallo ambæ distant. Quod si cui mirandum, vel dubitandum veniat, cogitet is quæso, non solum alienam, minimeque propriam illam castigati corporis speciem venustam esse; cum nec acquirere eam, si fuerit negata, nec servare concessam, integrum sit ulli: sed & plurimorum sæpe malorum causam fieri; ut quæ, evolaturas in altum, mentes visco erroneorum desideriorum, studiorumque implicet facilè, & ab elegantiæ perfectæ Archetypo supremo ad vanissima rerum simulachra, & ludibria subinde detorqueat veriùs, quam deducat. Quanquam enim index veræ & internæ pulchritudinis creber, minimè tamen certus est; quin, fœda multa contegens, externæ etiam cutis obtentu non rarò sensibus illudit. Sileamus, oculorum eam infirmitatem esse, ut, decepti exterioribus lineamentis, speciosum judicent corpus, cujus si viscera penetrare acumine quodam lynceo possent, sentinam potius immunditiei multiplicis essent deprehensuri: annon, velut Ægyptiorum olim templa, marmore nitida, auro corusca, picturis ad miraculum variegata ac venustata, felem intus, aut hircum, aut ibidem condebant: sic

multi, foris perpoliti, intercutaneis introrsum madent vitiis, utque Socrates ajebat, *in aurea vagina ensem* gestant *plumbeum*; aut, ut Isocrates, *in navi bona malum gubernatorem* habent; animam nempe deformem, tetram, abominandam, quam nitore carnis, non secus ac strumam dibapho, palliant? Scilicet, quæ Euripidis sententia est:

Νῦν χρὴ θεάσασθ'· οὐδὲν ἡ δ' εὐμορφίας ❧ Ὄφελος, ὅταν τις μὴ φρένας καλὰς ἔχῃ.

Iam quod & in alios, nobis invitis, vel indignantibus, flos ille, & illex rosei vultus sit aliquando violentior, & ad turpia deflectere parum cautos cogat, Spurina, adolescentum sui temporis formosissimus, docet. Qui proinde, ne invitare ad libidinem adspectu decoro sive mares, sive fœminas videretur, oris elegantiam sponte vulneribus dehonestavit. Quam egregiam ergo, imo beatam, illorum, juvenum præsertim, curam dicemus, qui, cum spectato formæ nitore caruisse probrosum nulli, eum autem projecisse etiam, multis gloriosum fuerit, unicam mentis exoptant pulchritudinem; huic uni operam impendunt omnem; plus sane, quam id genus aliàs ætatis externæ oris dignitati impendere solet! Utinam accendere, Cives, seriò animis in vestris ignem hunc queamus, ut, (quanquam id facitis plurimi,) præter sapientiam nempe, & virtutem pulchrum nihil; præter ignorantiam autem, & vitia, nil turpe ducatis! Sane, ut tanto constantiùs id faciatis, neutiquam objicere oculis vestris, quod de veterum judicio supra commemorabamus, pulchritudinem hanc opus est, quæ animis se vestris usque & undique, sive in monitis sapientum, quæ auditis, ac legitis; sive in exemplorum copia, quam omnis seculi historia suppeditat, tam dilucidè visendam ac spectandam exhibet. Sed vero, quod comperire tamen nuperè necessum habuimus, nonnullos vestrum adeo parvi decentem hanc veri decoris curam habere velle, ut publicis etiam, nocturno inprimis tempore, strepitib9, rixosisq; studiis; quin & vigiliarum oppidanarum incursionibus violentis, sibi pariter atque ordini suo maculam non levem inurant, est, quod exprobrare hîc iisdem vel inviti adducimur. Quos quidem, ut morum hanc, vitæq; justo solutioris labem eluant tempestivè, monemus sedulo; ne pœnas incurrant, quas certò, idque æquâ delictis proportione, se incursuros, ni caveant turpia ista sequi, sciunto. P.P. Tubingæ sub Academiæ Sigillo, Prid. Id. April. Añо reparatæ Salutis, M.DC.LX.

TUBINGÆ, Typis Theodorici Werlini.

DECANUS
ET COLLEGIUM FACULTATIS THEOLOGICÆ
L. B. S.

QUanquam Errorum tubera, ſtrumæ, & fœditates Eccleſiæ Romanæ abundè à Beato Luthero ſint denudatæ, neque globus hominum ut ut magnus unquam in orbe extiterit, qui privilegio infallibilitatis donatus veritatis cubo conſtanter adhæſerit, inſuper habitâ cœli face, Lumine divino, Scripturæ phosphoro: jactat tamen ſine rubore illibatum corporis ſui florem Romana Cleopatra, & contempta divinorum voluminum Infallibilitate ad Thronum Iurisdictionis ſummæ ementitis ex antiquitate coloribus fraudulenter graſſatur; auguſtum Eccleſiæ nomen dum collo ſuspendit, margaritas antiquitatis, amplitudinis, continuæ Epiſcoporum ſucceſſionis, efficacis doctrinæ, vitæ ſanctioris, miraculoſi ſplendoris, Luminis prophetici, ſereni conſtantis in temporali felicitate cum purpuræ quâ ſuperbit, intermiſcet, D. Auguſtini effato dum tanquam caſſide & ſcuto ſeſe munit, ad ravim ingeminans; Præſulem Hipponenſem non crediturum Evangelio, niſi Eccleſiæ Authoritas eundem commoviſſet. At ſi cute medicatâ contemptim habitâ, ad medullam & ſanguinem contendas, ſi aciem mentis deſuper illuminatæ evibres, quod ſpecie fefellit, & umbra virtutis vitium luculenter transparebit, cincinnos eſſe deprehendes, quod infudit faciei, ceruſſam & ſtibium quod ori induxit, quæ in proba virgine damnavit, in veſtali autem deteſtata eſt quondam vetuſtior ut ut gentilis Roma; agnoſces errorum immunitatem Eccleſiæ quidem tribui, populum autem omnem ut turbam, quæ legem ignorat, ſuperciliosè contemni, videbis diffundi lineas infallibilitatis per orbem Romano-Catholicum, ultimatò autem in centrum pectoris Romani Pontificis cogi; Illius Iudicis, qui in cauſa immaculatæ conceptionis B. Virginis Regi Hiſpaniarum deliquium Spiritus S. confeſſus eſt ingenuè, & æternam ſapientiam nondum patefeciſſe hujus Myſterii penetralia appoſitè reſpondit. Illius Iudicis, qui in cauſa Janſeniticarum propoſitionum, Cardinalium, qui ... pecudes eſſe orbi notum, crebella pulſavit, nec tamen ἄδολον γάλα

aliqua eruditione facta uncti (plures enim eorum pecudes ...) nunc Sforcâ Palavicino primam propositionem rejiciente, nunc Marco Antonio Careliquare aut emulgere potuit, nunc Sforcâ Palavicino primam propositionem rejiciente, nunc Marco Antonio Carpineto eandem probante, nunc Thoma Delbene in distinctione diverticula quærente, nunc *Augustino* Maria à Cremona in sensu universali, particulari, in definito tricante, nunc Luca Wadingo vela obliquante, nunc Dominico Campanella insipienter insipientiæ illam accusante, nunc Modesto à Ferrara Raphaele Aversa, Vincentio de Pretis, Philippo vice Comite, Vincentio Candido, Johanne Augustino Tartagliensi, Cælestino Bruno alia atque alia causantibus. Illius Iudicis, qui in causa Arnaldina à scrinio pectoris, in quo omnes thesauri sapientiæ reconditi, ad ignorantiæ Asylum sese recepit: oblato enim Innocentio decimo prædecessori Alexandri VII. Libro illius Galli de Magnitudine Ecclesiæ Romanæ, subiratus exclamavit, IO NON SO THEOLOGO, ego Theologus non sum, & si unquam Asina Bileami hominis ore locuta fuit, sanè eo tempore Pontifex verum dixit, non enim in sacris voluminibus, sed juris apicibus, & praxi Romana omnem ætatis florem consumpsit grande illud DONNÆ OLYMPIÆ mancipium, neq; quicquam potuit, quam post Cardinalium, Episcoporum, & aliorum quorundam Theologorũ conglobata murmura nisi brutum eniti fulmen, & hæreticos insano proclamare labio, qui sine subordinatione & subjectione S. Pauli ad Petrum, in potestate suprema susciperent sequentes libros. *Arnoldi 1. de l' authorité de S. Pierre & de S. Paul, qui reside dans le Pape successeur de ces deux Apostres 2. La grandeur de l' Eglise Romaine sur l' authorité de S. Pierre & de S. Paul.* Cum itaque refulserit dies Augustino sacer, ordini nostro festus, atque ante aliquot annos de Conciliorum Authoritate, proximè autem de Consensus Patristici infallibilitate dictum sit, consultum duximus de Ecclesiæ, cujus nomen Pontifici suo prætexunt limbi purpurati basiatores, Majestate aliquid proponere, atque dictum Augustini, quo sese involvit infecti oris meretrix dilucidare. Exequetur id nomine Facultatis nostræ VIR JUVENIS Venerabilis & Pereximius GEORGIUS BURCKHARDUS KNEBEL, S.S. Theologiæ Studiosus, Illustris Stipendii Alumnus, & Magister Repetens. Non dubitamus, illum detracturum masculè larvam prostitutæ Thaidi, atque luculenter ostensurum, cerussatam sibi hactenus placentem Lycorin cadente nigriorem Moro esse, si ad interiora penetretur nullo schemate Augustiniano velandam. Rogamus itaque officiosè omnes & singulos tàm nostro studio, quàm reliquis addictos (scire enim quæ ad salutem faciunt omnium interest) ut crastinâ luce horâ nonâ antemeridianâ frequenter ad Aulam Novam confluant, atque non tàm Periclis sui diffusi, quàm Socratis in morem simplicibus nudis & veritati attemperatis verbis, quod genus prætulit Alcibiades, dicturum Oratorem nostrum benevolis animis & auribus faventer excipiant. Perscriptum Tubingæ ipso die Augustini. Anno 1662.

Hertzlicher

Eh-vnd Seegen-Wunsch/

Auff das Hochzeitliche Ehrn- vnd Frewdenfest/

Deß Ehrnvesten vnnd Wohlachtbarn Herrn

SAMUELIS Aichelen/ Burgers vnd Handelsmann in Tübingen:

Vnsers geehrten Herrn Nachbars/ Anjetzo Hochzeiters;

Mit der

Ehrn- vnd viel Tugendtsamen Frawen EUPHROSINA, Weylund deß Ehrnvesten

vnd Mannhafften Herrn Jonæ Magnus/ deß Löblichen Alt-Werdischen Regiments wohlbestellten Cornets/ hinderlassenen Ehrn-Wittib: Anjetzo Hochzeiterin.

So gehalten zu Tübingen in ansehenlicher Frequentz den 15. Febr. deß lauffenden 1642. Jahrs.

Gestellt vnd verehrt durch Johan-Jacob Aichelern/ Johan-Alexandrum Cellium/ Johan-Georg Spörlin/ Buchtruckers Gesellen.

ALs Jupiter entbrandt die Danaen anschawt/
So einem eisern Thurn gefänglich ward vertrawt;
Ist er durch Liebes-Gluth/ wie ein Gold-Regen gflossen/
Vnd hat sich hoch vom Dach in jhre Schoß eingossen:
Gleichfalls habt Ihr gethan Herr Aichele dißmalen/
Als Euch Cupido traff mit seinen Liebes-strahlen.
Dann da ein Matron vor Hitze beschlossen saß/
Vnd'r eines Aichenbaums kühlem Gezelt vnd Graß/
Fiel Ihr vom grünen Zweig ein Aichel in Ihr Schosse/
Welchs sich alsbald darein verwickelt vnd beschlosse.
Sie sah diß Aichel an vnd faßt es in die Hände/



Ein lustig Hochzeit Gespräch zwischen dem Herrn Hochzeiter vnd seinen anwesenden Gästen.

Die Gäst:

WJe kompts Herr Aichele? daß Ihr sampt Ewrer Braute
Nach Schlangen Art dreymal Anziecht ein newe Haute?

Herr Hochzeiter.

Vernimbe mein Antwort liebe Herrn:
Was zweymal g'schicht/ so thut man sagen/

Nun sehet Wunders mehr / was auß dem Aich'len wird /
Die Hülse that sich auff / daß sie alsbald gebürt
Ein lebendiges Bild mit Manns-Gstallt angezogen;
Mehr Wunders kam Sie an lieblich war Sie betrogen /
Sie dacht in Ihrem Sinn das Aichle muß mein bleiben /
Den Schweinen taugt es nicht Ich will sie bald abtreiben.
Das Aichele hört zu und that auff seinen Mund /
Und sprach: Ach mein Matron / Ihr meiner Hoffnung Grund /
Ein Aich'le bin ich g'nandt / bey Euch such ich mein Wonne /
Doch werfft mich nun nicht hin von Ewer Augen-Sonne /
Ich will Ew'r Speise seyn / ich will Euch satt erfüllen /
Daß Ihr gemästet seyt nach Ewers Hertzens Willen.
Auch soll' ein Aichelin / mir nach / seyn Ewer Nam
Und durch Euch seyn gemehrt der Aich'len Gschlecht und Sam.
Zwar heiß ich Aichele doch lig ich nicht in Hecken /
Vielmehr im linden Beth thut mich der Pflaum bedecken.
In dieser Feder-Burg solt ihr mit mir einschlaaffen /
Wir wollen sie bewahrn mit keuschen Liebes-Waaffen.
Auff diß sagt die Matron: Mit wenig sey Euch klar /
Mein's Hertzens Frewden-Kron / so schwerlich ich all' Haar
Mit Zahl begreiffen mag / so gar wolt ich nicht lassen
Diß Aichel in die Schoß meins Hertzens stehts zu fassen;
Drumb will ich Ewer seyn / Ich will nun Aich'lin heissen /
Mein Hertz und Ewer Hertz sollen zusammen schweissen.
Nun ist es jetzund zeit dem new-vermählten paar /
Zu wünschen gute Tag / viel Frewd- und Seegen-Jahr.
So sey nun unser Wunsch: GOtt woll den Güld'nen Regen /
Den süssen Segen-Thaw vom Himmel hoch bewegen /
Daß der euch Seel und Leib befruchte und befeuchte;
Darneben auch sein Aug gleich wie die Sonn Euch leuchte.
Recht heißt Ihr Samuel Herr Aichel / Ursach ist;
Ihr seyt von GOtt beschert das hat ewr Spons gewißt.
Auch Euphrosina ist vergebens nicht so gnennet /
Dann Sie ein Frewden-Muth im Hertzen Euch begönnet.
Nun habe Ihr gnug gehört vom Aichelen jetz alle /
Fragt etwann auch die Braut wie Ihr dasselb gefalle.

Gleich als ein starcke Saul besteht auff vestem Grunde:
So sey auch Mann und Weib standhafft am Liebes-Bunde.

Das mehret sich in drey gar gern /
Und lehrt uns gleiche Bürde tragen.

Die Gäst.

SAgt auff was Weiß vñ Weg / habt Ihr die Braut gewonnen /
Nach welcher andre viel geritten und geronnen.

H. Hochz.

WEms glücken will der hat daß Glück;
Der warme Of hat zwar viel Bulen /
Doch heißt es offt: geht jhr zurück.
Und dieses lernt' ich in den Schulen.

D. G.

OHn zweiffel wird Euch auch Ewr Braut etwas abkauffen /
Wann Sie Euch etwann wird in die Beth-Laden lauffen.

H. H.

JA wol / Ich wart der Vesper-Meß /
Da soll der Marckt schon selber lehren
Daß man keins guten Kauffs vergeß /
Damit die Wahr viel Jahr mög wehren.

D. G.

WJe stehet Ewer Sinn / die Sach new zu bestellen
Mit ewerm Hertzes-gmahl etwan in übernächtlich'n Fällen?

H. H.

EJn sichern Weg hab ich erwehlt /
Zu weit will ich nicht gaffen /
Vielleicht es mir im Beth einfellt /
Drumb will ich heynt drauff schlaffen.

D. G.

LEtzlich Herr Aichele wann Euch viel Kammer-Sachen
Verwickeln umb und umb / wie wolt Ihrs alsdann machen?

H. H.

HAbt Ruh Ihr Herrn Ihr fragt vielmehr
Als mich zu sagen thut berühren
Wann Euch die Gluth nicht brennt zusehr
Kein Blaßt solt Ihr umbsonst verlieren.

Tübingen / Gedruckt bey Philibert Brunnen.

EPITHALAMIVM

Oder

Hertzliche Glückwünschung /

Auff das Hochzeitliche Ehren- vnnd Frewdenfest/

Deß Ehrnvesten vnnd Wohlachtbarn Herrn SAMUELIS Aichele / Burgers vnd Handelsmann in Tübingen:

Vnsers Geehrten Herrn Nachbars/ Als Hochzeiters:

Mit der

Ehren- vnd Vieltugendtreichen Jungfrawen ANNA DOROTHEA, Weyland deß Ehrnvesten vnnd Wolgelehrten Herrn M. ADAMI Eppich/ gewesenen Vniversitäts Verwanthen seeligen / Ehelichen hinderlassnen Ehren-Tochter: Als Hochzeiterin.

So gehalten zu Tübingen in ansehnlicher Versamblung den 22. May/ dieses 1638. Jahrs.

Gestellt vnd verehrt durch Balthasar Kressen/ vnd Johan Jacob Aichelern/ Buchtruckergesellen.

Schaw! Herr Aichele hat DJS dermal eins gewaget/
Damit jetzt lange Zeit Herr Fürwitz sich geplaget:
Wie es doch ewig kom̃/ daß Er Sich nicht begeb'
In Ehestand/ vnd darin nach Gottes Ordnung leb'?
Der Eine meinte das/ der Ander dieses schätzte/
Der Dritte abermal vom Handel anderst schwätzte:
Vnd Ich selbs/ ich bekenns/ war an der Zahl der Vierdt/
Der ich doch wie ich meyn'/ am wenigsten geirrt.
Diß meine Meynung war: Es werden alle Ehen
Im Himmel ja gemacht: Wie kundte dann geschehen
Daß ihme schon vor langst/ Sagt? diese Seine Braut/

AD CUPIDINES.

Oder

An die Liebes-Geisterlein.

Hört/ Ihr liebe Venus-Kindlein!
Ihr vnrüwig nacket Gsindlein/ Kompt herbey!
Kompt/ Kompt! Liebe Buler-Büblein/
Ey kompt/ Ihr verschmitzte Dieblein/ Die Ihr frey
Sonsten pflegt zu wandern jmmer/
Durch der schönen Damen Zimmer: Vnd allda
Den Tag vnd die Nacht verbleibet/
Ewer Zeit vnd Weil vertreibet/ In der Schaw.
O Ihr scharpffe Gstalt-Außspeher/
Klarer Augen Sternseher/ Künstlerlein:

Die an jetzt noch fast Jung/ hatt werden köndt vertrawt?
Es wolt sich ja die Sach nicht eh- vnd zeiter fügen/
Weil se vor zweintzig Jahr Sie noch lag in der Wiegen!
Hat also müssen Er nothwendig diesen Bund
Der Ehe/ vnd die Hochzeit auffschieben biß jetzund.
Daß dißmals ich geschweig deß Himmels Influenzen.
Vnd was ist es mehr/ man sihet offt mit Kräntzen
Die Schützen ziehen heim/ die gar spat kommen her/
Hingegen gehen auß die Ersten offtmals läer.
Er hat gewartet wol/ vnd hat sein langes Warten
Fürwar wol angelegt. Wie ich dann zu der Zarten
Vnd schönen Jungfraw Braut hab diese Zuversicht/
Sie werde dieses Orths mich lassen fehlen nicht.
Denn sie mit Tugendt viel ist herzlich schön gezieret/
Dabey Ihr den Vorzug die reine Gottsforcht führet/
Beneben trägt sie an das rechte Ehren Kleyd/
Die Zucht/ die schön verprembt ist mit Holdseeligkeit.
Der liebe GOtt wolle weiter auch thun verleihen
Zu dieser Zweyten Ehe/ sein seeligs Gedeyen!
Daß ihr in selber möcht bald wider bringen z'recht
Den Abgang vnd Verlust im Aichelischen Geschlecht.
Er wolle ferner auch sein Güte lassen walten
Fort vnd fort vber Euch/ damit ihr möget alten
Beysamen frisch vnd gsundt/ daß Diese nunmehr sey
Die Liebste vnd darzu die Letste vnder Zwey.
Sein Frieden/ Segen/ Heyl/ Euch mildiglich vmbfange/
Damit in Ewer Ehe ein Glück am andern hange.
Geht nun jetzt Jungfraw Braut/ geht hin vñ leget Euch/
So werd biß Morgen Ihr Ewer Fraw Mutter gleich.

Mändlein-Küsser/ Händlein-Trucker/ Kommt herein!
Kompt/ Ihr liebe Venus Page,
Vnd erweiset ein Courage, Dieses mal!
Thut was Euch nun ist erlaubet/
Springet/ jauchet/ ja beraubet All vnd all
Ihres Schmucks Diß Bräutlein schone
Keiner feyre/ keiner schone Greiffet zu!
Nembt ihr ab nach Venus Vrthel/
Ihren Krantz vnd Ihre Gürtel/ Auch die Schuch.
Das ist Ewer Außgemächte/
Damit habt nur Ewer Gfächte/ Wie ihr wolt/
Nunmehr ligt Sie in den Zügen/
Ey wolan so laßt sie ligen. Doch ihr solt
Heut vnd hinfort alle Nachte/
Vmb diß Ehebett gute Wachte Halten thun:
Daß nicht zu demselben nahen
Die drey Höllisch vnglücks Frawen: Treibts darvon!
Lasset aber einher gehen/
Vnd vmb diese Bethstatt stehen/ allezeit/
Jovis Schwester die den Regen/
Ihres reichen Goldes Segen/ Hie außbreit:
Von Ihr bleibe vngescheiden/
Die Gesundtheit mit dem Frieden/ Vnd die Drey
Charites die wöllen machen
Ihre Liebe vnd Ihr Lachen/ All Tag New.

Getruckt zu Tübingen/ bey Phlibert Brunn.

Hertzens-Gespräch

Zwischen

Deß Wol-Edlen/ Vesten und Hochgelehrten Herrn/

Johann-Ulrich Kümelins/

Vortrefflichen Rechts-Gelehrten/ Fürstl. Wirtemb. Durchl. Raths/ und in dero Löbl. Hofgericht Hochansehnlichen Beysitzers/ rc.

Seel. verstorbener Ehe-Liebsten/

Der Wol-Edlen/ viel Ehr- und Tugendreichen Frauen/

Margreta Kümlerin/ einer Gebornen Heerbrändin/ rc.

Und

Ihrem Liebwerthesten Erlöser Jesus Christus;

In welchem Dieselbe

Sanfft und seeliglich/ den 10. Christmonathstag/ 1662. allhie verschieden/ und nachmals/ den 14. dessen/ Christlöblichem Gebrauch nach/ auff dem Kirchhof bey St. Georgen begraben worden/

Dero überlebenden Eheherrn/ und HH. Söhnen/ zu sonderm Trost/

Der Seel. verstorbenen Frauen/ seiner Hochgeehrten Fr. Gevatterin/ zu Christschuldiger Ehrengedächtnuß verfertiget:

Durch

Magnus Hesenthalern/ bey Fürstl. Hoher Ritterschuhl/ der Regimentskünsten/ Geschichten und Wohlredenheit offentlichen Lehrern.

Eingerichtet auff dero Leichtext/ Joh. 21. Kap. 17. Vers.

Nach der Singweise:

Ich hab mein Sach GOTT heimgestellt/ rc.

Anredung.

I. MEin HErr/ hör deine Magd steths an/
Die so/ mit Wahrheit/ reden kan;
Als dein erworbnes Eigenthum/
Mit Sieg und Ruhm/
Durch deines Leidens Heiligthum.

II. ACh HErr/ du weissest meine Zeit/
Ob der Tod nah' sey oder weit/

✠

Antwortung.

I. REd/ meine Tochter/ Jch hör ahn/
Wann auch dein Mund nicht reden kan/
Jch halt dich für mein Eigenthum/
Zu meinem Ruhm/
Hol Jch dich in mein Heiligthum.

II. ÜM deinen Hintritt auß der Zeit/
Weiß Jch gar wohl/ er ist nicht weit:

Das Leben ligt in deiner Hand

Dir ist bekant/

Wie es mit beyden sey bewandt.

III. **R**echt alle Ding/ was groß und klein/
Sieht deiner Augen heller Schein:
Bey dir sind meine graue Haar
Gezehlet gar/
Wie meine matte Lebens-Jahr.

IV. **G**leich wie du weissest Werck und Wort/
So auch den innern Hertzens-Ort:
Was sonst kein Mensch erforschen mag/
Das ligt am Tag
Für dir: unnöthig ist die Frag.

V. **R**uff also dich zum Zeugen frey/
Daß Ich dir nicht verborgen sey/
Ich/ wie ich bin/ ich schwaches Weib/
Samt Seel und Leib/
Durchauß in deiner Käntnuß bleib.

VI. **E**s hat dich / Jesu Christ/ mein Hertz
Zum Schatz erwehlt/ und soll kein Schmertz
Dich/ werther Heyland/ nehmen hin
Auß meinem Sinn/
Dich Jesu! weil ich leb und bin.

VII. **T**rotz Welt! lieb hab ich Jesum Christ;
Du/ liebster Heyland/ du/ du bist
Durch Glauben mein: wann auch mein Mund/
Zur letzten Stund/
Es nicht mehr thut mit Worten kund.

VIII. **A**ch! HErr/ du weissest alle Ding/
Du weissest (eh' ichs dir vorbring)
Daß ich dich lieb hab / in der Zeit/
In Ewigkeit:
Hier/ und dort in der Seeligkeit.

Mir ist bekant/

Wie es mit beyden sey bewandt.

III. **M**ir alles Ding / was groß und klein/
Muß vor den Augen offen seyn:
Bey mir sind deine graue Haar
Gezehlet gar/
Wie auch die schwache Lebens-Jahr.

IV. **L**eicht ist mir/ gleich wie Werck und Wort/
Zu wissen auch den Hertzens-Ort:
Ich weiß / was niemand gründen mag/
Das ligt am Tag
Für mir; ob Ich zur Prob schon frag.

V. **E**s ist gar recht / daß du sagst frey/
Wie mir kein Ding verborgen sey:
Drum du im Glauben starckes Weib/
Samt Seel und Leib/
Fortan in meiner Käntnuß bleib.

VI. **R**echt ist es/ daß mich hat dein Hertz
Zum Schatz erwehlt/ und wird kein Schmertz/
Durch Geistes Beystand/ nehmen hin/
Auß deinem Sinn
Mich/ der Ich gern dein eigen bin.

VII. **I**ch weiß/ so wahr Ich Jesus Christ/
Daß du mich liebst zu aller frist;
Dein Glaub wird dauren/ wann der Mund/
Zur letzten Stund/
Nichts mehr kan thun mit Worten kund.

VIII. **N**un wolahn! Ich weiß alle Ding/
Ich weiß (dein Glaub ist nicht gering!)
Du liebst mich: Ich bleib in der Zeit/
Und Ewigkeit/
Zur Lieb und Gegenlieb bereit.

Tübingen am Tage der Begräbnuß gedruckt bey Gregorius Kernern.

CORONA PHILOSOPHIÆ SUPREMA
FLORENTISSIMO JUVENI,

DN. JOHANNI ZELLERO,
Calvensi,

Die XXIIX. Martij

collata,

PATRONORUM, AGNATORUM, AMICORUM ET FRATRUM
EULOGIIS ET CONGRATULATIONIBUS
decantata.

I.

IN CELLAM ZELLERE Tuam non dulcis Hymetti,
Sed Tubii CONDIS mellea dona favi.
Si CONDUS perstas talis, mox PROMUS abibis,
Melle hilarans hominum corda oculosque Tuo!

Sic gratulabundus ominatur

Balthasar Raith, D.

II.

Laurus amor Phœbi circum tua tempora frondet,
Frondeat ut semper, sit tibi Laurus honor!
Faxit & alma Trias, Triadis dum quæris honorem,
Inconcussa ut sis Laurus in æde DEI!

Hon. & affin. ergò applaud.

Jo. Conradus Brotbeckh/
Phil. & Med. D.P.P.

III.

Meritissimo Philosophiæ Candidato.

Quis neget? Invidia est laudem obtrectare merenti,
Perfidia est digno præmia si qua neges.
Herculis in stadio cum decertâris ubique,

VII.

Dum juvat assiduos *Te* devicisse labores,
Præmia perpetuo digna labore capis:
Pressa *Tua* calcas quia sic vestigia *Gentis*,
Te PATRI similem quis neget esse Tuo?
Quod si *Fraternis* propria superaddere *laudes*
Pergas, egregium nomen in orbe feres.

f.

M. Joh. Wolffgangus Dieterich,
Ill. Stip. Repetens.

VIII.

Scilicet ex magnâ TIBI magna *Corona Tubingæ*
Sedulitate venit, quod probat hicce dies:
Ast TIBI, *quo veniat*, majori *tende labore*,
Cœli, quæ perpes, maxima *quæq; simul.*

Germano suo impensius dilecto
grat.

M. Joh. Cunradus Zeller, Calvensis,
Theol. Stud.

IX.

Atque ita *Principiis* similari præmia tandem
IPSE vides? Multum grana valoris habent!
Prævia sceptra, faces, aurum, liber, infula, serta,

Nunc Sophiæ fructum consequeris merito.
Quæ tribuit CELEBRIS, cape pulchra brabea, BRABEUTES,
Inque Tui laudes, inque decus Patriæ.

Apposuit

Johannes Grafft, P.P.

IV.

Undique Te stimuli validis hortatibus urgent,
Seu fratres lubuit cernere, sive PATREM;
PATREM, *delicium* CHARITINÆ *dignius aula,*
Eusebiesque negans interiisse decus.
Altera Pieris beat en Te *meta corollis:*
Macte, novo dum Te tertia flore beet.

Christophorus Caldenbach.

V.

Regis ad Exemplum totus componitur orbis,
Non benè tàm, malè quàm, sæpè sequela nocet.
Dum PATRIS Exemplum sequeris, juvat esse secutum,
Perge, minor non sis *Fratribus* ipse Tuis.

M. Christophorus Wölfflin/
Ill. Stip. M. Domus, & Prof.

VI.

Quis Te tam præcox agit in virtutis amorem
Impetus? An nostros vis superare gradus?
At non invideo; stimulos quin jussor & author
Addo: Fraternâ laus quoque surgit ope.
Incolumes noster vivat PATER *optimus annos,*
Veris Te *& florem deliciantis amet!*

Fratri ex asse dilecto
apposuit
M. Christophorus Zeller,
Ill. Stip. Repetens.

Gaudent *Principio Principiata suo!*

f.
M. Johann-Jacobus Steinhofer/
Theol. Stud.

X.

Quem nuper Sophiam totam *asseruisse recordor,*
Et doctè solito disseruisse loco:
Nunc QVARTVM *video tàm plures intereuntes;*
Scilicet hic meriti *debuit esse* locus.

f.
M. Georgius Gebhardus Keppelmann/
Aalensis, SS. Theol. Stud.

XI.

Rte dum *Tu* magna *Sophiæ* reples
Dulci nectare CELLULAM
IngenI magni, *Castalij* sacros
Et Latices in eam *recondis.*
En virescentem germine florido
Laurum, quam sacer hoc liquor
Fonte fœcundat! perpete gloriâ
Crescat & usque, precor, *virescat!*

Suo amicissimo Patrueli *ceu* Fratri
votiva mente scribebat
Jeremias Zeller, Wildb. Ph. St.

XII.

Serta Magisterii *dum nectit*, FRATER AMANDE,
Vt Tua cingat iis tempora, Apollo Sacer;
Adprecor, ut gignat ZELLERIS *gaudia mille,*
Et TIBI *præprimis, quem capis* Almus Honor!

Fraterni affectus monumentum
hac ponebat gratulatione
Johannes Ulricus Zeller, Calvens.
Philosoph. Stud.

Tubingæ, LITERIS KERNERIANIS, Ao. 1660.

HARMONIA GRATULATORIA
MAGNI NOMINIS THEOLOGI,
DN.
CHRISTOPHORI ZELLERI, D.
Württemb. Concionatoris Aulici, Consiliarii & Præpositi
Denckendorffensis
Gnato Florentissimo,
DN. JOHANNI ULRICO ZELLERO,
Calvensi, alterius Laureæ Candidatorum Duci,
Cum Tubingæ ultimâ Julii die, Anno Parituræ Virgineæ 1661. istâ donaretur,
à
Fautoribus, Præceptoribus, Affinibus, Amicis & Fratribus Germanis
concinnata.

I.

PRæcellis ZELLERE loco, Tua terga sequenti
In grege; quis meritis prævaluisse neget?
Primitiæ hæ si primatum meruere, quid olim
In plenâ decimæ messe merere queant?

αὐτοσχεδίως hon. & aff.
test. c. fac. cum votivo celer.
Balth. Raith D.

II.

FLos patriæ stirpis, fratrum decus, atque sophorum
Primus amor juvenum, gloria prima veni;
Carpe tuos Lauri pulchrum cingentis honores,
Carpe almos fructus, da patriæ atque DEO!

Jo. Conradus Brotbeckh/
Ph. & Med. D. P.

III.

VII.

QUid plures tituli, meritis nî pluribus illos
Viceris, & *primum* sic tueare locum?
Ergò ULRICE bonam serva cum fœnore spartam;
Sic mihi *primus* eris, sicque *Magister* eris.
Et, quem jam *primum* voluit *Sapientia*, dicet.
Alma *Themis* florem delitiumque suum.

Paucis hisce suo Joh. Ulrico
bene ominatur
Triga fraterna
M. Christophorus Zeller, Leob. Diac.
M. Joh. Cunradus Zeller, Theol. Stud.
M. Johannes Zeller, Theol. Studiosus.

VIII.

TUq; ita cum reliquis Lauri requiesce sub umbrâ
Fratribus, & generis stemma viresce tui?

F.

ZELLERIDUM prægrande decus nunc ordine QUARTUS
Ad Superum ſtellas ingenio volitas.
PRIMUS & in Pindo donatus munere Phœbi
Purpurea mitra conſpiciendus ovas.
Scilicet hæc meritis præclaris obtinuiſti
Eſſent ut Comites gloria, fama, ſalus.

f. Promotor
Johannes Graft/ Th.D. Ph. Pr.
Fac. Phil. Dec.

IV.

IN ſociis qui primus ovat Phœbeide lauro,
Inde triumphantem mox Themis alma dabit.

Chriſtophorus Caldenbach.

V.

Et PATRIS & PATRUI Cognominis inclita Virtus
De TE conflictu dimicat ambiguo.
Iſthinc THEOLOGUM veſtigia ſancta PARENTIS,
JURISCONSULTUM hinc PATRUA TE cupiunt:
Eia age, nil referet, ſpeculum quodcunque ſequaris,
Principibus, Patriæ, gratus erisque DEO.

Ita ex ſinceriſſ. Tuiq; amantiſſ. pectore
voveo Sororius
M. Tobias Cantſtetter/
Paſt. Brackhenh.

VI.

QVi virtute novem poteras ſuperare Sorores,
An dubitas, quin ſis Delius ipſe mihi?
Mi ZELLERE! locum hunc doctus tibi cedit Apollo:
Hem tibi prima datur palma Magiſterij.

Amica manus
Tobiæ Hagelgannſen.

Theol. Stud.

IX.

QVis novus inſoliti proceſſus hic agminis? ignis
Quid ſacer? aut Monti propria ſerta ſacro?
Dic age Phœbe Pater Numenne Novenſile *ſedem*
Hic aulamque *parat ſpreto Helicone* novam?
Divi aliquid. bene. partus erit monte editus almo,
En Primum, *cui non eſt niſi* Diva *Parens.*

Ita Pereximio Dn. Candidato ſuum teſtaturus
amorem ad numerum Candidatorum novenarium
alludere voluit
M. Joh. Ulricus Meurer, Theol. Stud.

X.

EN fratrum Quartus, Sophiæ quoque culmine preſſo,
Præcedens reliquis, jam ſua ſerta gerit,
Plaudit Parnaſſus, ſubjungunt carmina Muſæ.
Et ſimiles ISTIS in ſua caſtra vocant.
Promeritos igitur ZELLERO grator honores,
Utque ſient ipſi præmia fauſta precor.

M. Joh. Theodoricus Kieſer,
SS. Theol. Stud.

XI.

ORdine qui numeroq; pari fers præmia prima
Quæ donat Sophiæ dives uterque gradus,
Calliopeq; novem ſocios geminâ vice ducis,
Et poſt in primis, judico, primus eris.

Cum voto omnigenæ fauſtitatis
Candidator. utriusq; Laureæ bis Chorago,
deproperabat
Patruelis & Amicus
M. Jeremias Zeller, Wildberg.
SS. Theol. Stud.

LITERIS KERNERIANIS.

FOEMINÆ NOBILISSIMÆ,
SEXUS SUI ORNAMENTO,

MARIÆ SUSANNÆ,

VIRI

Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi & Consultissimi,

DN. WOLFGANGI ADAMI Lauterbachs/

JCTI MAGNI, SERENISSIMI DUCIS WURTEMBERGICI

Consiliarii Gravissimi, P.P. longe celeberrimi, &c.

UXORI DESIDERATISSIMÆ,

justa solvunt

DN. D. DÆMONIS
COMMENSALES,

Tubingæ

XIV. *Cal. Octob.*

ANNO

CIↃ IↃC LII.

FOEMINÆ NOBILISSIMÆ, SEXUS SUI ORNAMENTO,

MARIÆ SUSANNÆ,

VIRI

Magnifici, Nobilißimi, Amplißimi & Consultißimi,

DN. WOLFGANGI ADAMI Lauterbach/

JCTI MAGNI, SERENISSIMI DUCIS WURTEMBERGICI

Consiliarii Gravissimi, P.P. longe celeberrimi, &c.

UXORI DESIDERATISSIMÆ,

justa solvunt

DN. D. DÆMONIS

COMMENSALES,

Tubingæ

XIV. Cal. Octobr.

ANNO

CIↃ IↃC LXII.

Oemineos colimus Manes; redimita cupresso, | Heu quantis Helicon mœroribus omnis abundat

Huc ades, & querulos da pia Juno sonos!
Sit ſaxum! ſit Tigris atrox! qui pectora durus
Nil quicquam tanta clade movenda gerit.
Virtutum radiis ſic LAUTERBACHIA fulſit,
Qualis per cœlum Luna micare ſolet.
Quanta relucebat, quam grata modeſtia vultus?
Quanta verecundæ gratia frontis erat?
Ac quid dicamus magnum probitatis amorem?
Quid ſimul & Zelo fervida corda pio?
Heu TANTUM mundo DECUS invidet Atropos! idque
E terra in cœlum lex Jovis ipſa vocat.
Parturit immenſo cruciatu FOEMINA SANCTA,
Lucinam ad partum feſſa labore vocat.
Mox ſe pertæſam vitalis nunciat auræ,
Intempeſtivum mortis anhelat iter.
ME vero, ME, inquit, capiunt faſtidia mundi,
Approperat fatum, victa dolore cado.
Dixerat: & ſubito melior pars exit in auras,
Elyſiumque petit cælitus acta nemus.
At corpus, ſedes virtutum ſplendida, languet,
Evacuata ſuo membra calore rigent.
Usque adeo nihil eſt rebus ſub Sole perenne!
Nil duraturo ſemper honore viget!
Triſtia miſcentur lætis, nec ſemper easdem
Vel ſors fauſta tenet, vel truculenta vices.

Quos Charites gemitus, Numina mœsta trahunt.
Et Juno & Charites pullatæ triſte feretrum
Stipant, exequias tota caterva parat.
Corde MARITUS adeſt turbato; mœſta querelis
Ignorat MATER conſtituiſſe modum:
Arguit immitem conſcitæ ſtragis Olympum,
Ferrea præ ſummis luctibus aſtra vocat.
PIGNORA CHARA THORI chara viduata PARENTE
Lugent, & MATREM voce ſonante vocant.
Quo ruis O PARS MAGNA MEI! PARS ALTERA CORDIS,
Exclamat VIDUUS, quo fugis ante diem?
Heu DILECTA mane, aut ME, ME tibi junge ruenti!
Quid comitem mortis ME vetat eſſe tuæ?
Hoc unum miſero Fata indulgete, ſepulchro
Fata precor parili me ſinitote frui!
Fruſtra ploratis, funduntur & irrita vota,
Nunquam, quod rupit, Parca retexit anus.
Stat cœli placitum, ſtat fatum adamante notatum,
Quod mutare negat Jupiter ipſe DEUS.
Pone MARITE tuos luctus! dumque UXOR in aſtris
Fulget, TU nobis SIDUS in orbe mica!
Pone tuos MATER luctus, TU MATRIS EGENA
TURBA! poli ſervet provida cura PATREM!

Typis JOHANN. HENRICI REISII.

EHRE[...]

Auff den hocherfre[...]

Deß Ehren-Vöst[...]

Herrn Him[...]

Berühmbten [...]

Der Viel-Ehren vnd T[...]

Anna-Rosin[...]

Den III. Februarl, de[...]

Zu Tübingen [...]

EJN Sprichwort ist bekandt/ das heißt: Ich kom̃ auß Sachsen/
Wo schöne Jungfern seyn / die auff den Bäumen wachsen/
Die an Holdseeligkeit / an Tugendt vnd Verstandt/
Auch anderm / daß ich schweig / fast trotzen alle Landt.

Das Sprichwort ist nit Wahr: Ob **Sachsen** gleich berühmet
Von schönem Weibs-Volck ist. So waiß ich/ es geziemet
Diß Lob Ihm nicht allein; Es seyndt noch and're Orth
Wo Himmels-Bilder Pracht zu finden fort vnd fort.

Würtemberg sage mir: Hast du nicht auch dergleichen
Beglückten Zierheit / Preyß. Ja / Ja / dir müssen weichen
Viel grosse Länder mehr: **Das reiche Meißner Landt**
Verwundert deiner/ sich: **Du klarer Necker Strand**

An deinem hellen Guß ist ja noch auch zu finden
Geprißner Schönheit Liecht: Die Nymfen allhier winden
Gleich andrer Enden auch / von **Nelcken / Rosmarin**
Vnd Blumen mancher Arth; auß vollem Liebes Sinn

Der Edlen Schäffern Kräntz'. **Herr Petzold** ich will fragen:
Hat nicht auß **Sachsen** Euch der Weeg hieher getragen?
Was bliebet Ihr nicht dort / wann je der Schönheit Pracht
Daselbsten nur allein in seiner höchsten Acht

Den Sitz Ihm außerwehlt? Er schweiget still / vnd dencket
Tübingen ist der Orth; Da / da ist Mir gekräncket
Mein sonsten kalter Sinn / Mein vnverliebtes Hertz'
Hier vnd sonst nirgendt nicht; hat deß Liebraitzens Kertz'

Auff seiner Mutter Rhat / Mir mein Hertz angezündet/
Daß es für grosser Hitz fast keine Labsaal findet/
Ohn die Mich hält bestricket; ohn meine Seelen-Freud /
Die kan hier Artzte seyn; vnd stillen dieses Leyd.

Tübingen/ Getruckt [...]

...-Gedichte
...lichen Hochzeit Tag/
...n vnd Vorgeachten
...on Petzolden/
...Handelsmann:
...nd
...gendt-Reichen Jungfraw/
...a Sarweyin/
... M. DC. LVII. Jahrs/
...erlich begangen.

Nun saget Jungfraw Braut / obs Euch nicht wohl gelungen/
Daß Ihr ein Säschsisch Bluet so leicht vnd schnell bezwungen/
Daß Euch O schöne Roß im Winter blühen macht:
Vnd damit Ihr nicht welckt/ anfrischet Tag vnd Nacht.

Daß Euch im Sommer wirdt so trefflich wohl beschützen/
Damit die Sonne könn' Euch nicht zu sehr erhitzen/
Daß Euch im Lentzen schön / im Sommer schatten gibt/
Vnd Euch im Herbst bewahrt / daß Euch kein Reiff betrübt.

Diß heisset wohl gethan; diß heisset wohl gefreyet/
Da weder SJE noch JHN der Lange KAVFF gerewet/
Da man geliebet wirdt/ vnd liebet wiederumb/
Da hat die keusche Lieb ihr rechtes Heiligthumb.

Vnd Ihr/ Ihr Jüngfern All die Ihr die ROS begleitet/
Seh't / Ihrem Stengel ist / das Sterben schon bereitet.
Doch lachet nicht / ich waiß: Ihr wünschet in der still'
Euch Allen solchen Todt: wie die BRAVT sterben will.

Viel Glück du Liebes Paar; Glück zu verliebte Hertzen/
Geh't hin vnd dempffet nur die Newen Liebes Schmertzen/
GOTT geb Euch Glück vnd Heyl/ Gesundtheit/ Grawe Zeit/
Viel Junger Röselein / vnd dann die Seeligkeit.

Auß Redlich Teutsch schertzendem Gemüth/
Dem Herrn Bräutigamb
Vnd
Jungfrawen Braut
Zu sonderlichen EHREN
verfertiget/ von
M. Thomas Richter/ } der Hochheyl. Schrifft
M. Elias Bantz/ } Befleißnen.

...ey Dieterich Werlin.

ADMODUM REVERENDO ET EXCELLENTI VIRO,

D. D. JOH. ULRICO PREGITZERO, &c. PASTORI ET PROFESSORI TUBING. EXIMIO:

GRATULATUR ITERUM

MAGNIFICUM RECTORATUM

M. Fridericus Hermannus Flayder, P. L. & P. L. Inclitaq; Universitati à Bibliothecâ.

Plaude, Tubinga, tuo Pastori, Plaude Tubinga:
Rectorisq; iterum sceptra decenter habe.
Ex te Davidis si quicquam est hactenus ortum:
Davides certè nunc tibi totus adest.
Davides citharâ, citharâ Pregiserus & ipse
Clarus erat, patrias Musicus inter oves.
Davides agnas pavit, Pregiserus & agnas
Pascit: habet baculum Pastor uterque suum.
Davides mediâ celebravit peste Jehovam;
Hoc quoque fecit apud nos Pregiserus idem.

Davides Ursum, Pregiserus & ipsemet ursum
Emissum Stygijs contudit è caveis.
Davides Golian, Pregiserus at ipse Forerum
Stravit: uterque Gygas, hostis uterque fuit.
Davides chlamydis Saulinæ præscidit oram:
E Calvo & chlamydem jam Pregiserus habet:
Davidis baculus sceptrum est in nobile versus,
Pro baculo & sceptrum nunc Pregiserus habet.
Omnia Davidi similis vocemq; canoremq;,
Et decus, & robur nunc Pregiserus erit.
Excepto: quod nec Davides noster Uriam
Fallere, nec cives vult numerare suos.
Quare plaude tuo Pastori, ô plaude Tubinga:
Davidisq; tui sceptra decenter habe.

TUBINGÆ, Typis Philiberti Brunnii, Anno 1627. 1. MaI.

28

IN NUPTIAS,

Venerandi & Ornatissimi viri juvenis,

Dn.

M. MELIORIS VOLCII,

Daß vnser Feld vnd Wäld den Daphnis würten sehen/
So wirdt baldt Berg vnd Thal mit reichem Regen-goß
Der Höchst erquicken auch vom blawen Wolcken-Schloß.
Dann sollt der Höchste nicht die Herd vnd Weide segnen/

I. N. D. N. J.

APPLAUSUS VOTIVUS

In

LAUREAM PHILOSOPHIÆ SUPREMAM,

Die 25. Sextilis, Anno M. DC. LXIV.
datam & oblatam

VIRO-JUVENI

Morum, Literarumque Culturâ insigniter Ornato

DN. ISAACO LISTIO,

REUTLINGANO, &c.

Excitatus in cordibus Amicorum
à
COGNOMINE COGNATO.

I.

NOn tot spicea serta gestat Æstas,
Non tot Messibus Afra terra flavet,
Non tot Gargara frugibus triumphant
Non tot punica mala grana claudunt,
Non tot semina contegit papaver,
Non tot gramina promit alma Tellus.
Non tot singula dant vireta flores,
Non tot Palladis arbor aucta baccis,
Non tot induit arbor ulla crines,
Non tot frondibus insident volucres,
Non tot spirituum stygi malorum,
Non tot sydera promicant Olympo.
Quot Tibi Comites tui Salini,
Magister Sophiæ, precantur alba,
Albis omnibus omnibusque dextris
LIST dignissime candidisque votis!
Christo gloria, sempiterna Lausque,
Pro tanto Tibi jam dato Brabéo.
Hoc ut mille ferat Tibi tuisque.
Porrò Gaudia vera faxit ille.
Hoc ex pectore vovimus : vovemus
Hoc : vovebimus omnibus diebus

6.

I, LIST, jam prosperum
E cœlis hesperum
Tibi fulgere conspicio,
Telluri doctrinâ fulgeto, nam trina
Dat labor per lustra progressus, nec frustra,
Magne pugilum.

7.

I, LIST & aureis
Decore Laureis,
faustam fortunam inquirito,

...tot spirituum polo bonorum, | Hoc, duo Comites tui Salini.

J. M. Rhorbach.
&
J. C. Jæger.

II.
CANTUS
VICTORI NEOMAGISTRO
DN. ISAACO LISTIO.

1.
JAm tandem bellicus
Labor, quem Sophicus
Cursus causavit triennio,
Ad metam amatam, & summè optatam
Pervenit, in Ente dum placida mente
conquiescitur.

2.
Dux, qui scientiam
Sparsit, licentiam
ultrò concedit liberrimam,
Fortemq; Ductorẽ, quin imò Doctorem
Te facit, & creat, Sophiæ dum beat
Magisterio.

3.
Lætare fortium
Idea pectorum,
Tua perennat jam gloria
Tubinga parata Te jubet Theatra
Tenere honoris, jam nulla timoris
Causa superest.

4.
Vicisti plaudito,
Ad celsa scandito,
Tuis tot parta sudoribus;
Hem laureũ sertũ quod Tibimet certũ
Victoriæ signum testatur, ô dignum
Lauro verticem!

5.
Tua Victoria,
Tua est gloria,
Tibi paratur adorea;
Te mille cantantes, per orbẽ volantes,
Virtute ducente, fortuna sequente,
Cygni efferunt.

... Dum precor, salveto, felixque valeto
mille secula!
Ita
Tuus Tibi notissimus
& Servulus perennis
Georg-Conradus Molitor, Pædagogii
Stutgardiani Præceptor.

III.
ISAACUS LISTIUS
per
Duplex Anagramma :
SUAVIS ISTIS, LAC,
AUT, SI SIC VIS, SAL.

HActenus assiduus Sophiæ qui cultor in agro
Extiteras, frugum jam quoque Messor ades,
Macte animo, ac felix jam frugibus utere partis,
Mox etiam major Messis honoris erit.
Si tamen interea SUAVIS *Fautoribus* ISTIS
Esse studes, quibus est maxima cura Tui.
Namque tuæ gaudent olim concredere curæ,
Des quibus æthereum, LAC, *uti Pastor, oves.*
AUT SIC *officii,* SI *pro ratione placere*
VIS, *aliquando Tuis,* * SAL *sapidum esse queas.*

*Matth. 5, 13.

Cum voto omnigenæ prosperitatis, optatæ longævitatis
Hæc apponere voluit debuit,
M. Joh. Jacob List, p. t. S.S.Th. Stud.
in Illustr. Stip. Tub.

Descriptus in Officina Reisiana.

Angenehme Herbstes-Lust
Vnd
Hochzeit-Freüde

Auff das den 7. Brachmonatstag/ im Jahr 1664.
gefeyrte Hochzeitlich Ehren-Fest

Deß Wol-Ehrn-Vesten und Hochgeachten Herrn

Ludwig Friderich Herbsten/

Hoch-Fürstl. Durchl. zu Würtemb. wohlverordneten Vogten
zu Bietigheimb.

mit

Der Edlen und von Tugend wohlgezierten Jungfrawen

Anna Christina/

Deß Edlen-Vesten und Hochgeachten Herrn
DAVID Frischen/ J. U. D. Hochfürstl. Durchl. zu Würtemb. hochansehlichen
Cammeraths Ehleibliche Tochter/ rc. Seiner in Ehren gebühr
Liebwehrten Jungfrau Basen.

Zu schuldigen Ehren und Gehorsamb besungen und abgefaßt

von

JOHANN-JACOB Frischen/ Philos. Stud.

Erfreülich ist die Zeit/ wann nach den heissen Tagen/
Deß kühlen Herbstes-Lust sich pfleget anzutragen
Das frohe Winzer-Volck frolocket/ jauchzet/ singt/
Daß Ihre Freüden-Stimm durch Berg und Thäler tringt;
Der Leser ist bemüht und raubt den schwangeren Reben
Die reiffe Trauben-Zier/ die uns vil Freüde geben;
Der starcke Keltermann erpreßt mit frischem Muht/
Durch seinen Trottelbaum/ das edle Trauben-Blut.
Pomona will auch nicht die letzte Stelle haben/
In ihrem Garten-Zelt; Sie zeiget ihre Gaben/
Die Bäume mancher Art/ mit Früchten vollbehenckt/
Daß sich derselben Last fast zu der Erden senckt.
Man sihet hin und her die reiffe Byren hangen/
Der Apfel schöne Zucht mit rohtbemahlten Wangen;
Die Zwetschgen/ Pflaumen/ Nuß/ die Kesten ohne Zahl/
Die bricht man häuffig ab von Bäumen überall.
Diß alles bringt der Herbst; der Herbst ist aller Zeiten
Deß Jahres bester Theil/ der macht die mehsten Beuten;
Der Herbst gibt lauter Freüd/ der füllt die Keller an/
Der Herbst bringt alles mit/ was man erwünschen kan:

O wie vil frölicher ist diser Tag zunennen/
An dem Sie/ Jungfrau Braut (Sie muß es selbs bekennen)
Nach keuscher Liebes-Hitz/ die Sie vor kurtzer weil
Im Hertzen hat gefühlt/ von Amors güldnen Pfeil/
Nun mit dem kühlen Herbst selbs endlich wird vermählet
Der alle Flammen löscht die Sie zuvor gequälet;
Diß ist Herr Bräutigam/ so disen Nahmen führt/
O seelig ist die Braut die solcher Buhl beziert!
Hier hört Sie/ wehrte Bas/ wie Ihr die Hochzeit-Gäste/
An statt deß Winzer-Lieds/ glückwünschen auff das beste;
Sie samlet tausend Küß von seinen Lippen ein/
Die noch vil süsser seynd/ als Muscateller-Wein;
Herr Herbst in Ihrer Schoß kan Sie vilmehr ergötzen/
Als auch Pomana selbst mit allen Ihren Schätzen.
Nun so gebraucht mit Glück die Herbst-Freud lange Jahr/
Vilwehrte Jungfer Braut/ lebt fridlich immerdar.
Befleisset Euch zuseyn/ nach Deutung eüres Nahmen
Ein frischer Herbstes-Buhl/ und haltet wol zusamen.
Genießt die süsse Frucht die Euch der Herbst bestimt
Eh/ daß der Winter kompt und alle Freüd hinnimt.

Tübingen/ gedruckt bey Johann Heinrich Reiß.

Cœlitus esto

Fœcunda, felix, & benedicta,

LAURUS Artis Medicæ DOCTOREA

VIRO

Nobilitate & Virtute avitâ, Doctrina,
peritiaque Medica Conspicuo,

DN. HIERONYMO CONRADO

VIRDUNGO, Marpurgo-Hasso, Comitatus Schvvarzenbergici in Marckbrait/Medico jam designato,

collata

TUBINGÆ,

Die 26. Augusti, 1663.

votivèque concelebrata

à

JOHANNE CONRADO BROTBEQUIO

Philoſ. & Med. Doct. ac Profeſſ.

AMplus honor, (a) Cæſar, (b) virtus, doctrina, genusque,
hæc numero te ſat divite nobilitant.
Ergo tibi meritò gratantia nuncupo vota,
at prius adjiciens, heptados ergo, duo,
Quæ ſunt; læta thori, Medicæ & benedictio dextræ,
perpete cum reliquis, quæ tibi fonte fluat!
Iſta tibi ſic heptas erit, ſuper omnia, præſtans
Nobilitatis apex, Mobilitatis obex.

a Doctoreus jamjam collatus, & officii deſignatus.
b Virdungorum familia, ob artis Medicæ, & Matheſeos gloriam, ſingularia Nobilitatis privilègia à CAROLO V. Rom. Imp. Anno Chriſti 1521. accepit.

T U B I N G Æ,

Typis JOHANNIS HENRICI REISII. Anno 1663.

Acclamatio Votiva

In promotionem Nobilis virorum Juvenum Bigæ,

DN. HENRICI GOTFREDI GUNDELFINGERI, J.U.D.

Nec non

DN. JOHANNIS GEORGII SEEFRID, J. U. LIC.

Qui ambo à Laudatissimâ Republicâ Nordlingensi non ita pridem ad munera consiliariorum fuerunt vocati;

Posterior autem Anno M. DC. LXIII. XXVI. die Augusti Tubingæ U. J. D. solenniter fuit renunciatus;

Scripta

à TOBIA WAGNERO, D. Ecclesiæ Tubingensis Præposito, & Cancellario Universitatis.

OPtima ceu meritò, colitur quæ vitis, habetur,
Quam ſibi de propriâ vinea gignit humo:
Sic ſibi quos ex ſe, propriæque propaginis ortu
Cretos producit Patria chara viros,
Hos quis non cunctis reliquis, aliunde vocatis,
Præferat, & Patriam dicat amare ſuam?
Hoc bènè perpendit, Juvenum NORDLINGA virorum
Bigam de gemino Conſule quando legit,
Quos Patrum virtus ad maxima pellicit, & quos
Juris cognitio propria nobilitat:
Imò perficiet rerum experientia, quando
Accedet meritis uſus, & ipſe dies.
Quinam ſunt illi? Hic noſter SEEFRIDIUS: Alter
GUNDELFINGERI *ſpes columenque domus.*
Floreat & vigeat conſtanter uterque Duum VIR,
Nobile par Juvenum; Nobile parque Virum!

TUBINGÆ,
Typis JOHANN. HENRICI REISII.

CIPPUS FUNERALIS,

PIIS MANIBUS

NOBILISSIMÆ, ET OMNIUM MATRONALIUM VIRTUTUM FULGORE COMMENDATISSIMÆ,

DN. ANNÆ MAGDALENÆ Wiblerin ꝛc.

XVI. d. Auguſt. A. C. CIↃ. IↃC. LXIII. denatæ,
& XX. ejusdem menſis die Chriſtiano ritu
Tubingæ humatæ.

Sacratus
A
CONVICTORIBUS OSIANDERIANIS.

NOn ſcrupuloſum eſt, non iter infrequens,
ſed trita priſcis orbita vatibus,
ſi fortè turbarit penates
tecta nigro Libitina peplo,

orbata velent, tristia præficæ
lamenta nec desint, nec alti
luxuries operosa busti;
Sic nostra scisso Melpomene soror
amicta cultu, terribili crepat
clades boatu, dum petitam
dente videt truculentiore
Vestram Coronam fœminei chori;
Hinc quotquot estis justa rependite,
& næniam tu funde pullâ
antracinâ redimita Juno:
HOC. SUB. RECUMBIT. MARMORE. NOBILIS.
MATRONA. CANDOR. PRISCAQUE. VERITAS.
CASTÆ. SORORES. QUAM. FIDELES.
AD. TUMULUM. COMITES. SEQUUNTUR.
HUJUS. QUIESCANT. MEMBRA. RECONDITA.
FAUSTIQUE. MANES. MOLLITER. ET. SOLUM.
CIRCA. CORONENT. ALBA. MIXTA.
COERULEIS. VIOLIS. LIGUSTRA.

LITERIS KERNERIANIS.

Gleich wie ein schneller Hirsch nach frischen Wasser schreyet
Wan ihn der Natter-Kopff den Gifft hat angespeyet
So lechzet auch gar offt in dieser schnöden Welt
Ein Mensch dem diese Lust mit nichten wol-gefelt.

An diesen Sünden Ort / wo nichts als lauter Quelen
Als eitel Angst und Noht Betrübtnus unsrer Seelen
Täg-stündlich umb uns sein; da eine Müh und Plag'
Ein' andre brütet aus und solches Tag für Tag.

Wer kan den tretten auff / und Widerlegung geben
Dem / welcher jämmerlich bemamset dieses Leben/
Darumb ein jeder Mensch / vielmehr ein frommer Krist
An jenen Ort gedenckt / da alles himlisch ist;

Da uns des Vatters Schoos von Hertzen wird gegönnet
Des liebsten Gottes Sohn uns seine Brüder nennet
Da der hochwerte Geist mit allen Engeln sich
Umb unser Seeligkeit erfreuen inniglich.

Dahin hat auch gedacht / und hertzlich sich bereitet /
Die Edle Frau' so wir zur Erden hin begleitet/
Weil Sie zum öfftern sprach: Es sey kein frommes Kindt
Das wan der Vatter sagt: geh hin und kom geschwindt

Alsden bleib stille stehn; Mein Wille soll für allen
Dahin gerichtet sein was GOTT wird wolgefallen.
Der Knecht ist Lobens-wehrt / wan gleich sein Herr ist scharpff
Doch nützlich mit Ihm spricht / mit nichten murren darff.

So freudig schaute Sie nach der erwünschten Stunde
Das GOTT Sie Ihrer Last hertz-vätterlich entbunde

Nun hat Sie es vorbey ...
Und hört ohn unterlas der Engel jauchzen zu

Sie ruffet aus der Lufft: O möchtet ihr betrachten
Ihr die Ihr auff der Weldt nicht gäntzlich wolt verachten
Was sonsten die Natur so fest gebunden ein
Schaut / hie an diesen Ort erst rechte Freunde sein.

Gesegn' dich tausentmahl mein Kind das Ich getragen
Ey/ noch so kurtze Zeit/ dan werd' ich zu dir sagen
Willkommen wertes Kindt in unser Gottes Stat
Kom preise GOTT mit mir was Er verrichtet hat.

Schau doch die Eitelkeit / sich / bitt ich dich / von oben
Wie grimmig auff der Erd der Menschen Kinder toben
Wie man den einen hie den andern dort zernicht
Den selbsten in der That dort mit der Zungen sticht

Wier sein in stoltzer Ruh ergetzen uns mit Freuden
Empfinden weder Angst / noch Kranckheit / Kummer / Leiden/
Die Arbeit zu End erlöset wir nun sein
Und warten bis der Tag des Herren brech herein.

Nun woll die liebe Frau ist vor hinauff geschicket
Uns allen noch hieselbst der Welt Beschwehrung drücket
Bis das der grosse GOTT verendre diese Zeit
Dan werden wir verklärt Sie sehn in Herrligkeit

Die Seele lebt in GOTT ist von der Welt gerissen
Ins Reich der Seeligkeit: wir glauben fest und wissen/
Das wan in Wolcken wird der HERR sich lassen sehn
Alsden mit grossem Glantz der Leib werd aufferstehn.

Tübingen/
Getruckt bey Johann. Heinrich Reiß/ Anno 1663.

TRAUR-GEDANCKEN
auff den hochsehligen Hintrit
Der
Edlen/ Gros Ehr und Tugendreichen Frauen

ANNA MAGDALENA,
gebohren Bayerin.

Des WolEhrwürdigen in Gott ruhenden und Wolgelahrten Herrn

M. JOHANNIS GEORGII CELLII,

gewesenen treuhertzigen Seelsorgers der Gemeine zu Feurbach erster Ehe.

Wie auch

Des Weilandt WolEdlen und Hochgelehrten Herrn

JOACHIMI WIBELII, Fürnehmen JCti hiesiger Löbl. Universität
Professoris Juris anderer Ehe.

Nachgelassenen nunmehr Frau Wittiben Seeligen

Welche

Den 16. Augusti in Christo Ihrem Erlöser sanfft eingeschlaffen

Aus schwägerlicher Schuldigkeit und traurigem Gemüth entworffen

Von

Christoff Schertzer und Gustav Hemppel.

… ceu Dominus universi tum demum in augustissimum hoc mundi theatrum introducitur, subditisque ad obsequium fidemque præstandam sistitur, cùm jam omnibus numeris suis perfectum esset, cùm immensa cœlorum moles expansa, ætherei globi suis ignibus decoratia aër volatilibus, aqua natatilibus, terra vegetabilibus & omnigenâ animalium turbâ completa essent. Quo de Divinorum operum colophone non nemo eruditorum ita scribit: *Crediderim sanè Angelicas quoque mentes, ante Divini consilii patefactionem, suspensas aliquandiu hæsitasse, operisque ultimi, quod desiderari adhuc facilè intelligebant, molitionem admirabundas expectasse, donec Divinam vocem exaudiissent: faciamus hominem ad imaginem nostram, qui dominetur in pisces maris & in volucres cæli & in pecudes & in universam terram, atque in omnia reptilia reptantia supra terram.* Utinam verò atque utinam hoc sibi proprium perpetuumque servasset bonum homo! utinam tantâ dignitate, tantâ beatitudine nunquam excidisset! Sed fuimus Troës! fuimus in primo homine domini, qui nunc peccatorum servi & mancipia sumus. Eheu quantum mutati ab illo veteri! Mundus in unius hominis gratiam factus ita nunc odio in ipsum plenus videtur, ut per ea pernitiem minetur, per quæ nos tuetur & sustinet; conspirant in interitum nostrum elementa omnia, acuunt suos in nos aculeos dentesque animalia bruta, mutaque animata & inanimata reliqua in Principem arma sumunt, & debitum rerum Domino obsequium omni ex parte detrectant. ô igitur deplorandam hominis metamorphosin! ô servile dominium! Infelicis catastrophes hujus nunquam non memorandæ memoriam ut felicius refricaret *Vir Juvenis elegantiorum morum & studiorum laude commendatissimus* DN. SALOMO BRAUN, *Chilonio-Holsatus Artis Med: Studiosus, non indigna Patre*, DN. JOHANNE BRAUN, *patria olim Medico Clarissimo proles*, VENENORUM *in hominem tyrannidem* in argumentum anniversariæ Orationis sumsit, quam proximô Mercurii die cum Deo in Aula Theol. nova horâ promeridiana IX. è felici memoriæ penu recitaturus est. Cui audiendo ut benivolam & frequentem operam ponere velint omnes quorum interest (interesse autem putamus omnium nostrûm) etiam atque etiam rogamus, monemus. P.P. sub Sigill. Facult. Domin. post Trinit. XIII. Anni à parta salute M. DC. LXIV.

TUBINGÆ,

Typis JOHANN-HENRICI REISII.

DECANUS ET COLLEGIUM FACULTATIS MEDICÆ IN INCLYTA TUBINGA

L. B. S.

ETsi hominem Philosophi pariter & Theologi certô ſenſu miſeriarum omnium dixerint compendium, ludum qui ludit & luditur, ſpongiam lacrymarum plenam, heminam ſanguinis, quam quilibet impetus facilè rumpit, quælibet febricula facilè corrumpit, bullam, quæ dum naſcitur, evaneſcit, fœnum, quod eâdem horâ viret, aret, ardet, florem agri manè ſurgentem, veſperi decidentem, fumum citò fugientem, pulverem & umbram & ſi quid umbrâ fugacius, imò planè nihil, quod ex nihilo venit, in nihilum abit, & nihil eſt, dum eſt; reverâ tamen feliciſſimus creaturarum eſt, ſi ejusdem in oculis Creatoris dignitas conſideretur & majeſtas, jureque nos Ethnicorum ſanctiſſimus *Seneca de benefic:* omiſsâ querimoniâ potius ad contemplationem tot tantorumque beneficiorum á benigniſſimo nobis Patre tributorum reverti jubet & gratias agere, quod hominem in hoc pulcherrimo mundi domicilio ſecundas à ſe ſortiri voluerit, ſolum ex tot generibus animantium participem mentis, rationis, conſilii fecerit, quâ Divinæ particulâ auræ brutis non modò infinitis modis antecellat, ſed & univerſam rerum naturam vectigalem ſibi & ſubjectam obtineat. Hominis enim causâ condita ſunt omnia, ne ipſis quidem Angelis, S. Codice adſtipulante, exceptis, terrenorumque commodorum S. Triados conſiliô omnis penes hominem dominatus ſtetit. … Unde ſeu Dominus univerſi tum demum in auguſtiſſimum hoc mundi theatrum

LESSUS FUNEREUS

EXEQUIIS PRÆMATURIS

VIRI JUVENIS

CANDORE, DOCTRINA ac PIETATE CONSPICUI,

DN. M. CHRISTOPHORI

GROSSII, Ysnensis, S. S. Theol. Studiosi, & Stipendii Illustris Theol. quondam Alumni, die XXI. Julii, Anni labentis M DC LXIV. piè defuncti.

Concinnatus

A

DUCALIS STIPENDII ALUMNIS.

Quis posset ulli fidere Tempori?
Quis posset urnam vertere desuper
Quam fixit eheu! Mortis umbra?
Omne capax movet urna Nomē.

Ah! quam Parenti dulcia gaudia
Jam conciderunt, exorientia
Ut Stella, quæ vixdum coorta
Horrisonum occulitur sub æquor?

Ah quæ malorum? quæve manent vices?
Impune factum hoc Lurida num feret
Mors? quæ dolosâ gaudet arte
Protinus, ambiguoque ſceptro?


Quem non moverent talia, quo minus
Spem Mente fixam projiceret ſuâ?
Non parcit imbellis juventæ
Poplitibus, timidoque tergo.

Hæc pectus atrâ jam Tibi candidum
GROSSI peremit perfida cuſpide,
Cæcidit & ſpes, & virentem
Aoniæ puerum Camœnæ.

Sic quicquid ortum eſt, exitus occupat,
Diesque Noctem, Noxque fugat diem.
Aſt GROSSII ſublimè Virtus
Aſtrifero caput æquat Orbi.

Illum coruſcis Gloria laudibus,
Doctusque curru Rumor eburneo
Ad aſtra ſuſtollit videndum
Attonitæ volucrem Juventæ.

Tu Fama latè tergemino Tubæ
Verboſa cornu Tempora perſona.
JO Triumphe, vivit IPSE,
Et ſuperas agit inter arces.



TUBINGÆ, Typis JOHAN. HENRICI REISII.

RECTOR UNIVERSITATIS SCHOLASTICÆ STUDII TUBINGENSIS

Lectoribus Salutem.

AUdiviſtis haud ita pridem, Pontificiæ religioni nuntium ex loco inter nos publico remittentem *Virum Reverendâ Dignitate & Excellentiâ*, DN. ANTONIUM WINTERUM, *SS. Theol. Doct. & Professorem antehac Herbipolensis Academiæ Publicum.* Nunc *Idem*, poſtquam *à Serenissimo* PRINCIPE AC NUTRITIO NOSTRO in *Professorem Theologiæ Supernumerarium* deſignatus clementiſſimè, ac conſtitutus eſt, lectionum functionumque publica auſpicia meditatur; & *horâ* quidem antemeridianâ *Nonâ*, in *diem*, DEO volente, *Mercurii* proximum, hoc ipſo ex loco publico meditatur. Plauſu res digna, & gratulationibus erat, cum niſu maſculo, contentioneq; ſedulâ, *Proselytus* hic noſter myſticæ illos Babylonis muros, per *Revocationis Solennia*, concuteret nuper; ſicq; deſertis ſeriá migratione caſtris hoſticis, parti ſe noſtræ miles devotus & induſtrius aſſociaret. Sed non minus *Ipſo* pariter, & expectatione noſtrâ dignum id eſt exiſtimandum, quod, ornatus dehinc ſparta tam inſigni, non ſine perpetuis WIRTEMBERGICÆ *pietatis ac munifi-*

centiæ elogiis, ab agnita jam veritate ad ejusdem defensionem, atque à confessione ad professionem, ab amplexu Orthodoxias ad Heterodoxorum detestationem, odiumq; juratum, internecinum, perpetuum, faustâ oscine progreditur. Duret in posterorum ideo laudes illustriùs EBERHARDI, *Ducis Celsissimi*, fama inclyta, cujus peculiare hoc quasi, & nativum est, DEO, prolata undique suæ pomœria Ecclesiæ cupienti, æquioribus suffragiis, & amicâ perpetim conspiratione quodammodo assimilari. *Noster* autem dum *Paulum* se alterum ex *Saulo* nunc illo minatur, quí non item in vota nos undecunque proniora sibi, inq; spem arduam propagandæ indies latiùs fidei veræ seculum omne trahat? Id præstolamur sane postea, id vovemus, votisque omnibus desideramus & expetimus; tantoque magis desideramus & expetimus, quod ipso *Inauguralis suæ themate*, IDEAM BONI THEOLOGI, sub imagine Solis, qui & *charitate* nimirum *proximi flagret* ardentiùs, & *literaturæ* sanctioris *lumine splendeat* dilucidiùs, præ se ferente, vota omnium nostra *Professor* novus videtur exsuperaturus. Sic quæso usque & usque *nostris sub pedibus Satanam* evidentiùs *DEUS pacis conterat!* Vos autem, CIVES ET FAUTORES ACADEMICI, dum AUSPICATORIAM *Excellentissimi Professoris* & confluxus numero, & attentionis fervore, & zelo favoris ac gratationum, quod rogatos Vos volumus, aut monitos, prosequimini, hæc ipsa tum vota nostra vestra facite. P.P. Domin. Reminiscere Anni MDC LXIII.

DECANUS
ET
COLLEGIUM FACULTATIS JURIDICÆ
IN ALMA TUBINGENSI *Lect. Sal.*

CHrysippus, Stoæ antistes primarius, de quo idem hoc veteres usurpabant, quod de Scipione Nasica Cato major:

Ille sapit solus, reliqui velut umbra feruntur,

cum *oculos justitiæ acres, rectos, atque immotos* fecit finxitque, rem omnium sanctissimam, sed longè simul difficillimam, juri dicundo præfectis attribuit; à justo nimirum & honesto ne latum, quod ajunt, unguem deflectere. Quo ipso partim Ægyptiis se sacerdotibus assimilavit, quibus in cœtu hieroglyphicorum nihil frequentius erat *oculo justitiæ*; quique primi omnium sacro hoc dicterio fuerunt usi: partim & simul haud dubiè, cum inter membra humani corporis vix quicquam tenerius sit oculo, magisque læsioni obnoxium, facilitatem, modosque quamplurimos corrumpendæ justitiæ significavit; quæ, nequicquam cæteroquin *DEI* sanctissimi *filia, virgoq;* intemerandi pudoris, judicum & causidicorum socordiâ, in morem modumque prostibuli, non raro violetur. Nec verò diffitendum est, litibus re verâ sive protrudendis, sive protendendis peccari nonnunquam; jus subinde adeò intricatum & obscurum perhiberi, ut *aureis lucernis* explanatori, vel *inventori* ejus sit opus; *patrocinia* multorum veriùs *latrocinia* cum Columella nuncupari posse; quippe & Augustino *remotâ justitiâ regna nihil sunt aliud, nisi magna latrocinia:* affectus denique hîc idem, quod puer olim Themistoclis, posse, de quo ipse Soriten hunc longè fœdissimum texebat: *Meam uxorem puer meus regit, uxor regit me, ego Athenas: ergo puer regit Athenas.* Cui proinde occentare non nemo Junonis illud Maronianæ ad Venerem potuisset:

Egregiam verò laudem, & spolia ampla tulisti,
Tuque puerque tuus.

Sed quis tamen genus hoc corruptelarum, aut si quod est consimile, arti sanctissimæ imputet meritò? Aut quis proscribendam idcirco eam suis cum cultoribus, vel administris, terrarum orbe existimet; nisi artes simul cæteras, quibus omnibus suæ vel abusuum, vel incommodorum adhærent maculæ, proscriptum simul eat, & cum agricola Thracio *vites,* quas ille vicinum putantem viderat fortè, *radicitus* velit *extirpatas?* Nimirum luscis illis, ac tenebrionibus, suos, quos è diametro opponat, acres, perspicaces, lynceos sacerdotes atque mystas Diva nostra habet; quique, Argi velut oculis illustres, *non secus à recto & æquo declinare, quam à cursu suo, vel Ecliptica,* quod Fabricius olim à Pyrrho elogium reportabat, *Sol, cavent.* Hinc litigiosos illos comperendinatores aliquo Sulpitio corrigit, quem Tullius *maluisse semper litium anfractus tollere, nec ad eas actiones constituere,* prædicat; aurisugas autem & crumenimulgos C. Potitii objectu confundit, quem idem, *audito, Romanos acceptis muneribus pristinum nomen & decus amisisse, dixisse* refert: *non passurum se fuisse, Romani ut imperarent diutius, in ea tempora si incidisset, quando accipere dona cœpissent:* arundineos tandem, atque ad quemvis adfectum mobiles, cum Alphonso, Aragonum rege, *templo Juris Positorii* emendat, *in quo, quicquid est amoris, odii, vel privati adfectus,* consilia & judicia inituri *ponant.* Hoc scil. est, cum Zaleuco, *oculum amittere potius, quam æquitatis respectum*; hoc Carol V. aureâ sententiâ, *Solis ad exemplum, è medio astrorum omnibus pari mensura lumen dispensantis, causas sine personarum acceptione examinare, & æquali lance appendere*; hoc in areâ juris, *cum Mathematicis, lineas à puncto ad circumferentiam omnes æquales*

ita, quam sint æqui honores ii, præmiaque, quæ sive in addiscendis à prima adolescentia legibus Studiosæ Juventuti, sive in spectandis, sectandisque iisdem, cum dicenda de jure est sententia, peritæ legum multitudini, exhibita sunt unquam, vel etiamnum exhibentur, suâ sponte hinc patet. Cum enim horum omnium idem, quod, Tacito memorante, Tiberii olim, votum sit, ut *Dii* nempe, *ad finem usque vitæ, sibi quietam, & intelligentem divini atq; humani juris mentem dent*; quod votum jugi, quâ possunt, contentione ac studio ratum sibi, firmumque reddunt: DEO ipso quoque, æqui omnis, ac justi custode, adstipulante, gloriâ meritò suâ, ac remuneratione tandem justâ potiuntur. Quandoquidem ergò *Clarissimus* quoq; DN. JOHANN-ADAMUS KURRER, *LL. Cand. meritissimus*, quem *Reutlinga Imperialis* Anno currentis seculi XLI. *Patre Amplissimo ac Consultissimo*, DN. JOHANNE WENDELINO KURRERO, *U. J. Lic. & Inclytæ Reutlingæ* per V. lustra *Syndico*; *Matre* autem *Lectissimâ fœminarum* ANNA MARIA, *ex* FRIDERICO KOMMERELLIO, *Senatore, ac Cive Oppidi nostratis Primario, natâ*, in lucem edidit: postquam *caligantes* quasi naturâ *mentis oculos collyrio* quodam institutionis dextræ, atque exercitationis indefessæ efficacissimo, per omnia solidæ virtutis, artiumque humaniorum initiamenta præclara, cum patriâ, tum Kircho-Teccensi, & Eslingensi deniq; in Schola, inunxisset: eosdem mox in *Eberhardina hac nostra*, non sine præviis altioribus Philosophiæ auspiciis, per integrum sexennium navatâ Jurisprudentiæ, quâ publicis acroasibus, quâ Collegiis privatis, operâ luculentâ satis, ac conspicuâ, ita obfirmavit, *ut aquilino* jam nunc *obtutu*, quem non Solennium modo Examinum, sed Disputationis quoque Inauguralis, *DE PIGNORE TACITO*, cum laude facundiæ singulari, nudius quintus habitæ, periculis evidenter prodidit, probavitque, haurire *SS. Themidos jubar* nativum, plenum, intemeratum, artisque genuinum se pullum, imò Mystam, & promumcondum, ad causas omnes, casusque, ac controversias forenses examinandas, dirimendas, dijudicandasque, gerere queat: abfuit nihil, præterquam, desideratam modestè, ei ut publicis ceremoniis, testem *summæ in Facultate Dignitatis*, *atque Eminentiæ*, MITRAM DOCTOREAM, succenturiante sic, & benigniorem quasi facem allucente, *Supremo*, quod veneramur, omnis Sapientiæ ac Justitiæ *Lumine*, *Numineque*, imponeremus. Destinata isti Solennitati Academicæ *dies crastina*, ejusque, quod Campanæ è templi fastigio pulsus notabit, *tempus matutinum* est. Quo tempore ut splendorem item Vestræ benevolentiæ, plausuumque, MÆCENATES, FAUTORES, atq; CIVES NOSTRI, *Celebritati Honorum nova* numero frequente affulgeatis, observanter ac peramanter, non sine reciproci cujuscunque contesseratione officii, studiique, rogamus. P. P. sub Sigillo Facultatis, VI. Non. Novembr. seu Domin. Trinitatis XXI. ANNI M DC LXIII.

Celebrabitur ACTUS

RECTORE UNIVERSITATIS

WOLFGANG-ADAMO Lauterbach/ U. J. D. & P. P.

Ordinario, Eodemque DECANO

&

PROMOTORE.

CANCELLARIO DIGNISSIMO

VIRO

Perquam Reverendo atque Amplissimo

DN. TOBIA WAGNERO,

SS. Th. Doct. & Prof. Celeberrimo,

Ecclesiæ Tubingensis Præposito

Vigilantissimo.

TUBINGÆ, Typis JOHAN-HENRICI REISI.

RECTOR
ACADEMIAE TUBINGENSIS,

LECTORI SALUTEM.

Et tamen evictâ tandem tabe diuturnâ, lentiq; marcoris pervicacibus fastidiis, NOBILISSIMA AC PIENTISSIMA SIBYLLA AGNES à Grüenthal revirescere alibi cœpit, vallemq; hanc mundi immundi lacrymosam cum purissimis cœlestium viretorum collibus, æternùm læta, vegeta, florens, emutavit. Non infrequens suo & nomine, & habitu speciosus hic incautis illudit orbis. Quem si cum valle quadam verna, eaq; undecunq; virente, nitidâ, amœnâ, comparemus, à vero quidem neutiquam procul deviemus. Quod si namque, redeunte jam, parte anni meliore, tempestate vernâ, depressam aliquam inter montium juga loci viridantis formosam scenam cum intramus, illicò inter auras, umbrasq; mitiores lætissima circumcirca rerum sese offert facies; quam & graminum, germinumque versicolorum florulentus nitor, & rivulorum, atque fontium pellucidorum lapsus garruli, & concertantium per arbusta volucrum blanda concinnitas parit, gratisque aurium pariter atque oculorum variat illiciis: neque mundo huic sua, picto velut undecunque schemate arridens, milleformis elegantia atque amabilitas deest, quâ non evectas altiùs mentes titillet facile, suique amoris blanditiis capiat, atque astringat. Quoties enim fortunæ hîc aura quædam serenior, & molles illæ feliciorum undiq; successuum Etesiæ gratùm cum aspirant, animos leviores dementant! fortunæ, inquam, cujus vultu blandicello non decipi, cordatæ sanè prudentiæ res est, & circumspectionis. Quoties regum illi inscripti nomina flores, & census lautior; quoties torrens aliquis voluptatis, non sanctæ illius & divinæ, cujus pocula redundantia piorum turbæ in psalmis vates regius promittit; quoties denique, quæcunq; sunt, vel honorum, eminentiarumque, vel sodalitiorum suavissimorum, vel libidinum, ac lubentiarum omnis generis dulcissimæ sirenes justo uberiùs demulcent nos, vel incantant veriùs! At enimverò, si neq; vallium illa amœnitas pura semper, constansq; est: sed modo canescentis brumæ horridum rigorem, ipsumq; florum atq; arborum marcescentem cultum experitur; modo coarctatorum intra angustias suas turbinum præliis sævissimis est obnoxia; modo deciduas è summitate montium inundationes excipit, iisque, quicquid erat virentis, aut florentis circumcirca gratiæ, collutulat, ac evertit: pari omnino vicissitudine mundi hæc pulcherrima omnis facies laborat. Evanidæ sunt desubitò subinde felicitatis auræ, atq; in lugubrem mœrorum ac querelarum catastrophen desinunt; marcet omnis repente voluptas, nec parco lacrymarum flumine se genarum lætior antè ambitus rigat; Deo in primis acceptiorem cœtum si respiciamus, cujus sub correptione divina non rari sunt illi à Psalte sacro depromti gemitus ac suspiria: *Abyssus abyssum invocat, in* [...] Quid, quod meræ quaquaversum mor-

voce cataractarum tuarum. *Omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt* ... quæ vatis talitatis sedes, remotior hæc à patria cœlesti, exilii nostri domus est; in qua verè, ubicunq; vagamur, aut moramur, quæ vatis ac regis Hebræi verba sunt, *in medio umbræ mortis ambulamus?* Sapiunt ergo, sapiunt verè, supraq; humanæ sortem sapientiæ, quotquot, postpositâ maturè omnis terrenæ oblectationis fugacitate, è convalle hâc mundi subdola & intuta evecti, beato collium æternorum desiderio flagrant, quorum nunquam ver desinit, nunquam auræ exasperantur, nunquam emoriuntur flores, nunquam deliciæ extinguuntur, aut occidunt. Atq; hujus sapientiæ cœlestis laudem, quæsitam vitâ omni, etiam Beata, quam diximus supra, sibi jam nunc post fata deposcit. Hæc enim, utcunq; nascendi sorte felix, neq;, temporis quæ sunt, fortunarum non parte insigni ornata, nunquam tamen ita mundanæ huic valli, viridi licet quadam pulchritudine undiqueversum sibi ablandienti, mentem affixit, quin *ad* cœli illos *montes auxiliares vultum* subinde cum Davide *attolleret*, veramq; hîc, in qua requiesceret, delectationem quæreret, ac anhelaret. Et sanguinis quidem claritatem Prænobilissimo, maximeq; Strenuo & Amplissimo DN. JOANNI JOACHIMO DE GRUENTHAL, in Krembseck/ Härtteneck & Tußlingen hæreditario, Serenissimorum Wirtembergiæ Principum per annos aliquammultos Consiliario insigniter merito; Illustris item, quo Tubinga hæc claret, Novi Collegii Ephoro dexterrimo, ac Supremo Urbis, districtusq; hujus Præfecto, Viro præclarè gestorum famâ ad omnem posteritatem commendatissimo, Patri: Avoq; Paterno, Generosâ, Strenuaq; Nobilitate Pereximio DN. WOLFGANGO à Grünthal/ Consiliario Cæsareo Eminentissimo: Matri autem Nobilissimæ, ac virtutum matronalium elogiis maximè insigni DOMINÆ DOROTHEÆ MARIÆ, ex nuptiis Grünthaliæ, è familia Laimingiæ: Generosi nimirum ac Perstrenui DN. ERASMI de Laimingen in Newen-Laimingen & Lindach/ Supremi inter Ratisbonenses Canonicatus Pocillatoris hæreditarii, Serenissimis Wirtembergiæ Ducibus à Magno Curiæ Magisterio, & Schorndorffensis Satrapiæ Præfecti Supremi, filiæ, debet. De quibus A. M DC X. prognata, post regenerationem mysticam, fidæ educationis beneficio, omni illico virtutum nobilissimarum, & familiam, & sexum decentium, cultui inolescit; quarum se flos, vigorq;, & justa quædam maturitas per omnem vitæ cæteræ decursum non obscurè exeruit. Non prolixiùs his recensendis jam immorabimur; nisi quod prætermitti se neutiquam, princeps cæterarum, pietas patiatur, cujus expleta sanctissimis quibuscunq; studiis ab Eadem munia norunt, ipsam quotquot norunt; charitatem inprimis ac beneficentiam in proximum si cogitemus, etiam ultimæ voluntatis sanctionibus clarissimè hinc indetestatam. Quæ proinde pietas ex incursu quoq; satis frequente adversitatum omnigenarum, religioso quodam tolerantiæ ardore devictarum, elucere debuit. Ejus ossa, postquam lento marasmo Ipsa sensim nuper extincta fuit, supremo hodie conditorio solenniter inferenda, honorificam Vestram, Cives, in deducendo funere frequentiam expetunt. Quâ dum cohonestare nobiles exequias non gravabimini, piè & hæc Defunctæ, & nostra demum, quotquot beatè defungimur, omnium ossa, reducta suo tempore è sepulchris suis, novum vigorem ac virorem acceptura, atq; alio cum animabus vinculo copulata, in beatæ collibus Æternitatis, *herbæ instar*, dicente vate sacro *germinatura*, non sine stabilimento ac sufflamine quodam fidei, speiq; tam sanctæ, cogitabitis. Tubingæ, die XX. Januarii, Anno M. DC. LVIII.

RECTOR
UNIVERSITATIS SCHOLASTICÆ TUBINGENSIS

Lect. Sal.

Quinta jam effluxit hebdomas, ex quo augeri prole alterâ domum VIR REVERENDUS Ac CLARISS. DN. JOHANNES ANDREAS HOCHSTETTER, Diaconus Ecclesiæ nostratis Vigilantissimus, vidit. Potuit tantò justiùs in hoc novello tori pignore exultare felix *Parens*, quantò acerbior dolor, quem ex præfestino primæ sobolis obitu senserat, fuit. Vix enim lucem illa aspexit, cum deseruit. Sed eheu & hujus inconstantiam gaudii, tam inexpectato funere desinentis! Mater quippe est utriusque, de qua loquimur, è conjugio propaginis; Uxor autem *mærentissimi*, quem modo dicebamus, *Mariti*, sed non ultra tamen mariti; nempe ORNATISSIMA *sexus sui virtutibus*, MARIA BARBARA, Parentibus *Spectati nominis ac famæ*, DN. GOTHOFREDO KUHARST, *Gemmario, & rei per Wirtembergiam, Circulumq; Suevicum Monetariæ Præfecto*; nec non ELISABETHA MARTHA Distlerin/ Anno M. DC. XLIII. mense Julio prognata; quæ, rapta nudius quartus, circa VII. vesp. octiduanæ incursu ac furore febris *dulcissimo Conjugi*, experiri eundem illud sacris ex Proverbiis fecit: *Extrema gaudii luctus occupat*. Exclamemus hîc cum vate:

Usque adeò nulla est sincera voluptas, Solicitumque aliquid lætis intervenit.

Sed &, quod Christiana jubet pietas, dolorem *Vidui Honorandi*, quà decet, participemus, Venusino Poetæ in hæc verba subscribere coacti:

Dolor & voluptas Invicem cedunt. Brevior voluptas.

Brevior sane, tantoque interrupta luctuosiùs, quantò charioris jacturam is capitis sustinet. Neq; enim, si fidei & amoris genus omne, conjugalis transcendit, turbati quoq; & funestati hujus non longè maximum est cordolium. Equidem subdolas hujus mundi blanditias, quibus, incautis præsertim, nimiisq; sui amatoribus, vel admiratoribus, terrenæ felicitatis indultu illudit, notas omnes habemus; ut frustra sit, qui Augustini illud, tanquam recens, & insolitum, accuset: *Prospera hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam; certum dolorem, incertam voluptatem; durum laborem, timidam quietem; rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem.* Sed stare tamen inter adversa pii animosiùs possumus, quòd, non tam rerum mundanarum indole, quàm ex arbitrio supremi Numinis, cuncta ea rite recteq; dispensantis, obtingere hæc ipsa nobis, edocti sumus. Sane & Sapientes jam olim jactant: *DEUM duplex habere dolium, unum mellis, & alterum fellis; atq; hac ita permiscere, ut ex utroq; cuiq; suum craterem propinet.* At quantò clariori vaticinio iisdem

fragatur: *Calix in manu Domini, vini meri plenus misto, & inclinavit ex hoc in hoc!* Non ergo dubium est, quin catapotia quasi hæc, & pillulas inauratas, quod hortari alios solet, ipse *Venerandus Dn. Viduus*, utcunque absorptæ amaricare ventrem faciant, tanquam ex manu cœlestis Medici, vultu immoto atq; irretorto sit accepturus, *tuberq;* hoc mœroris post *uber* lætitiæ, atq; ingratam fellis, bilisq; amaritiem, in quam se mellea ista inopinatò dulcedo vertit, non nisi in partem salutaris pharmaci pro ingenio hominis, cæteroquin à secundorum fluxu, sincero nimium, facile insolescentis, interpretaturus; ubi inprimis dememinisse nolet tot symbola matrimonialis fidei & amicitiæ, quibus desiderata, quoad in annum usque quintum conjuncta eidem vixit, *Marita* haud obscurè refulsit; ubi susceptam quoque, & superstitem etiamnum, quam diu talem Superi velint! sobolem, *ludentemq; aulâ suâ Æneam parvulum* recogitabit; ubi ante omnia mores *Beatæ* illibatos, sanctosque, & castos, inter eximium verbi divini amorem, quem expressissimis in mortem usque testata est indiciis, *Mariam* imitata studio, quam nomine præferebat, *unum illud necessarium curando, & optimam, quæ nunquam auferenda scilicet ab ea esset, partem eligendo*, in animum sibi revocabit. Et videtur omnino *Nostra*, nisi fallimur quicquam, *palumbarum* in hoc sequi voluisse solertiam, quas naturæ consulti laurinos inferre nidulis suis ramos tradunt, quos & morborum suorum, malique ingruentis fortè medicinam, & verò cujuscunq; amuletum fascini, quin & pro blattis è nido abigendis ac depellendis, efficax instrumentum ipso naturæ instinctu habeant. Etenim & illa, ut maligno cuivis fatorum per tempora hæc incursui prudenter occurreret, non *lauri* quidem *semper virentis, Phœboq; sacræ* frondes, sed *vitæ* illam *Arborem*, quam *Jessæa radix* progerminavit, ejusq; *semper viva, vividaq; semper folia*, sacris descripta paginis, usq; & usq; solicitè spectavit, quæ in corde nimirum ipso, intimisq; animi recessibus devota reponeret, panaceam in his, & alexipharmacum contra quemvis Draconis inferni assultum, & venena livida seculi, contraq; legis divinæ fulmina, & rosores exuviarum carnalium vermes ipsos sepulchrales, nequicquam sportulam hîc suam reposcentes, habitura; nisi incassum ab ipso æternæ *Veritatis, Verbiq;* ore manasse sanctissimi effatum hoc oraculi putabimus: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Eapropter gaudeat nunc illa post tempora quoque temporum studio, atque à *lauro* velut *animarum medicâ, mysticaq;*, quam suspexit tantopere hîc, & coluit, ad *triumphales cœli sive lauros, sive palmas*, secundum spem, ac desideria, ultimi agonis socia, beatissima pòst AGNI æternum *sui* comitatrix, progrediatur. Vos interea, CIVES, quos ad exequialis honorem muneris, hodiernâ luce *Fœminæ Pientissimæ* tempore locoq; notis habendum, amicè hinc invitamus, vel tacentibus nobis, illud Servatoris ac Sospitatoris nostri fidelissimi recordabimini: *Estote simplices, sicut columbæ:* neq; hos etiam adeò, quos diximus, mores columbinos, vel palumbinos, imitari piè ac prudenter, indignum vobis judicabitis, ut, *habitantis* præsertim *in nobis abundanter, verbi* scilicet *Christi* amore ac studio magis magisque exardescatis indies, deq; sacrâ hâc animarum panacea Livianum hoc longè longeq; arceatis: *Facit fastidium copia, & frigidius amamus semper ea, quibus, uti lubet, potiri fas est.* P. P. XX. Augusti, Anno M. DC. LXIV.

RECTOR STUDII ACADEMICI TUBINGENSIS

LECT. SAL.

COepti pronuper, mensis hujus nomen, ut Germani ab autumno, sic à numero Latini deduxere. Quippe *septimus* hic à Martio, anni olim auspice. Cæterùm an adjectionis tantùm syllabicæ sit flexio, an ab *imbre* combinetur, quod Priscianus & Isidorus volunt, parùm hîc refert decernere. Illud citra controversiam largimur omnes, hyemi nunc annum proludere, cœlo, ut aliàs asperiori, invidæque magis lucis, sic plerumque etiam, & quasi ad naturam pluvio. Ideam hinc vitæ, (neque enim frustra *rerum sapientissimum tempus*, etiam hoc respectu, Thales nuncupabat,) capessere licet. Ut anni bruma, sic vitæ mors clausula est; quam non aliter fortè morbi, & horum administri, catarrhi, humorumque corruptorum turbines, & prodromi languorum innumeri, cum ipso tandem senio, ordo nî turbetur, ac brumam autumnus, præcurrit. Nec verò frustra illud de ordine; cui neutiquam, ut anni partes, vita alligata est. Equidem, affecti morbis, jamque tumultuante passim tot incursu infirmitatum corpore, mortem rectè propinquiorem timemus; quam & ideo optamus haud raro. Sed non isti tamen expectandi semper mortis nuntii sunt. Quæ ut mille habet aditus, mille obrependi vias: sic omni momento vult formidari, omni prospici, ne uno imparatos inveniat. Solent formicæ *ferendis micis*, (unde & nomen, nisi Grammatici fallunt, sortitæ) adminicula hyemis tempestivè comportare sibi, quasi in subsidium instantis tum penuriæ. Has imitemur, haud intermisso, vel remisso unquam, in vitæ ultimum frigus illud, piæ intentionis oculo. Quot verbi divini, quot ipsius vitæ ducis, mortis victoris, Christi oracula: tot sunt, languentis quasi ad decretoriam vitæ clausulam, animæ pabula, ac refrigeria. Hæc colligamus, hæc imò pectorum servemus, dum æstas finit, & uberior annona. Accedant preces devotæ, quarum item ardor depugnet contra lethale istud gelu, & quem ingruere tum novimus, peccati atque iræ divinæ rigorem. Nam & *Romani Vulcano mensem hunc consecrabant*, instantis, ut videtur, frigoris præsidium in igne innuentes. *Fidei* inprimis immotæ, semperque *lucida fax*, ne gratiâ unquam sancti Spiritus, ceu *oleo* quodam affuso, destituatur, quibuscunque pietatum exercitiis sedulò caveamus. Hæc & gemina

alia, si quæ insuper tempus suppeditat, non præter æquum meditabimur modo, dum præter solitum, & acrius prioribus annis, præsens modo autumnus vim in nos morbiferam, mortiferamque exercet, &

Mista senum ac juvenum densari funera passim

videmus. Meditata certè, sed & studio simul omni, quoad viveret, testata dilucidè fuit, cui justa fiunt hodie à mœstissimo Marito, *Viro Clarissimo & Eximio*, DN. M. JOHANNE LANGIO, *Scholæ inter nos Anatolicæ Præceptore primario, atque indefesso*, Uxor ejusdem *Desideratissima*, ANNA MARIA, *sexus sui virtutibus insigniter condecorata.* Illam, simul Anno seculi currentis xxxix. mense Septembri, parentibus, *Viro Nob. ac Spectatiss.* DN. VALENTINO HALBMAYERO, *Militiæ selectioris Stutgardianæ Centurione, & Ornatissima Matrona*, MARGARETHA HOLZAPFELIANA, edita in lucem fuit, perque ætatem deinceps fieri licuit, ipsi quoque Parentes de piegressa, laudatorum, curæque domesticæ argumentis intimiùs dilexerunt; usque dum, annum primum & vicesimum intestatam, inprimis ægrè divellitur, quo ob singularem charitatem, fidemque, mutuis undecunque indiciis evidentissimè ... jungeretur. Quem & ipsum prole jam terna mactatura erat, nisi natarum duarum, quas enixa haud infelix mater fuit, altera mox ... præerepta morte, decessisset: fœtum verò tertium, quem in mensem jam sextum ferebat, mater uni secum sepulchro includeret, funereque duplici luctum *Viduo* superstiti impensè multiplicaret. Faciunt, quibus memoriam etiam post fata suam commendavit, virtutes aliæ, multiplex in egenos eleemosyna, ardens verbi divini studium, precum inter effusas haud raro lachrymas cœlo missarum assiduitas, & quæ comitari tanquam pedissequæ principes istas solent, ut mœrens inprimis *Maritus* dolorem minuat meritò; quippe & vitæ epilogum suæ Beata, non nisi inter spei, fideique decentissima specimina, *nudius quartus, hora vespertina* 7. cum quarto antè die Cœnæ se Dominicæ viatico salutari ad hoc iter præsentissimâ devotione quasi accinxisset, placidissimæ suo ex ergastulo solutionis facta compos, anteacto curriculo imposuit. Augusti hæc inter alia laus est, quod teste Suet. *magnâ quondam sterilitate ac difficili remedio, cum venalitias & lanistarum familias, peregrinosq; omnes, cum parte servorum, urbe expulisset, Medicos in ea, & Præceptores retinuerit*; gnarus nimirum, istorum operâ & corpori meliùs, & animo civium rectiùs esse solere. Quo non obscurè omnibus exemplum præbuit honoris, ordini isti Virorum gemino, utcunq; licet, etiam publicè exhibendi. Quare dubium non est, quin & nostri *Cives*, quod hîc monemus, ducendis hâc luce frequenter exequiis, *Viro* loci inter alios dignissimi, ortum ex obitu Conjugis tam lugubri, mœrorem sint allevaturi. P. P. x. Septembr. Anno M. DC. LXIV.

Typis JOHANN-HENRICI REISII.

RECTOR UNIVERSITATIS SCHOLASTICÆ STUDII TUBINGENSIS

LECT. SAL.

QUos ergo *aluit* hactenus, Poetæ verbo, nunc refocillat etiam opimâ messe *spes agricolas*, *magno* sanè (hæc est nimirum *coronantis annum* præsentem DEI benignitas) *fœnore credita semina agris reddentibus*. Apprecemur frugum ubertati pacem, & digni, inter armorum minas, utroque tam insigni superûm dono vivamus. Sed &, qui artibus inprimis bonis ac virtutibus decentem navamus operam, ab agricolis, quorum in faciendâ olim præmiorum messe spem imitamur, laborem, tolerantiam, perseverantiam discamus. Neque enim spem desidem virtus amat, sed quæ idem cum Imperatore illo habet Symbolum: *Plus ultra*. *Deficit* quippe *in virtutis stadio, qui non proficit*: & deterior fere semet ipso evadit, quisquis non fieri indies melior allaborat. Estque hoc *semet ipsum quodammodo vincere*; quam victoriam *1. de ll.* Plato *& primam, & optimam* judicat. Egregiè illud, si quisquam, morum formator egregius Plutarchus urget. Sic enim in disputatione de profectu morum ille: Ἐν τῷ φιλοσοφεῖν ἐκ ἔϛι ληγέσης διάλειμμα προκοπῆς, ἐδὲ ϛηριγμός: *In philosophando & virtutis itinere nulla est cessatio, nulla perpetui progressus intermissio*. Utinam autem superstitem potius, quam defunctum, *Præclaræ Eruditionis ac Virtutis* M. CHRISTOPHORUM GROS, *Alumnum Illustris*, quod inter nos est, *Stipendii*, luculentum istius rei exemplar, literariæ inprimis Juventuti, proponere porro liceret! Quem invidisse sane terris æther putandus est, dum nudius tertius, *circa 3. vespert.* annos nondum duos & viginti natum, inter læta undique auspicia munerari jam incipientis diligentiæ, vivis exemit. *Permultos* apud Plutarchum Menedemus *studiorum causâ proficisci Athenas* conqueritur, *principio sapientes, deinde philosophos, postea* [illegible]. Non sic *Grosius* ille; qui, mentem exæquans nomini, nec quicquam studio vel operâ *Ma-*

rhetores, tandem idiotas. Non sic *Grosius* ille; qui, mentem exæquans nomini, nec quicquam studio vel opera [illegible]

gnis quibuscunque cedens, tempestivè suum illud fecit: Μηδὲν ἀναβαλλόμενος. Itaque, postquam *Parentibus*, *Viro Reverendo & Cl. Dn.* M. JOHANNI JACOBO GROSIO, *Pastori & Superintendenti Isnæ Imperialis Vigilantissimo: & Matronæ Ornatissimæ* MARIÆ Meinbergerinn/ domi morigerum se, & pium probare occepisset, addere prædictis virtutibus literarum navitatem in scholis studuit, ad omne profectuum genus sidere felici factus quasi, vel natus. Nemo eo in æmulatione cum industriis, in anticipatione cum expeditis, in promerendo Præceptorum suffragio, commilitonum plausu, alacrior; nemo agilior vel solertior. Quos ergo per officinas rei literariæ gradus Stutgardiæ, Blabiræ, Bebenhusæ, ad ipsam hanc Academiam nostratem, & plantarium Ecclesiæ patriæ, Ducale Stipendium fecit, tesserâ testimoniorum albâ & nitente, à probitate, obsequiis, industriâ, undique ornavit & insignivit; in linguis, sive sacra illa, sive cæteris, quà ore, quà stylo promtus; in facultate utravis Oratoria facilis; in Sapientiæ omnis, jamque & Theologiæ adytis ac penetralibus non hospes, non hesternus, sed quasi domesticus ac hæres; acuente ingenium studio, studia præmiis; horum incrementa indies majora sibi patriæque pollicitus. Quâ in re Cassiodori illud ante oculos habuit semper: *Alacriter incumbendum est inchoatis, cum jam expectatur aliquid, quo nos profecisse gaudeamus. Spes enim efficiendi laboris tædium adimit: magnumque illicium ac incitamentum, si nobis persuadeamus, id perfectum iri, quod percupimus.* Sed interrupit ac præcidit cœptam tam eximiè undecunque telam, etiam in vineâ Domini susceptorum jam Vicariatu duplici laborum, Parca malignior: sublatoque inter ipsa primordia *messis mysticæ Operario* insigni, Tullii verba ista nostra fecit: *O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, & inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpe franguntur, & corruunt: & ante in ipso portu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt!* Quanquam non omnis tamen spes eum præmii fefellit. Quippe invidiam temporis beatæ æternitatis supplemento compensat jam lætus, & solatur: postquam ante pauculos dies, regressus ex Acidulis Deinacensibus, diarrhœæ simul, & cachexiæ recrudescentis impetu languere magis magisque cœpit; dum spiritum, tempore, quo supra jam designatum, lætus & erectus in agonia ultima, DEO transmitteret. Corpus exanime dum *à 2. pomerid.* ex ædibus *Civis Oppidani, Jacobi Leibfarti* templo Georgiano proximis, efferetur, ad eundas exequias tantæ laudis JUVENI, vestra vos sive pietas, sive humanitas, CIVES NOSTRI, spontè excitabit; quod monere tamen hoc ex loco nostrum ducebamus. Illud interim Senecæ nostrâ ne excidat memoriâ, sedulò videamus: *Inter cætera mala hoc habet proprium stultitia, semper incipit vivere.* P. P. Dom. VII. Trin. ANNO M DC LXIV.

Typis JOHAN. HENRICI REISII.

RECTOR ACADEMIAE TUBINGENSIS

Lectori ſuo, cum præfatione honoris debita,

Salutem.

SI quis unquam, intra privatos parietes qui deſæviit, luctus in publicum erupit meritò, præſens hic, & hodiernus meritiſſimò erumpit. Ecquæ enim tam dura ſilex, aut cautes Marpeſia, rigoris tantum, ac horroris præ ſe ferat, quin triſtiſſimâ hac rerum facie, quæ occurrunt undique, & atrato mœrore omnia juſtiſſimè involvunt, ac confundunt, ſtet immobilis, nec affectu mutuo percellatur? Exſolvenda quippe veniunt juſta funebria *Matronæ Exornatiſſimæ decorum ſuorum elogiis; ſpecioſæ, & amabili longè iſtarum, quæ in hunc quidem ſexum cadunt, virtutum ideæ & exemplo*, DN.æ MARIÆ SUSANNÆ, quæ in annum jam quintum & decimum ſuaviſſimi nexu matrimonii juncta VIRO *multæ celebritatis, & conſummatas cujuscunque nominis aut tituli laudes facilè exæquanti*, DN. WOLFGANG-ADAMO Lauterbach/ *Sereniſſimo Wirtembergiæ Principi à Conſiliis, & Anteceſſori Academiæ noſtræ dudum Famigerabili*, Collegæ noſtro perdilecto & honorando, vixit. Qui, cum nondum firmatâ ſatis valetudine, atque ita corpore etiamnum debili, ex acidulis nuper adeò redux factus, novâ tamen ſpe, & jucundis gratulationibus omnem hanc Univerſitatem erexiſſet, vel exhilaraſſet, acerbiſſimo ecce! fatorum incurſu *partem animæ, cordis dimidium, oculorum delicias, lumen quoddam familiæ*, pleno jubare hactenus, & ſereno fulgore domum omnem intimè illuſtrans, extinctum deſubito dolet, deque latere divulſum ſibi, ac diremptum, per hos quidem ævi, quæcunque ſunt, mortalis reliquias, comperitur, & permœrenter ingemiſcit. Unde, cum ea afflicti ſit ægritudo animi, quæ, conſternatum viribus cunctis, *Virum Optimum*, & optimè undecunque merentem, ſuper inopinati caſus atrocitate, lecto affixerit illico, non poteſt non ipſa ſimul Schola hæc inclyta Membri tanti, & *Antiſtitis* ſui impenſiùs æſtimandi, ægrimonia indolere mutuò, proque mitigando ærumnæ ac mœſtitudinis pientiſſimæ æſtu vehemente, DEI Ter Optimi, Ter Maximi, benignitati inexhauſtæ votis ardentibus ſupplicare. Sed verò, poſt dulciſſimi rupturam conjugii, non etiam non *Matris amabiliſſimæ à ſuaviſſimis* tanto numero *pignoribus* diſſociatio valdè lugenda venit, ac dolenda. Qui tam amœni, tam lætiſſimi ex hoc toro velut progerminantes floſculi, ſurculive, cum in primulæ ætatis vere omnes curam, fidemque, & manuductionem quaſi, *exoptatiſſimæ Parentis*, non exemplo minus, quàm doctrinâ & monitis antegreſſæ, triſtiſſimâ comploratione requirant undique, & inclament: quid niſi ſocias item lugubrium querelarum lacrymas, niſi devota tenero mœrori ſuſpiria, & anguſtias, undiqueverſum extorquent veriùs, quàm prolectant? Ut illud de *Exanimi* modo ac *Defunctâ* uſurpes meritò:

Debuit ad ſuperas vel ſeriùs ire cohortes;
Vel non hoc ipſo temporis articulo.

Præprimis tamen, & ante omnia fati genus, quo abripitur nunc *Beata*, tam præcox, tam immite, tam triſte ac luctuoſum, quem non in gemitus, in fletum ac ſingultus, lapidem cieat, commoveatque? Dum enim ſpe ſobolis novellæ, partui propinqua, domum lactat, acerbo funere ipſa mergitur: & deſideratiſſimi gaudia puerperii ſepulchro, quod materni reclusio uteri aperuit, abſolvit. Nec verò lucem adſpexit, dum in lucem editur, fœtus tenerior; aut auras in aere hoc liquido, qui nos ambit, carpſit, in iſtas dum evolvitur: ut in augmento feliciſſimorum pignorum lenimentum dolor habeat: ſed abditorum, quibus continebatur iſte, latebras viscerum cum ergaſtulis umbrarum tenuium copulat derepente, & connectit: ut tantò nimirum ferventiùs noſtra omnis mœſtitia exæſtuaret, quantò pluribus ex cauſis, & quaſi procellis, concitata impetum cepiſſet. Heu *deſtinationum ſomnia humanarum*! heu *umbras & inanias*, ut Sarſinatis vocem Comici meam faciam, *deſideriorum terreſtrium, ac voluptatum*! Ulnis ergò arentibus complexa nihilo minus dulciſſimum infantem, pia *Genitrix* dum urnam intrat fatalem, hoc quaſi trophæo comitata, & condecorata, ſupremi conſpectum Iudicis exſpectat; quò non niſi *ſtantem* ſe, ut, *Imperatorem* olim *decere*, Imperator ajebat, in fatali hoc quaſi, & familiari primitus, cuncto mulierum ſexui, duello *occubuiſſe*, atque ita *prolis* quoque *enixu*, juxta promiſſi tenorem Apoſtolici, *non ſine fide tamen, cæterarumque choro virtutum, ſalutis æternæ factam participem*, gloriari piè queat. Sed abrumpenda hæc, meritorum licet, queſtuum, intra has inprimis chartæ anguſtias concipiendorum, tela eſt, vitæ nunc quoque cæteræ qualiacunque pro more lineamenta, quæ aliunde nimirum clariùs proſtabunt, ducturis. Eam ergò vitam orſa *Pientiſſima Matrona* hîc Tubingæ, Anno currentis ſeculi, Quinto & Viceſimo, die Jan. 20. eſt, Patre, *ſeculi & Academiæ Ornamento noſtræ*, THOMA LANSIO, cujus hîc atterere nomen laudatione modicâ velle, piaculum foret: Matre autem, *omni* etiamnum *cultu venerabili* ANNA MARIA, *Casparorum* accenſendâ *familiæ*; *tanti*, quem dicebamus modo, *Viri Conjuge*. Quorum Parentum ſanguini & culturæ ſi poſt cœleſtis gratiam Spiritus, deberi tot, tantasque virtutes, quibus *Demortua* reſplenduit, in haud exigua felicitatis parte ponendum eſt: non minoris ſanè & illud duci debet, quod MARITO *omni laude Cumulatiſſimo*, & SOCERI veſtigia arctiſſimo gradu prementi, ſociari jam adulta & nubilis meruerit. Sociata autem Eidem fuit Anno hujus ipſius ſeculi, XLVIIIvo; & ſociata quidem tam auſpicatò, ut, quæ & *beatiſſimæ memoriæ* DN. LANSIO ſolatia, & ſeculo omni conjugalium decoramentorum exempla capi poſſent, abundè hinc ſuppeditarentur. Tantæ utrinque fortunæ, poſt decimæ prolis fœcunditatem, quo ex numero, defunctis cæteris, *fœmellarum par, & maſculorum quinio* amabiliſſimè ſuccreſcunt, ſola abfuit diuturnitas. Cum enim nudius quartus tempore ſerotino *Beata* inopinis puerperii doloribus impeteretur, eâ mox oppreſſione virium omnium, ad nutum ſcilicet DEI, unius vitæ ac mortis Arbitri, imperſcrutabilem, ſuccubuit iisdem, ut fœtus quidem, ſed exanimis, ſicut jam ſupra dictum, excluderetur: ipſa autem paulò pòſt, eodem tramite, carnis nimirum omnis, partum ſecuta, tranquilliſſimo è vivis deceſſu obdormiret! *Rachelem* nunc igitur hanc *caſtiſſimam* ſuo *Paſtori* olim & *Agno*, reſuſcitandam dum ſpe iſthac, quæ Chriſtianos decet, linquimus; liberos autem ſuperſtites *Benjamines* omnes, id eſt, proſperos ac felices dum *Patri Mœſtiſſimo* precibus devotis eſſe jubemus: *Te* quidem, VIDUE *Chariſſime*, ut eluctari non prudenter modò, ſed & piè, quæ *Tua* nimirum *Virtus* eſt, cœleſtibus inprimis fultus ſuppetiis, graviſſimum hunc, quem incurris, dolorem vel ideo velis tantò ocyus, quantò magis & *fulcro* huic tam *inſigni Familiæ, & Academia* hæc noſtra, utrinque proſpectum cupit, amicè commonefacimus: Vos autem, *Cives*, ut, pro meritis *Clariſſimi Profeſſoris*, quanquam id ſponte promittitis, honorificâ undique exequiarum frequentiâ comitari ac deducere *funus*, notis ex ædibus, hora pom. 2. grave ne ducatis, non ſine mortalitatis item veſtræ recordatione ſeriâ, ut fas eſt undique, advocamus, vel cohortamur. P.P. Tubingæ, 18. Sept. M DC LXII.

RECTOR
ACADEMIÆ TUBINGENSIS,

Lectori Benevolo Salutem!

Nil extat, quod hominem ſuiipſius fugacitate minus fugiat, licet videatur, illa perverſi mundi extremam, fugere ſecuritatem à qua quisquis alienus fuerit, omnino etiam nihil fugacitatis à ſe alienum putabit. Univerſa aliàs rerum Natura, tantillæ ſui parti, homini, facilè cedit excellentiâ; at minimè ſtabilitatis præſtantiâ, quâ conſpicua quæque ipſi palmam præripiunt, nulla amplius ratione habita cujuscunque illius excellentiæ, ad ſtabilitatis defectum tandem exſpirantis. Tantum jam abeſt, ut Microcosmus ille rerum Naturam exuperet, ut potius conferatur oportet cum illius tantummodò excrementis, quorum optimè ſeſe nunc obtulerit gramen illud pratenſe, in fœni degeneratum naturam, ad quod hominem, ſui ipſius lapſus vitio proximè accedere vel ſacer atteſtetur Codex. Adeò liquet ratio fœni, ut illius meminiſſe pro homine, cujus fugacitatem referat, ſufficeret. Siquidem ille extra dubitationis aleam ſe habet inſtar fœni, ejus præ ſe ferendo indolem, nec non eadem cum ipſo ſubeundo fata. Deferimur ad fœni aſpectum in gramen olim floridiſſimum, ejusmodi delicias pratorum, ut hæc exinde quaſi ridere dicantur, ſimul ac quoque in quoddam à priori diverſiſſimum. Floreant ſimiliter Infantes lepidiſſimi: juvenes venuſtiſſimi: Viri graviſſimi; ſingulos adæquare flores experientur Domus, Curia, Schola; illis verò defunctis, utrinque forma ſuccedet priſtinæ planè contraria, quæ nunquam illos quondam Infantes, Juvenes, Viros ſtiterit, nec illam Domum, Curiam, Scholam. Secus ſe res haberet, ſi homini eſſet copia vitæ jugiter tranſigendæ; verum deficere hanc conſtabit ex fœno, ſi ulterius cum homine illud contulerimus. Sævitiam internecionis ſuæ fœnum ipſum ingerit oculis; cui à ſe arcendæ, nihil quicquam conferre valuit, aut inſitus prius perennandi vigor: aut exterior recreandi forma. Eadem fata manent etiam hominem. Sœvit & in eum cujuscunque generis violentia vitæ adimendæ, naturâ, illius conſervandæ amantiſſimâ, quandoque fruſtrà facultates ſubminiſtrante: irritis etiam votis, ac deſideriis SCHOLÆ, Sæviat ejusmodi violentia in SCHOLÆ noſtræ infenſiſſi-

CURIÆ: piaculo tândem in aufferendis fulcris, neglecto. Sæviat ejusmodi violentia in SCHOLÆ nostræ infensissimos quosque! sed eheu! sævit, SCHOLA querente, in ejus Fautorem, Amicum, Virum, dolor! Nobilem, & Amplissimum DN. LUDOVICUM VVEBERUM, J. U. Doctorandum, nec non oppidi hujus Præfectum inferiorem. Hunc anno Salutis supra millesimum, sexcentesimum undecimo Erpaci, illustris sui comitatus, oppidi, accepimus prognatum honestissimis Parentibus, *Wernero* Weber/ex coquo aulico ibidem facto Præfecto, & *Anna Amalia* Weberin. Quorum curâ filius per S. Baptismum gremio Ecclesiæ illatus, juxta pietatem Literis eum in modum incubuit, ut, superatis earundem elementis, membrum Universitatis cum laude evaserit cum *Marpurgensis*; tum *Nostratis* in qua studiorum affectâs metam, feliciter & cum laude pertingit, exinde dignus habitus Illustribus suis Dn. Dn. Comitibus, qui Lutetiam Parisiorum Linguæ Gallicæ addiscendæ gratia adiret, qua tamen breviter perlustrata minus voti sui compos factus, isthinc, furente Marte, huc coactus est reverti. Agebatur postea annus M. DC. XXXIV. quo antecelebrata sponsalia executurus, matrimonio ritè adscivit Virginem lectissimam REGINAM SUSANNAM, Filiam, p. m. Viri Nobilis & Amplissimi DN. SAMUELIS BANSOVII, J. U. D. ac Dicasterii Aulici Assessoris, & Academiæ nostræ Professoris. Fecit id gravissimis temporibus, quibus, quo atrociore bello ipsi matrimonium contrahebatur, eo uberiore postmodum prole successit. Evasit namq; Pater tredecim liberorum. Prospexit ipsi divina providenria variis officiis. Anno initum matrimonium proximè subsequenti Uracensium sustinuit præfecturam, & quidem biennium, non autem sine capitis periculo, & innumeris adversitatibus. Uraco Meckmülam tetendit, ubi cum Præfectura curam suscepit Redituum Ecclesiasticorum. Ibidem commoratus sexennium, repetiit Uracum Sparta, quæ ibi est, Præfecturæ denuò exornandus, eademq; per decennium egregie ornata, Tubingam nostram se contulit, ad capessendam & ibi Præfecturam, quam gravissime gessit fere sexennium, usque ad illum ipsum diem, quo mortem obiit Dn. Præfectus noster b. m. & quidem cum omnium stupore in quem quî non raperetur, & Schola & Civitas? audita inopinata morte illius, cui singulariter utraque fuit curæ, cordique. Quo minus de eadem quis sibi nostrum pollicitus fuisset; eo majorem omnes ex eadem luctum senserimus. Sit Scholæ hodie nostræ cordi illius mors, incognita ut ut sit; incognita qui profert in lucem DEUS, illius justo judicio jàm patefiet aliquando. Sit vobis, Cives, argumento ultimi honoris debiti exhibendi. Nolumus prius ad illum vos exhortari, quam beati nostri defuncti merita, quibus Scholam luculenter auxit, invitare animadverteretis. Pro ratione humanitatis vestræ apparueritis ultro in deductione Funeris illius, ex propriis ædibus hora pomeridiana I. efferendi; illam saltem explorandam duximus, num etiam ad monita nostra sitis declaraturi, juxta pietatem, qua ex hoc casu, omnem diem ultimum nobiscum æstimaveritis.

P. P. Tubingæ IX. Julii Anno Salutis M. DC. LXIII.

[illegible] sed eheu! Levius [illegible] SCHOLA querantur ejus fautorem, Amicum, Virum, dolor! Nobilem, [illegible]
[illegible] DN. LUDOVICUM WEBERUM, J.U. Doctorandum, necnon oppidi hujus Præfectum infe-
[illegible] Hunc anno Salutis [illegible] millesimo, sexcentesimo undecimo Erpaci, illustris [illegible] comitatus, oppidi, acce-
[illegible] honestissimis Parentibus, [illegible] ex quo aulico ibidem facto Præfecto, & [illegible]
[illegible] cura [illegible] per S. Baptismum gremio Ecclesiæ illatus, juxta pietatem Literis eum in modum inca-
[illegible] Quorum [illegible] Marpurgensi; tum Noribergæ
[illegible] ut superasset [illegible] elementis [illegible] Universitatis cum laude evaserit cum [illegible] Dn. Comitibus,
[illegible] affectus [illegible] feliciter cœpit laude pertingit; exinde dignus habitus Illustribus [illegible] Dn. Comitibus,
[illegible] Linguæ Gallicæ addiscendæ gratia adiret, quæ tamen breviter perlustrata minus voti sui
[illegible] ibique [illegible] Agitatur postea annus M. DC. XXXIV. quo antece-
[illegible] ad se revera. [illegible] REGINAM SUSANNAM, Filiam, p.
[illegible] Virginem [illegible] SAMUELIS SANSOVII, J.U.D. ac Dicasterii Aulici Assessoris, & Academiæ
[illegible] illis temporibus, quibus, quo atrocior bello ipsi matrimonium contrahebatur, eo
[illegible] Evasit tamen Pater tredecim liberorum. Prospexit ipsi divina providentia ra-
[illegible] proxime subsequenti Uracensium fuisset præfecturam; & quidem bien-
[illegible] Uraco Meckmuhlam tetendit, ubi cum Præfectura
[illegible] Ibidem commoratus exemplum, repetit Uracum Sparta, quæ ibi est,
[illegible] per decennium egregie ornata, Tubingam nostram se contulit, ad capessen-
[illegible] quo mortem obiit Dn.
[illegible] & Schola & Civitas! audita inopi-
[illegible] quem qui non rapperetur. [illegible]
[illegible] Quo minus de eadem quæ [illegible] pollicitus fuis-
[illegible] Scholæ hodie nostræ cordi illius mors, inco[illegible]
[illegible] judicio sum pateret aliquando. Si vobis, Cives, argumento ubi-
[illegible] quam beati nostri defuncti merita, quibus
[illegible] Peroratione humanitatis vestræ [illegible]
[illegible] explorandam duximus [illegible]
[illegible] ex hoc casu, omnem diem ultimum nobiscum affirmaverimus.
[illegible] M. DC. LXIII.

ILLUSTRIS COLLEGII
EPHORUS,
LUDOVICUS BERCHTOLDUS,

Lectoribus perennes immortalis DEI favores in vita & morte apprecatur.

CUjus sacratas pro animabus curas, jam aliquot ab annis, in audienda singulatim pœnitentium confessione, & Evangelicæ Gratiæ annunciatione, Inclyti hujus Athenæi incolæ, summo cum pietatis fructu senserunt, ac porro sperant, quin suos quoque dolores, cum acerbissimo ejus luctu, sive permisceant, sive conjungant, nunc committere neutiquam decorum putabunt. Haud difficulter autem unusquisque divinabit, quantis nunc mœroribus obrutus sit, *Vir Perreverendus Excellentissimusq́, Dominus* BALTHASAR RAITHIUS, *SS. Theologiæ Doctor, ejusdemq́, & Orientalium Linguarum in Academia Tubingensi Professor meritissimus, tum Ecclesiæ Decanus, ac Stipendij Ducalis Superattendens, utrimq́ vigilantissimus*; posteaquam sui amantissimam Conjugem, *sicut lucido excelsarum Virtutum*, in sexu hoc supra uniones micantium, *candore, ita singulari Christianæ potissimum pietatis ardore* olim *commendatissimam Matronam, Dominam* MARIAM MARGARETHAM, *natu Rümmeliniam*, in ipso mensis finientis & inchoantis bivio, derepente amisit. Nolumus invadere provinciam, Theologo tot annorum variis experimentis comprobatissimo propriam, ut solatia isthic conquiramus, quibus viduitatem ejus miserabilem ultro erigere potest intima divini verbi notitia, quod is, ex publici muneris rationibus, assidua mente manuque, suo & aliorum bono, quotidie volvit ac revolvit. Novit ipsemet examussim, quanquam atratis tristitiæ nubibus undique nunc velut obvolutus, quomodo cœleste mortis ac vitæ arbitri mandatum, cum prona obsequii nunquam detrectandi gloria, optime sit conciliandum; quomodo rigor mortalitatis, qualis eminus intuenti videtur, beatitudo immortalitatis, perspicilio fidei cominus introspecta, perite sit emitigandus; quomodo denique militantis Ecclesiæ jactura, quam sic patitur, per certissimam triumphantis accessionem, quam à sancta *Matronæ* hujus anima percipit, vicissim exæquanda sit ac leniori animo ferenda. Hæc & similia his malagmata tantum haud dubie robur habent, mœsto pectori applicita, ut lachrymas, ex præfestino hoc decessu subortas, si protinus exsiccare non possunt, quod intimus amor & dulcissima viginti fere & duorum annorum socialis consuetudo, quod communis charissimorum pignorum orbitas, nova dolendi materia, oculis obversans, quod provocantia ad suspiriorum reiterationem honoratissimæ socrus lamenta, subinde prorumpentia, in luctu adeo recenti, vix permittent, sistere tamen nonnihil queant, & ad moderationis terminos revocare. Nos profecto, quotquot paulo ante, redeuntem ex hemiplexia vigorem, pientissimæ matronæ, totique RAITHIANÆ Domui, serio sumus gratulati, nunc tam repente ad commiserationis necessitatem redacti, non possumus non afflictissimæ familiæ vices subitas, nostræ simul vicissitudinis, cui obnoxii omnes sumus, merito mœres, animitus deplorare; certaturi votis, si fata iis possent immutari. Quod unum vero licet, hoc agimus, atque ex imo cordis penetrali precamur, ut propitia DEI dextera gravissimum hoc vulnus, quod mors conjugali, quod materno, quod filiali utriusque sexus pectori, una hac strage, ex æquo inflixit, congruo supernæ providentiæ remedio persanare velit, & hos dolores, renovato gratiæ suæ superventu, sistere penitus ac tranquillare. Cæterum haud exigua pars hujus tranquillationis, post sanctiora cœli subsidia, à felici recordatione tot Virtutum dotumque dependet, quibus pie defuncta *Domina* MARIA MARGARETHA, vitam inchoavit, exornavit, terminavit: quemadmodum ex brevicula & simplici narratione XL. & VII. fere annorum, quot isthic vixit, ultro omnibus patebit.

manitatis cum Stoa inhumaniter exuimus, ab ejusmodi parentibus prognasci, quorum vel sola sollicitudine ac imitatione, cui terbenedicti Numinis benedictio semper favet, ad consimilem morum sanctimoniam tanto licuit promptius eluctari. Pater quippe illi fuit *Vir Nobilis & Excellentissimus, Dominus* MARTINUS RÜMMELINUS, J. U. D. *& in hac Universitate publicus linguæ Græcæ Professor*; quem decennis nostra amisit, atque nunc triumphalem ejus per triginta & sex annos animam, cum ineffabili voluptate, in iisdem beatorum sedibus, procul dubio amplexatur. Mater vero, adhucdum superstes, est *Matrona, præter trigeminam pietatis, castitatis, & virtutis omnigenæ laudem, gloriosa plurimarum calamitatum victrix, Domina* MARIA, *nuptu*, sicut patet, RÜMMELINIA, ex DN. JOHANNE HARPPRECHTO, pridem beato, & olim *incluto JCtorum Professorij Ordinis isthic Antecessore, nata*: quæ tamen acutissimos puerperii dolores, cum dulcissimam hanc filiam, anno 1616. die VII. Novembris, in lucem ex sinu materno proferret, longe facilius superavit, quam præsentissimos intensissimosque mœrores, cum corpus ejusdem, citra ordinarium naturæ cursum, ante se gremio telluris, magnæ matris, recondi videt lugetque, pro teneritudine affectus, subjugare poterit ac de iis triumphare: nisi quod singulare sentit ac sperat, ex Domini Generi nepotumque suavissimorum intuitu, luctus & senii sui levamentum. Crevit deinceps surculus iste, etiam infantili tunc ætate, non materni lactis rore magis, quam purissimo tersancti Baptismatis liquore, cujus vim piissimorum Parentum interpretatione maturrime didicit, admirabiliter vegetatus ac perfusus. Sic igitur post cunas & serperastra, totamq; ætatem puellarem, indies modestia, rerum Oeconomicarum peritia, & virtutum reliquarum gloria, notabiliter augescens, in arbusculam frondentem, jugalique horto plenius maturam, haud segniter excrevit. Non audemus gaudia, utut temporibus ob bella durissimis, lætissimi tunc Sponsi ejus, nunc afflictissimi Vidui, vel obiter delibare; ne is, damni recenter accepti memoria, etiam illinc penetrantiores aculeos persentiscat. De ipsa potius connubiali vita, anno M. DC. XLI. ad diem XXXI. Augusti, sancto Numinis provisu, inchoata, quam concors, quam amabilis, quam desiderabilis, sed frustra nunc eheu desiderabilis! effluxerit, vel hinc scire juvat, quoniam amor, ad ultimam usque noctem, quæ dissolutionem hujus animorum nexus attulit, à pristino fervore nihil unquam remisit; octo liberorum proventu fœcundatus. Ex his quatuor, ad Dominum præmissos, cum tripudio resalutat; quatuor superstites, filios duos bonis literis, alterum insigniter innutritum, alterum pro ætate sic satis initiatum, filias totidem, alteram bene nuptam, alteram nondum nubilem, charissimo marito, in pignoris vicem, reliquit ac commendavit. Nihil est opus, fusius hic recensere, quam fuerit devota & constans adorandi numinis cultrix, quam obsequiosa erga Parentes filia, quam morigera erga vitæ socium uxor, quam sollicita pro liberorum salute mater, quam diligens ac indefessa rei domesticæ curatrix, quam prisci moris, etiam augescente honorum maritalium cumulo, tenax, quam benigna pro modulo virium erga egenos, quam officiosa erga omnes, quibus poterat prodesse, quam patiens sine murmure tot adversitatum, quas nec paucas, nec leves, qualis est liberorum DEI inseparabilis propemodum character, sustinuit pariter & fide nil imminuta debellavit. Hæc enim omnia virtutum ornamenta, usque ad ultimum vitæ halitum, ut in exemplum matronale possint evalescere, insigniter illi adfuere: sic tamen, ut & hominem se meminisset, & nil humani à se alienum duceret, ob infirmitates, qua nativas, qua subinde irrepentes, sæpius DEO supplex ac gemebunda. Hinc ardore pietatis indicibili gavisa est, cum ad sacratissimam synaxin, ipso institutionis Dominicæ die, quem viridium Ecclesia dicit, totius Familiæ comes, in publico cœtu novissime accessit, illo viatico ad hoc iter provide instructa, DEOque suo reconciliata. Sed ista sacratioris sunt loci: nos paucis tantum attingemus, quo curriculo ad fatalem horam, suis magnopere luctuosam, tandem pervenerit. Nam cum ab hemiplexia, quam plusculos ante menses passa erat, sic satis reconvaluisse videretur, publicum Ecclesiæ cœtum denuo revisere haud intermisit; quemadmodum illa Dominica, quæ postrema ei mortalis hujus vitæ meta fuit, bis Templum frequentavit, atque sic æterno Sabbatho, quod anima nunc celebrare occepit, identidem velut prælusit. Nimirum hora nona illius noctis, quæ proximum retro mensem clausit, post piissimum cum optimo marito colloquium, fulmine Microcosmico iterum tentata, post sex circiter horas, summo mane, inter suspiria charissimorum devotissima, Creatori, Servatori, Sospitatorique suo animam, sanguine pretioso redemptam, in manus resignavit. Quæ cum in sedem beatitudinis absque dubio jam transmigraverit, de solo nunc corpore, in sedem quietis deferendo, PERREV. DN. VIDUUS, ut ut mœrore turbatissimus, ultimas curas, quas desideratissimæ Conjugi debet, nunc suscepit, & eidem ad diem hodiernum, qui tertius Junii nobis illuxit, hora pomeridiana secunda, Christianas exequias apparavit. Ad istas etiam Vos, Illustris Collegii Incolæ ac Cives reliqui, ut selecto speciatim à confessionibus vestro Præconi Evangelico, aliquantum solatii, pie vero defunctæ matronæ nonnihil debiti officii commonstretur, ipsa pietatis ratio invitabit. Nobis sufficiet, tempus & locum, nempe Ædes, quas habitat DN. RAITHIUS, isthic significasse, &, appresso Minervæ nostræ Sigillo, invitationem officiosam firmiorem reddidisse. Publice propositum ipso die funeris, Anno M. DC. LXIII.

RECTOR
UNIVERSITATIS SCHOLASTICÆ
STUDII TUBINGENSIS

LECTORI CUIVIS, ut fas est, honorificè compellando SAL.

NOndum exploratum ſatis adhuc, L. Commodum Verum Imperator olim Ælius Adrianus, poſtquam ad diverſos honorum gradus evexerat, ipſi tandem Imperio ſucceſſorem deſtinabat. Sed nec corpore deinceps, nec animo ſatis validum cernens, dictitaſſe fertur, *in parietem ſe caducum inclinaſſe*, eaque, quæ pro adoptione populo ac militibus dederat, perdidiſſe. Digna omnino laude, quam Ælius agitabat animo, ſucceſſoris boni cura. Cujus eventum tamen in Vero minus verum, aut proſperum neutiquam mirabitur, qui modo tritum illud, quod ſcurræ cuidam in Divo Aurelio Vopiſcus tribuit, non eſſe de nihilo cogitet: *Uno in annulo bonos Principes omnes ſculpi poſſe.* Scilicet ipſa rei difficultate benè imperantium copia rarior fit; ut optimè atque ipſis quaſi ex adytis Delphicis dixiſſe videatur, qui *benè imperandi artem difficillimam* dixit. Age enim pericula jam, atque ſolicitudines, & miſerias omnes, quæ denſo velut agmine *pannum illum nobilem magis, quam felicem* ſtipant, ſileamus: quod robur, qui nervi virtutum non ab iis requiruntur, qui, tanquam *Atlantes* alii, *ſubire humeris, ac ſuffulcire imperatorium hoc*, ut ſic dicam, *aut regale cœlum* audent? Septem & viginti ſupra centenas numerant columnas hiſtoriæ marmoreas, quibus Epheſinæ templum Dianæ totidem reges olim, opere inter mundi miracula recenſito, ſuperſtruxerant. Quis verò Principum, reipubl. molem ſuſtinentium, virtutes numero adæquet, cum infinitæ eſſe videantur? ſiquidem Dii in terris ſunt alii, finitum omne excedentes. Sed abſit color hyperbolicus: & ſimplicem vultum promat veritas. Quid animi generoſi, quid ardoris honeſti, aut quod denique, decóri omnis, commodique ſtudio ſuffultum probe, pectus nobilitet

ullum, quod non rectiùs, non digniùs, atque insigniùs Principem nobilitabit? Itaque prudentissimus Regum Alphonsus, cur diceret, habuit, *tantò privatis hominibus Reges meliores esse debere, quantò honoribus & divinitate antecellunt.* Quam ad metam lineâ item strictissimâ, rectissimâque Cyrus collimabat, qui *neminem debere imperare* ajebat, *nisi qui subditis suis omnibus esset melior, sive intelligendo, quæ opus sunt; sive gerendo, quæ tempus expostulat.* Adeò solidum, supraque cæteros sublimatum robur, ac nervos, statio illa augusta desiderat, in quâ constituti, Principes non caducos se parietes, aut tibicines ruinosos, cariososvé, sed firmos, fixosque magis, quam fictos, aut pictos telamones, ac columnas, pro fulciendo rerum, quarum potiuntur, pondere, exhibeant. Dixerim, ipsam huc Supremi sapientiam Numinis respexisse, cum regem Israëlitis primum daret, qui populum omnem humeris supereminerer. Quanquam enim eo ipso minimè adeò, corporis majestatem, quam tamen & Barbaros imperio dignam judicasse legimus, in rege requiri, significatum videtur: mentem tamen excelsam, erectam, invictam, qualis plerumque talium domicilio in viris Principibus fuisse, vix dubitarim. Differet hanc in rem pluribus, *die Veneris proximo,*

Illustris ac Generosissimus CAROLUS SIGISMUNDUS, Dominus à Kronegk, Liber Baro in Mosburg & Glannegg, &c.

quando *de Fulcris Imperiorum ac Rerumpublicarum, hora nona matutina, in Aula Nova,* publicè disseret. Sive locum, quo natus est Illustris Juvenis, sive stadium, quod decurrit, spectemus: materiam se dignam isthoc argumento nactus est, in quo facundiæ erectioris vires, quod egregie facturum confidimus, periclitetur. Neque in dubium quicquam vocamus, conatibus tam generosis ab universo Patrum, Civiumque nostrorum cœtu assurrectum iri. Quod si est præterea quispiam, qui, utut nulloAcademiæ nexu devinctus, virtutem tamen, ut æquum est, præsertim in apicibus istis, suspicit, eum, ut in partem quoque aliquam veniat plausuum, gratatuumque mutuorum, devotè atque observanter advocamus. P. P. sub Rectoratus Sigillo, Tubingæ, die XVIII. Mensis Martii, Anno recuperatæ Salutis, cIↃ IↃc LX.

TUBINGÆ, TYPIS THEODORICI WERLINI.

ILLUSTRIS COLLEGII
PROFESSORES
Lectoribus salutaria quævis comprecantur.

QUi ex publica commissi muneris autoritate vos compellare debebat, privati eheu! luctus ac doloris vehementia obrutus, domesticaque necessitudine perculsus, vicariam hoc tempore operam, neque ipsam mœroris & commiserationis expertem, ab interprete calamo desideravit. Animæ enim suæ dimidio nuper orbatus est, *Vir Nobilissimus ac de diversis summorum Germaniæ Principum familiis pridem meritissimus, Dominus* LUDOVICUS BERCHTOLDUS, *nunc Supremus in Illustri hoc Collegio Ephorus*, &c. postquam præteritæ hebdomadis die penultimo, urgentibus tandem fatis, charissimam Conjugem amisit. Quod si non nisi dulcissima vitæ connubialis adjutrix, quam DEUS, haud vulgari provisus sui serie, lateri illius conciliaverat, eidem foret erepta, multæ tamen & propinquæ commotionis argumenta mors ista suggereret. Jam autem cum illa sexus sui ingens consummatumque decus vixerit, cum sollicita liberorum, orbitatem suam collugentium, genitrix fuerit & educatrix, cum plurimorum, quibus vita hæc subjacet, casuum in tam arcto consortio, victrix extiterit ac triumphatrix, Uxor ejus per XVIII. annos dilectissima; nemo non agnoscet, causas mœroris, propter tam multiplicem jacturam, haud exigua sumere incrementa, imo ad imum pectoris, alioquin contra fortunæ insultus sat muniti, penetrale vim suam diffundere. Habet tamen, habet viduitas ejus haud pauca malagmata, quibus pressam mœstitia mentem erigere queat & tranquillare; sive sursum, sive retrorsum, s. prorsum oculos velit circumferre. Dum se sursum vertit, videt immutabilem fati legem, cuncto generi humano præscriptam, **moriendum est**; videt providam æterni Numinis directionem, absque qua nec pilus, nedum vita, nobis potest perire; Videt sanctissimam supremi rerum humanarum arbitri voluntatem, cui nec voto, ut primum patescit, fas est obluctari; Videt morti ademtos, per propitii Servatoris nostri mortem, quos maledictio indiderat, aculeos, nunquam credentibus venenatos, adeòque non perpetuo lethales. Quamvis igitur ob recenter accepti vulneris ictum gaudere non possit, magna tamen solatii firmamenta supernitus sibi parata intelligit, tantoque patientius ferre conatur, quod nequit mutari. Dum retrorsum ad majorum pie defunctæ *Conjugis* sanguinem, vitamque omnem cum laude actam & peractam respectat, nihil dissimile iis videt, qui eam progenuere. *Nobilissima* enim stirpe non modo genita, sed virtutibus generosorum *quoq;* majorum suorum *Exornatissima* hæres fuit, *Domina* DOROTHEA *nuptu* BERCHTOLDIA, *natu* BLANCKENFELDIA, & quod felicitatis mensuram implet, ad extremum usq; spiritum, auctam tanti decoris possessionem summa cum cura custodivit, jamque electorum choro, velut novum divinæ gloriæ tributum (ita nomen sonat) meliore sui parte intulit. Non abs re fuerit laudatissimos ejus progenitores, sine ulla verborum pompa, quam illa pridem inter inania despectat, ex decori legibus breviter memorare. Alterum jam, si unicam annorum sesquidecadem subtraxerimus, elabitur seculum, cum *Atavus* DOROTHEÆ *nostræ*, DN. WILLICHIUS *de* Blanckenfeld (del campo bianco) una cum Fratre JOHANNE priscis clarisque in Italia natalibus ortus, Germaniam inhabitaturus, ab *Augusto Cæsare* FRIDERICO IV. ut ipse cum posteris Imperialium feudorum beneficiorumque tanto capacior redderetur, privilegia equestris in S. Rom. Imperio ordinis impetravit, avitæque Nobilitati conjunxit. Neque illum generosa spes fefellit, quæ maturrime, postquam in *Marchionatu Brandeburgico* sedem elegisset, fuit impleta; dum ex Filii, DN. THOMÆ *de* Blanckenfeld / Heredit. in Panckau & Weissensee / &c. qui *nostræ Abavus*, primo cum BUCHEMIA, cumque KLÖTZINGIA (Nobilitatem utriusque stirpis nemo ignorat) iterato matrimonio, viginti & trium liberorum, memorabili ac ob vivacitatem faustissimo exemplo, factus est *Avus*. Ex his natu maximus DN. JOHANNES *de* Blanckenfeld / &c. propter admirabiles ingenii dotes, non modo summos eruditionis titulos acquisivit, sed etiam post gloriose exantlata Imperatorii, Electoralis, aliorumque Principum Consiliarii munia, ad sacram Capitularis Ecclesiæ Lebbusiensium & Fürstenwaldensium in Marchia Præsulis infulam, mox ad pedum apud Revalien-
[illegible] *Archiepiscopale* apud Rigenses, ibidem *Fastigium* anno M D XXIV. eo ipso tempore, cum

[illegible]
lux Evangelica illum Septentrionis tractum collustrare cœpisset, sola optimorum meritorum via promotus *[illegible]*, Germanus autem Frater ejus, *nostræ Proavus*, DN. WILHELMUS *de* Blanckenfeld/Hered. in Panckau & Weissensee/&c. *apud* sapientissimum fortissimumque Electorem Brandeburgicum, publico orbis consensu *Germanicum Achillem & Ulyssem* dictum, ALBERTUM IV. multos per annos *in admissionis intimæ Consiliarium est cooptatus.* Hujus Filius, DOROTHEÆ *nostratis Avus*, DN. JOHANNES *de* Blanckenfeld/Hered. in Panckau/Weissensee & Köpping/&c. æque *Consiliarij & Supremi* apud Aulam Electoralem *Dapiferi munere est defunctus.* Hunc deinde DN. WILHELMUS *de* Blanckenfeld/itidem in Panckau/Weissensee & Köpping Hereditarius, &c. proxime excepit, gentisque suæ insignia ornamenta, novis meritorum testimoniis, subinde ampliavit. *Hoc Patre*, DN. DOROTHEA BERCHTOLDIA, *Matre* vero ANNA, ob vinculum nuptiale BLANCKENFELDIA, natale THIERINGIA, KÖPPINGÆ, quæ sedes *in Marchia Electorali* equestris est, Anno MDC VII. postridie Calendarum Junii, vitalem auram hausit, simulque paternæ ac maternæ virtutis & fortunæ hereditatem, cum sanguine & lacte, feliciter adivit; semimestri post novam & mysticam in Christo vitam adepta, provideque deinceps à sollicitis Parentibus educata. Parum tamen insomnis hæc cura effecisset, nisi & ipsa, licet puellari ætate, DEUM ardenter orasset, sacram & Augustanæ Confessioni concordem veritatem è divinis literis imbibisset, atque DEO primum, postea verecundiæ virginali, generisque sui, unde prognata erat, honori, jam adolescentior, magis magisque satisfacere laborasset. His ergo pietatis, modestiæ, œconomicæ curæ negotiis ad annum usque XXI. feliciter intentam pii Parentes, præsertim cum bellorum tempestates, aliaq; pedissequa his mala, tum præcipue Marchiam circumstreperent, *in Aulam Brandeburgicam*, quæ ONOLZBACI est, ad *Celsissimam* stemmate & tot virtutum concentu *Principem* (quæ re & nomine SOPHIA fuit) Dn. matrem *Seren. Principis* ALBERTI, qui nunc ibi rerum potitur, eandem dimiserant. In hujus ministeriis nobilioribus ipsa ad annum usq; suæ ætatis XXXV. perduravit, & illic, quoniam frequentissimo fidei, castitatis, & obsequii experimento tantis fastigiis (immortalis DEI dono) singulariter se approbaverat, ingentes clementiæ Principalis favores est experta: tum maxime, cum *à* mœstissimo nunc viduo, *Nobilissimo* DN. BERCHTOLDO, *Celsissimorum ex* ANHALTINA *Domo Principum tunc* EPHORO, Anno MDCXLII. nuptum expeteretur. *Hunc* proinde, postquam Numinis, Principum & propinquorum voluntate, admirando fatorum ductu, in ejus matrimonium IV. die Septemb. concessisset, ad *Satrapiam* in Franconia WINDSPACENSEM, *post* aliquot annos STUTGARDIAM, & deinceps huc TUBINGAM à *Seren. Wirtemb. Duce* EBERRHARDO *ad* Celsiss. è Filiis p. m. primogeniti, tandemq; *Illust. Collegij Supremam Præfecturam* vocatum, fidissima itineris & vitæ comes *est subsecuta*, ex eodemq; illic & hic quinque liberorum mater facta: è quibus tres ad supernas sedes præmisit, duos autem Filios CHRISTIANUM AUGUSTUM & EBERHARDUM LUDOVICUM, BERCHTOLDOS, (quibus divina porro gratia largiter adspiret!) dilectissimo marito æterni pignoris loco reliquit. In hæc ille, quæ diximus, & hos, maternæ virtutis vivos traduces, dum lumina nunc madentia retrorsum flectit, atque simul dum jugalis concordiæ & amoris perpetuitatem, dum amœnitatem morum, quibus muneris gravissimi molem edulcare illa studuit, dum sollicitam in curanda familia dexteritatem, dum vere maternam in educatione liberorum sublevatricemq; vigilantiam, dum salvificæ ac tot operibus in proximum, in pauperes & ægrotos imprimis, comprobatæ fidei serium, & ad ultima suspiria continuatum, ardorem recordatur, fieri non potest, quin suam quidem jacturam doleat, eo tamen facilius vulneratum animum conquiescere jubeat, quo certior est, tot egregiarum virtutum cultricem, quæ tam bene vixerat, neutiquam male mori potuisse. Illud nimirum longe efficacissimum lugenti præbet solatium, dum antrorsum insuper prospectat, charissimamque vitæ sociam, à temporario conjugii nexu ad æternas agni nuptias, à tenebris ad lucem, à morte ad vitam, breviter, ab adversis ad prospera, à conversatione hominum ad angelorum, ipsiusque DEI consortium, nunc translatam esse, suaviter recogitat. *His deliciis* ineffabilibus *cum anima defunctæ, post* diuturnum morbum, febrili senilique marasmo, quo sensim contabuit, persimilem, plurimos per menses constanter toleratum, *jam læta fruatur; corpori etiam*, II. Novembr. *inter horas* IX. *&* X. *antemeridianas, placidissime exanimato*, postquam illi diutius sustinendo, nulla pie anxii Mariti cura, nullus præstantissimorum Medicorum & medicamentorum delectus potuit evalescere, *sua etiam* in gremio terræ *quies (quod hodie ad horam pomeridianam* II. *fiet)* omnino *erat designanda. Nostrum ergo videbatur hic vices subire, & ad has Nobiliss. matronæ exequias, Ill. Collegij cives inclutos, officiosissime invitare; speramusque firmiter, ad ultimum hunc honorem omnes ultro inclinaturos: ubi simul Christianæ pietatis, cui* NOSTRA, *cum privilegio tamen infirmitatis humanæ, semper incubuit, memoriam à sacrato interprete disertius intelligetis. Valete, ossibus beatam resurrectionem optate, & ipsimet mortalitatis memores vivite.* L. M. Q. perscriptum atque cum appresso Ill. Coll. Sigillo publice propositum, Tubingæ, ipso die funeris, V. Novembris, Anno MDC.LX.

RECTOR
UNIVERSITATIS TUBINGENSIS
LECT. SAL.

SÆVIT non *in sceptra* minùs, quam *ligones*, mors, nativa pestis generis nostri: quosque ostrum illico, aut fasciæ byssinæ, de matre cadentes, excipiunt, nihilo minus, quam in casa editos fortè, aut tuguriis, uno omnes, ac communi gremio tellus, tumulusve abscondit tandem. Exiguum, quod hîc à monumentis interest, sive lapis Parius ea, sive splendor alius designet, ut sortis eminentiam arguat, mortis debitum non tollit. *In pulverem* ut abeat, quicquid *ex hoc formatum* est primitus, porroque propagatum, antiquissimi dudum tenor irrefragabilis edicti tulit. Hormisdam olim, regium è Parthis juvenem, quem in exercitu ducebat secum, Constantius Imperator, Magni Constantini filius, cum, triumphum Romæ agens, interrogaret, *quid de has urbe sentiret*; cujus ipse tum Cæsar magnificentiam stupebat: *id tantum Romæ placuisse sibi* respondit, *quod didicisset, ibi quoque homines mori.* Habuerat autem istius rei argumentum tot statuas, colossos, & imagines, quas functis dudum, ad perennem posteritatis memoriam, hinc inde positas erat cernere. Verè, quod *de* principe ac regina urbium, *Româ*, juvenis iste, nos *de* ipsis quoque Regum, Principumque *aulis*, ac palatiis, dixerimus; *didicisse* nempe *nos* dudum, ipsâque rerum magistrâ, experientiâ, edoctos probè esse, *etiam illîc mori homines*; etiam istis nequicquam tam verendis, tam venerandis capitibus suas tandem coronas decuti; everti solia adorata, ac thronos; confundi fasces, infringi scipiones deauratos vel eburneos, omnem denique tam augustæ quondam Majestatis fulgorem fatali impete expungi, vel obliterari. Quanquam, quod victorem quoque mundi populum egisse sedulò advertimus, extare sua interea virtuti, ac dignitati omni, etiam post obitum, testimonia, à vivis curata, quasi in solatium mortalitatis, aut remoram ejusdem aliquam, æquissimum, si quicquam, est. Cum enim tantò major unumquemque difficultas in vita, vel hostilitas infestet, quantò est sive loco sublimior, sive studiis commendabilior: haud magni adeò duci debet, exantlata ob tuendam sortem, juvandamque rem communem, molimina tam multa, tamque ardua, posthumorum quoque, ut licet, honorum quasi superpondio quodam munerari, atque ita, transeuntem sponte suâ in animos, ac memoriam posterorum, fortunatæ virtutis splendorem face admotâ augere. Hæc porrò inter debita præclarè demortuis ornamenta novissima, primas vendicare sibi corporis exanimi curam legitimam, decentesque pro cujusvis statu ac conditione exequias, nemo est, qui dubitet. Dubitari autem inter Christianos tantò minùs debet, quod non nisi *templa* quædam *sanctissimi Spiritus*, sacratasque DEO ipsi sedes, hæc animarum ergastula, *corpora*, quamdiu nempe domicilium locant iisdem, esse, divinarum literarum suffragio luculenter exploratum habemus. Cum igitur Serenissimæ ac Celsissimæ Principis ac Dominæ, Dominæ SUSANNÆ, Comitis ad Rhe-

heimii, Marcæ, ac Ravenſpergi; Dominæ Ravenſteinii; Sereniſſimi item, ac Celſiſſimi Principis ac Domini, Domini GEORGII JOHANNIS, Comitis ad Rhenum Palatini, Ducis Bavariæ, Comitis Veldentiæ, &c. glorioſæ recordationis, Illuſtriſſimæ quondam Conjugis, pientiſſimo nuper obitu, cum *annum* jam, quem ævi meta noſtri dat ſummis accenſendum, *ſeptuageſimum* attigiſſet, *Nirtingæ* è vivis exemptæ, quæ ſuperſunt poſt vitam, inter virtutes omnigenas, *Ducali* iſthoc pariter, *ac Matronali faſtigio* digniſſimas, ad exemplum quaſi tranſactam, mortales exuviæ *Conditorio* ſuo, quod vetuſtate, titulis, & apparatu ſpectatiſſimum hîc, in templo Divi Georgi, SERENISSIMA DOMUS WIRTEMBERGICA habet, *ad horam ſextam veſpertinam* labentis dici, prævia deductione iſti eminentiæ congruâ, inferendæ ſint; unde *circa IX matut. craſtini*, DEO volente, CONCIO PARENTALIS eodem in templo ab *Admodum Reverendo atque Ampliſsimo Viro*, DNO. TOBIA WAGNERO, *SS. Theologiæ Doctore ac Profeſſore Controverſiarum Publ. Eccleſiæ Tubingenſis Decano, & Ducalis Stipendii Superattendente, Pro-Cancellario Academiæ Digniſsimo, Collega noſtro honorando*, in memoriam *glorioſè Defunctæ*, habebitur: omnes ac ſingulos, ſive juriſdictionis Academicæ lege devinctos, ſive literato aliàs Ordini addictos, aut quocunque demum loco honoratiori conſtitutos, monemus pariter, & officioſè rogamus, ut præſentis quidem dici horâ prædictâ, pro excipiendo primùm, quod Nirtingâ advehetur, funere BEATÆ PRINCIPIS, *ad portam Luſnavienſem* congregentur; quò Cives noſtri commodiſſimè *ex ipſa Aulæ Academicæ areâ* nobiſcum procedent; atque à porta deinde *ad valvas usq; Templi* ituram pompam funebrem frequentibus honeſtent exequiis: *cras* autem *ad* habendam item *Concionem ſacram* animis, memoriâ noviſſimorum, ac pietatis infucatæ ſtudio decenter compoſitis, *in æde ſacra* compareant, vota ibidem, pro incolumitate porro CELSISSIMÆ FAMILIÆ WIRTEMBERGICÆ, ſua nobiſcum conjuncturi, ſimulque, quæ *de ortu, vitâque, & obitu* DUCISSÆ ILLUSTRISSIMÆ dicentur, cum ea capere neutiquam anguſtia Programmatis potuerit, devotè audituri. Id quod perſcriptum publicè ſignabamus Rectoratus Academici ſigillo, Die XXI. Februarl Anni M. DC. LXI.

EPHORUS ILLUSTRIS COLLEGII, LUDOVICUS BERCHTOLDUS,

Perennaturam Lectoribus precatur felicitatem.

NAscentis ac renascentis gloriæ (cui acquirendæ *Serenissimorum Wirtembergiæ Ducum* munificenria ansam præbuit præbetque) specimina meditari, atque obliteratum quidem, sed egregium, anteacti temporis morem denuo in usum reducere, nec idoneos modo perficiundo operi eligere socios, verum ad eadem vestigia, sæpius faciliusque in posterum premenda, generosas aliorum mentes excitare, non unam provocat lauream, neque simplicem, apud bonos ac rerum peritos, commendationem meretur. Quis vero celebrem *Illustris* hujus *Collegij* morem *in Consultationibus, de cura religionis, prærogativa militum & literatorum, Principatu Europæarum Provinciarum, deque modo parandarum opum, sub* Incomparabili b. m. LANSIO habitis, domi & foris ignorat? Quis laudatissimam Principum, Comitum, Baronum Equitumque, primo seculi currentis tricennio, in hoc studii genere operam non extollit? Quis illa ipsa eruditæ disertæque diligentiæ monumenta, toties jam iteratis vicibus publicæ luci exposita, non magnopere æstimat & exosculatur? Quamvis ergo, post restauratum hoc Palladis armatæ literatæque domicilium, & à militari barbarie repurgatum, ab Illustrissimis, Illustribus ac Generosis hospitibus, quos habuit, partim hodienum habet, in eloquentiæ studio variæ dissertationes, hactenus summo cum applausu, multoties sint institutæ, ad consultationes tamen iterandas nemo adhucdum accessit. Postquam autem *Politices, Historiarum & Eloquentiæ apud nos Professor*, MAGNUS HESENTHALER, aliquot prælustrium *quæstionum* Politicarum *decades, de Imperantibus, Subditis, Imperij natura, ejusdem cura, potestate sacrorum, deque momentis bellorum,* ex ratione muneris sui, haud ita pridem publice *prælegit*, atque sic amplissimam ad ejusmodi consultationes, exercere se volentibus, materiam subministravit; *Perillustres, Generosissimique Domini: Dominus* HENRICUS CASIMIRUS, *Dynasta* in Limpurg/ S.R.I. *Semper Liber ac Pincerna Hæreditarius,* &c; Ut & Suavissimum par Fratrum, *Dominus* CHRISTOPHORUS HONORIUS, item *Dominus* GODOFREDUS ALBERTUS, *Liberi* utrimque *Barones* in Kitlitz/ *Prusi*, omnes Collegii hujus, vel olim, vel nunc etiam cives, primum in hoc stadio curriculum sibi delegerunt, DE PRINCIPUM ET ILLUSTRIUM STUDIIS CONSULTATURI, *an ista ab illis*, utpote ad Rempubl. gerendam vel lege destinatis, vel sponte adspirantibus, *magnopere sint æstimanda & colenda*? Ex his *Primus* nobilissimam quæstionem ab initio proponet, reliquos ad suf-

tis, vel sponte adspirantibus, *magnopere sint æstimanda & colenda?* Ex [illegible]
fragandum provocabit, tandemque litem hanc dirimere conabitur. *Major* natu *fratrum* primum feret suffragium, literarumque culturam apicibus istis commendare satager: *Alter* vero refragari fraternæ huic sententiæ tentabit, donec tandem, sicut dictum est, decisio omnem controversiam expediat, totique CONSULTATIONI finem imponat. Ut autem in ulteriora sive horum moliminum, sive ipsorummet Oratorum elogia excurramus, nemo à nobis expectet; cum & exercitii hujus præstantia, vitæ civilis prodroma, omnibus sit ultro perspecta, & argumenti hujus plenior insuper notitia, utpote cujus usus in deliberationibus publicis perfrequenter occurrit, maxime sit profutura. Nimirum de Juventutis Principibus, aliisque eminentis fastigii adolescentibus, recte educandis; de scholis, sive à primordio fundandis, sive post ruinam restaurandis, fortassis etiam emendandis; de eligendis in Consiliariorum Legatorumque classem idoneis; ut & aliis occasionibus, in tanto judiciorum de literis & literatis dissensu, passim consultationes instituuntur. De utriusque vero stirpis, è qua *Consultatores* nostri sanguinem & vitam hauserunr, semper adaucta per tot jam seculorum decursus gloria, aut de horum industria & æmula majorum virtute, cujus domi apud suos maturam spem, peregre altius indies surgentia spei hujus incrementa, dudum ostenderunt, ne multa dicamus, modestia *illorum* intercedit. *Perillustrem* quippe *Familiam Limpurgicam*, ante aliquot secula, Sacro Imperio Romano-Germanico *Principes*, in Episcopatu Wirtzburgensi & Bambergensi, Electoratibus summos *Curiarum & Aularum Antistites*, castris *Imperatores ac Duces*, Principatibus, & laudatissimo huic Wirtembergico imprimis, *Produces & Satrapas* ditissima vena *protulisse*, in tanta historiarum luce *haud est obscurum*, neque ulla indiget illustratione. Quin KITLITZIORUM quoque per Silesiam antiquitus, & altero jam atque hoc ipso seculo per Prussiam *Incluta Familia*, summos pace belloque consiliorum & expeditionum arbitros, olim *Supremum inter Provinciales Prussici Ducatus Tetrarchas Aulæ Magistrum*, ac nuper *Supremum* inter eosdem *Mareschallum* (qui uterque consummatus & ultimus Illustrium illic honos est) beatum nunc *duorum Oratorum nostratium genitorem*, velut ingens Patriæ suæ decus *produxit: Illustrem* nempe Dominum, *Dominum* CHRISTOPHORUM, *Lib. Baronem in* Kitlitz/ majoris minorisque Waldeccæ ut & Perkuiccæ ac Drangsittæ Dn. Hæreditarium, &c. Cujus apud *Potentissimum Electorem Brandeburgicum* benignissima superest memoria, quam ordinata ad hanc solennitatem legatio, præter *Serenissimi Ducis nostri* alteram, haud minus gratiosam, abunde testatur. Tantarum igitur imaginum, tantarumque virtutum vivi traduces & hæredes ad eandem gloriæ metam, *sub* Eximiorum prorsus & fidissimorum *Ephororum ductu*, ille quidem sub Dn. DESIDERII SIGEFRIDI SADTLERI, hi vero sub Dn. DANIELIS SOMMERFELDI sollicita inspectione, assidue contendentes, post edita in privatis Collegiis gentiliciæ, aulicæ & Senatoriæ eloquentiæ tentamina, publicum quoque tendentis ad majora, per has tyrocinii vias, facundiæ experimentum, ante abitum à nobis suum, in hac Consultatione, vel subire, vel præstare decreverunt. *Dies* proinde Mercurii proximus, XXI. hujus *Novembris*, (ejusque *hora* IX. *&* X. ante meridiem) *huic actui selectus est*, ac *in Illustris Collegij Auditorio destinatus*: ad quem honorifice frequentandum, tametsi literatos omnium Ordinum cives, ob TRIUM ILLUSTRIUM, quos prædiximus, ORATORUM venerationem, sponte propensuros neutiquam dubitamus, nostri tamen muneris videbatur, *Inclutos DD. Legatos*, aliosque eruditionis Promotores, Præsides & Cultores hac de re facere certiores. Addimus etiam preces erga illos, quos aliunde hospites invitamus, cujusque dignitati congruentes; monita vero erga Collegii nostri incolas & cives, ut loco præscripto, quibus integrum est, per unam alteramque horulam, ad auscultandum convenire ne dedignentur; reciproci officii alacritatem, ubi affulserit occasio, ex lege talionis, à nobis & nostris fidenter expectaturi. Valete & actum hunc, præsentia vestra, reddite solenniorem. Tubingæ, XIIX. Novembris, qui erat XXII. Dominica post Trinitatis. Signabamus publico ILLUSTRIS COLLEGII Sigillo, Anno maternæ virginitatis M. DC. LX.

EPHORUS
ILLUSTRIS COLLEGII,
LUDOVICUS BERCHTOLDUS,

Lectori multa cum salute officiosam promtitudinem denunciat.

GEminum mortalitatis exemplum nos ad pietatem invitat, trahitque insuper ad communionem doloris; quem & humanitati in universum omnes, & nos potissimum, COLLEGII ILLUSTRIS hospites ac cives, luctuosæ nunc familiæ, deque toto hoc palladio diu & insigniter meritæ, singulatim debemus. Nimirum nemo non intelligit, nos de *Nobilissimæ atque tot gratiarum fulgoribus Conspicuæ*, DOMINÆ MARIÆ SUSANNÆ, *nuptu* LAUTERBACHIÆ, *natu* LANSIÆ &c. post laudabiliter exactos, una cum VII. mensibus, & XXVII. diebus, vitæ hujus XXXVII. annos, beato quidem, sed præfestino, sed tot oculis lacrymabili excessu, loqui ne dicam, an potius ingemiscere. Is enim, qui ex fœcundo Uxoris dilectissimæ utero, proximis diebus, decimam prolem felix maritus expectaverat, nunc ex adverso, plorabili orbitate, atque magis etiam deplorabili viduitate, ob duplicatum filioli & mox matris puerperæ funus, quod una nox, decimum & quintum diem hujus mensis Septembris insecuta, tristissima septem liberorum ex altera parte orbatrix, nox huic domui admodum infesta, repente intulit, in mœrorem animi vix effabilem prostratus, & spem augendæ porro ex tam benedicta vena stirpis, & auctricem lecti sociam, unico ictu à se divulsam obstupescit. Hoc in statu sane dolendo, sed &, si amorem conjugalem interpretari scimus, nobis ex commiseratione singulari memorando, eheu nunc versatur *Inclytus & Excellentissimus Vir*, DOMINUS WOLFGANGUS ADAMUS LAUTERBACHIUS, *Jurium in Tubingensi Academia Doctor & Professor Celeberrimus, deque hoc studio longe meritissimus Antecessor*, quin etiam *in* COLLEGII ILLUSTRIS *Conventibus*, quod nobis præcipuum est, ex speciali & gratiosissimo SERENISSIMI harum terrarum PRINCIPIS mandato, *Assessor Lectissimus* &c. ipsemet insuper, ob valetudinem, ex priori acidularum & balnei usu, vix dum finito, sensim redire parantem,

valde infirmatus, nunc vero, nisi quantum Christiana pietas nimio luctui se opponit, doloris magnitudine, velut extra se raptatus, aut ut mitissime dicamus, tristiore hoc, sed ob sanctitatem Numinis directricem, neutiquam culpabili fato, desubito perterrefactus. Utinam! atque ô utinam succurrere nostrum foret! Iremus sane obviam mortiferis insultibus, & impetum hunc hostilem ab unica filia, DOMINI THOMÆ LANSII, *Viri literis, fama, meritis apud coætaneos & posteros maximi*, cujus animam cœlicolæ ipsi, quintum jam prope in annum, hoc honore dignantur, forti ac intrepido pectore averteremus; quin coram solio Numinis, quod ævi mortalis tempora solum dispensat, proni in genua devolveremur, atque paternam ætatem, si res integra foret, octuagenaria majorem, supplices illi apprecaremur. Neque vero fervidissima hæc vota alium in usum tenderent, quam ut pientissima genitrix filiolos quinque, & filiolas duas, adhuc superstites, tenerrimo etiam posthac amore, quem hactenus ardentissimum experti sunt, diutius posset complecti, sed & maternæ pietatis raræque moderationis exemplum, quod sæculo illustre præbuit, ad seram usque canitiem feliciter continuare. Nam de catenatis honoratissimi mariti curis porro sublevandis, occursuque suo, ut & amplexu ac colloquio plusquam mellito, potenter edulcandis, quod officium per hosce quatuor & decem annos, si solas septem hebdomadas subtraxeris, nobilis alicujus & jam parte meliori vere supercœlestis ideæ instar, abunde expleverat, mentionem injicere, latissime alias patentem, vix imo ne vix quidem audemus, ne profundissimum vulnus saucii pectoris LAUTERBACHIANI, utpote recens adhuc & crudum, irreparabilis, quam fecit, jacturæ intuitu, nimium exasperetur. Hoc tamen illi viro, cujus ingenium divini æque ac humani juris sacrarium est, haud dubie solatio erit, habere se nunc alteram sui partem in cœlis collocatam, neque versari eam, donec magnus desideratæ piis mentibus congregationis dies illucescat, beatis in sedibus velut inter peregrinos solam, sed liberorum, quorum duos DEO vocante præmisit, unum vero nunc secum duxit, triplici satellitio, inter angelorum electorumque, quibus charissimum etiam Patrem intermixtum cernit, jubila & plausus stipatam, perpetuo tripudiare. Ad cœlestem hanc geminati morbi medelam, dum fidei oculus subinde respicit, dum dolorem reliquum futuris temporibus mitigandum commendat, dum animarum beatarum, & uxoris, & filioli, lætam & mœroribus liberam conditionem, præeuntibus divini verbi mysteriis, per intervalla suspiriorum ruminatur, corporum tamen curam exequialem minime deposuit, sed hodie hora pomeridiana secunda, ad Australe templi Georgiani latus, in Paterni & Aviti conditorii vicinia, utrique corpori debitum quietis locum jussit apparari. Vestrum igitur erit, quotquot jura ILLUSTRIS COLLEGII cives agnoscitis, exequiis hisce frequentes adesse, atque ut mœstissimorum parentum, Vidui ac Patris, itemque Matris & Aviæ, LANSIANÆ viduæ, sic etiam tot dilectissimorum liberorum, multiplicem dolorem, qua parte licebit, solari ac lenire. Propositum die funeris & consueto Sigillo publicitus munitum XVIII. Septembris, Anno post natum Mortis victorem & triumphatorem Christum M. DC, LXII.

DECANUS
ET
COLLEGIUM FACULTATIS MEDICÆ,

Omnibus LITERATÆ Tubingæ Ordinibus S.

PRofundus PLATO, fabricam massæ fragilis contemplans, conditionem ejus, *lib. de Summo Bono*, triplicem delineavit, suavem scilicet, tristem & neutram: pluribus in sequentibus explicans. Quoad compagem Idem *lib. 2. de Legibus*, ejus ornamentorum primorum primum esse proclamavit, RECTE VALERE, deinde FORMA POLLERE: at

Sordet honos formæ, nisi cui sapientia juncta est.

Tertiò, OPIBUS TUMERE: sed

Spectetur Virtus, Virtus spectetur ubique:
Cætera mortali conditione manent.
Cætera sunt homini vario pendentia casu,
Quæ venit ex factis gloria, vera venit.

Relictis posterioribus duobus primum ornamentum, pulchram scilicet valetudinem, quæ regno regalior omni; & finis est, quem Medicus comparare nititur in corpore humano, præprimis considerabimus. Hunc inculcando Hippocr. *libr. de salubr. victus ratione* monet Medicum optimè ponderare, quàm plurimùm æstimanda sit sanitas, ut ex utilitate sui consilii, fructum in morbis ægri rectè percipere queant. Promovent autem hunc non otia, siquidem

Otia corrumpunt animos pectusque virile,
Tristius ignava nil tibi segnitie.

Hinc Seneca dicit: Emollit otium vires, sicut rubigo ferrum. Div. Bernhardus ait, quod otium sit mater nugarum, noverca virtutum. Et rursum Seneca *Epistol.* 58. Otiosus non sibi vivit, sed quod turpissimum est, VENTRI ET SOMNO. Inde Phlegmaticos accrescere facit humores, calorem & spiritum pigros reddit. Addit Tacuinus *Domo* 16. accidere oppilationem & repletionem corporis ex superflua quiete. Hinc obesi facti, à Galeno & Rhasi ad exercitationes missi sunt. Qui enim comedit, nisi etiam laboribus utatur, sanus esse non potest, inquit Hippocrates *libr. de victus ratione.* Adstipulatur Galenus commendans exercitium, quod

bonam corporis valetudinem, ac partium concinnitatem, unaque animi virtutem præstare possit. Ponderans hæc Severus Septimius, pro Tessera militari, præclarè vexillo inscripsit: LABOREMUS. Hujus exemplo irritati plures magni Nominis Viri, Otium expulserunt labore, quos enumerat Alexander ab Alexandro *Genial. Dier. libr.* 3. *cap.* 21. *& libr.* 4. *cap.* 13. Diversarum Nationum recitans exercitia, *Crotoniatas*, scil. palæstra & gymnico certamine, *Lacedæmonios* pedestri, *Athenienses* navali, venatu *Cretenses* valuisse. De *athletis*, Ovidius. De *luctatoribus*, Herodotus. De *mirmillonibus*, Suetonius. De *gladiatoribus* Horatius. De *cursoribus*, Martialis, sat prolixè scripserunt, quos Benevolus LECTOR adire poterit. Jam accedimus metæ. Dixit supra, sine Christo, Sapiens. Sanitatem bonorum omnium terrenorum esse culmen regale delitiosum, cui fuerit concessa, quâ remotâ, tristitiæ spectris afflictos esse homines, tenebrosa in hora *Cæcus Tobias* confessus est. Dum enim Cœli vernantis nuncius demissus ab arce RAPHAEL dictum TOBIAM larga donasset salute, inquiens; Gaudium tibi sit semper. Tristes dedit voces ore: Quale Gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & Lumen Cœli non video? Cui Cœli alumnus addidit consolationis verba: Forti animo esto, in proximo est, ut à DEO cureris. Successitque munere Superûm. Cujus pietatis officiosæ memoriam, omne genus terrigenum, piè inviolateque servabit, præsertim prolongare dies Medica arte valens. Hinc in more positum, institutoque majorum solenni factum, quotannis ad inconfusum recursum diei, cui data Nominis RAPHAELIS Index, ut aliqua ORATIO MEDICA, publicè proponeretur, non quasi Idolo flexis ut genibus daremus honorem, sed

——*Ut benè apud memores stet gratia facti.*

Quare provinciam ornandi & extollendi SANITATIS commoda, plurima mille, Medica ex parte προφυλακτικῇ, COLLEGIUM NOSTRUM, *Florentissimo Viro-Juveni, Virtutum, Doctrinarumq; genere Spectatissimo, tàm in Philosophica palæstra Victoriosissimo, quàm in Medico studio, Cursori Alacerrimo, de Laurus adeptione Ardentissimo, Candidato Gravissimo,* DNO. M. DAVIDI KOEBERERO, Halâ Suevorum oriundo, commendavit, qui Exercitiorum commodum commune, in lucem locabit manifestam.

Proinde omnes, quibus Sanitatis Cura, URENS EST, ad verba tàm Faceti Præconis, brevem moram, & vacuam turbis aurem præbere velint, amicè rogamus. Omnes etiam Professores, Doctores, ad hæc Elogia SANITATIS recipienda officiosè invitamus; Nostræ autem Jurisdictioni subjectos, ut frequentes compareant, hortamur seriò. Nec dubitamus, cujuscunque Ordinis, Reliquos exercitijs deditos ultrò, de commodo, & incommodo illorum Differenti affore attentos.

Quam humanitatem in Studium nostrum & Honorem, pari affectu nos compensaturos promittimus sanctè. Destinatus verò est huic Actui dies I. Mensis Junij, in AULA NOVA, hora nona antemeridiana. Valete. Dabamus TUBINGÆ, sub publico NOSTRÆ FACULTATIS Sigillo, Festo SacroSanctæ TRINITATIS, quæ omnis Sanitatis Fons & Origo. Anno post CHRISTUM natum, Millesimo, Sexcentesimo, Quinquagesimo Nono.

TUBINGÆ, TYPIS exprimebat THEODORICUS WERLIN.

RECTOR
ACADEMIÆ TUBINGENSIS
LECT. SAL.

QUemadmodum si quis, peracto navigationis curriculo, antequam portum subeat, repentino nonnunquam casu tollitur; quale Pompejo olim, post cladem Pharsalicam, ad Ægypti regem ingratum se recipienti, contingebat: aut qui, decurso ritè stadio, brabeo jam propinquus, ipsaque inter prensandæ palmæ lætissima tripudia, expirat fortè, aut deficit: sic fato nudius quintus lugubri, prorsusque, uti nostræ quidem fert calculus censuræ, intempestivo, ac præmaturo, FLORENTISSIMI ÆVI, PULCHERRIMÆQ. LAUDIS JUVENIS, DN. DAVID KOEBERER, Phil. Mag. ac Med. Licentiatus apprimè dignus, de fluctibus seculi, atque è catadromo vitæ hoc instabili, ac incerto penitus, decessit. Dies erat Dominicus, *Canæ nuptiis* in publico fidelium cœtu commemorandis *solennis*, quo de familiarissima *gaudii nuptialis* in mœrorem apud pios *catastrophe* verba facere sacri præcones solent. Non multùm sanè nostra nos fallet opinio, si non mœrore tantùm, sed morte ipsâ, jugalem quendam apparatum, festumque geniale, quod his diebus volvebat animo *Laudatissimus Juvenis*; adeoque *thalamum tumulo*, *lessoque thalassum* commutatum dixerimus. Mensis hic alter est, ex quo, *pronubis* quasi clarissimis scientiæ *speciminibus*, atque Inaugurali inprimis solertissimè scriptâ, & habitâ, *Iatricen*, tanquam amasiam quandam, à teneris dilectam, sibi vidit *connubio jungi stabili*, *propriamq. dicari*, acceptâ *Summorum* in hac arte *Honorum*, primo quoque tempore solenniter assumendorum, *Licentiâ*. Nec aberat quicquam dulci vinculo, contrahendo firmiùs, præter *Annulum* solennem, quem ipsa propediem secuturæ Promotionis festivitas spondere, cum cæteris huc spectantibus initiamentis, videbatur. Sed verè eheu! *tædæ* istæ *florales in ferales*, *Hymen* Doctoralis *in Libitinam* emortualem desiit. Itaque idem pene *Nostro*, ac Ladislao quondam, Hungariæ ac Bohemiæ regi, accidisse, aptissimè quis pronuntiarit. Iverat tanti jam Principis Paranymphus, Udalricus, Passaviensis Pontifex, splendidissimâ septingentorum Equitum, ex universa Hungaria, Bohemia, Austriaque delectorum, Virginum item, ac Matronarum quadringentarum, miro cultu, mirâ venustate omnium, Legatione instructus, ad Carolum, Galliæ regem, cujus filiam Magdalenam Ladislao desponsatam adduceret. Coiisse florem Nobilitatis tum omnem, quemcunque tot terrarum ambitus nosset, unum in comitatum istum; omnem præterea auri, purpuræque, & gemmarum opulentiam in vestibus, donariis, ipsisque adeò quadrigis, quasi in compendio quodam pretii immensi, refulgere dixisses. Vix autem Parisios ingressa tanti splendoris Legatio fuit; neque enim vel ad sedendum hactenus cuiquam superfuerat spatium: cum, ponè sequens, de subitaneo regis, qui Pragæ contigerat, obitu nuntius prima salutationum officia turbat, totamque cum Carolo, ac Hospitibus, aulam in acerbissimum longè dolorem, atque luctum conjicit. Neutiquam ritus illos Promotionum Academicarum, pompæ quidem isti regali adæquatum imus. Sed quid *Halæ* tamen *Suevorum* adeò diversum ab isthoc, apud Defuncti *Patronos & Consanguineos*, apud *Parentes* inprimis, intra proximos hos dies, tristis illo tabellarii interventu, quem eò misimus, contigisse

vix integrellum de Honoribus KOEBBERERI, rumorem atque ipsius, quam promiserat, propediem, præsentia conceptam spem jucundissimam, adeò confudit, ac evertit? Ita scilicet verissimum illud Poëtæ est:

Medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat.

Cæterùm augebunt subitam consternationem, luctumque, causæ numero sane, ac pondere, quaquaversum accrescentes. Quem enim ipsa inter Summorum artis Medicæ Honorum auspicia extinctum diximus: Eum, simul Anno 1635. die VI. Iunl in urbe prædicta, de sale coquendo perquam famigerabili, lucem primam aspexit, *Honestissimi ibidem Parentes*, JOHANNES KOEBERER, *Civis primarius*, *Materque URSULA HORLACHERIANA*, ad pietatis pariter, ac virtutis cæteræ cultum sedulò educarunt; Schola deinde patria primis Philologiæ ac Philosophiæ tirociniis, sub cura inprimis DN. M. JOSEPHI SEIZII, *Viri Cl.* aut præripere palmam commilitonibus, aut facem præferre vidit; nostra hæc Tubingensis jam Anno 1654. Secundum inter Competitores XX. *Laureâ Philosophicâ alterâ* condecoravit; hæc eadem non modo in *Theologia* primùm, idque per triennium, habendis quoque Concionibus sacris, ac Disputationibus; quanquam his maxime in uberius fidei suæ, ac notitiæ divinæ, augmentum institutis: verum etiam posthac, & præcipuè quidem, in commemorata jam toties *arte Medica*, editis quibusvis luculentissimæ navitatis, & industriæ testimoniis, *in rarissimorum numero* Civium posuit; *Castellum* hoc *Tubingense*, ejusque Antistes, *PerStrenuus, & experimentis quibuscunque militaribus Præsignis*, DN. OGIER FUCHS, &c. *cum Nob. Familia universa*, cui jam ad septennium insertus vixit, ob egregiam cœptorum omnium, etiam medicinæ jam faciendæ, fidem ac dexteritatem, dilexit unice, ac coluit; cives denique, & *populus Tubinganus* omnis, ob candorem, humanitatem, modestiam, & consimile virtutum choragium, in ore ac amore certatim quasi habuit. Putes, eam, quam disceptavit nuper, non sine omine, *Catalepsin* ipsum incurrisse tandem; adeò, post literas præclaras, honesto omni, ac amabili, *mente* quasi *defixus* semper, incubuit, atque *inhæsit*. Quanquam autem perficere hîc sibi, nobisque, plenariè *nuptiale* quasi illud, quod *cum Diva Hygieia* meditabatur, *gaudium*, fato præventus, haud potuit: ad alias nunc tamen, puta *cœlestes* illas, *Agnique nuptias, prudentium Virginum*, comes, penetravit. Quibus, nisi fallor, præludere velut, inter initia morbi, nudius nonus, solito floridior, coloratiorque visus, voluit. Utut enim corruptelam hæc corporis, seminaque latentis morbi, *sagacioribus Medicis* non obscurè indigitabant, illud Celsi sui pro indubitato habentibus: *Qui plenior, & speciosior, & coloratior seipso factus videtur*, *suspecta habere sua bona debet*; quod ipsum quoque superveniens illico pleuritis, cum Diarrhoea, febrique valde acuta, confirmavit: fide tamen, speque erectus, *Noster*, deque, *lampadum* mysticarum *oleo* nequicquam negligens, in occursum *Sponsi cœlestis*, non sine sacro epuli Dominici viatico, lubens properavit. Ubi nunc verè, *relictis* mundi *nucibus*, totque fraudum, errorum, & ærumnarum expers, illud nuptiale veterum: ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον, usurpare potest, interque obtutus, & amplexus DEI, boni unici, boni summi, æternùm gaudere. Restat pro deducendis exuviis ultimus mortalitatis honor, quem tanto lubentiores Defuncto præstabitis, *Cives*, quod etiam in *morte*, quam *Sponsum* olim suum, Virgo Parisiensis, *Genovefa* appellavit, mortisque meditatione, noster meritò sit amor, nostræ sint deliciæ. P. P. die XXIV. IanuarI, Anno M.DC.LXI.

[illegible] adeo, quando, advertit [illegible]

Singulis enim aliquid quod in [illegible]

Certum aut haud subitam conflictationem, hujusque, cautè nimirum fines, [illegible] accessiti. Quem cum ipsa inter Summorum artis Medicae Honorum ac [illegible], [illegible] anno [illegible] VE. iuni in urbe [illegible] de [illegible] peregrinum [illegible], legem primam adfexit [illegible] IOHANNES KOEBERER, [illegible] URSULA [illegible], ad [illegible] parentes, [illegible] cultu [illegible] educarunt. Secundum [illegible] primis Philologiae ac Philosophiae tirocinis, sub cura [illegible] Dn. M. J[illegible] [illegible] praecipere [illegible] comprimentibus, aut [illegible] vidit; mox hac Tubingensis jam Anno [illegible]. Secundum, inter Competitores XX. Lauream Philosophicam condecoravit, hac eadem non modo in Theologia primum, [illegible] habendis quoque [illegible] concionibus [illegible], ac Disputationibus; [illegible] maxime [illegible] ac [illegible] doctrinae argumentum [illegible]. Verum [illegible] praecipue quidem, in [illegible] solemnibus, [illegible] posuit; [illegible] DN. OGLER. FUCHS, [illegible] ad septentrionem [illegible] vixit, ob egregiam corporum omnium, etiam medicinae [illegible], ac [illegible] [illegible] quasi habuit [illegible] [illegible] claras, honesto omni, [illegible] Quanquam autem [illegible] bisque, plenariè [illegible] quod [illegible] haud potuit: ad alias nunc tamen, [illegible] Quibus [illegible] inter initia morbi, [illegible] Illius enim corruptelam [illegible] latentis morbi, [illegible] quod ipsum quoque supervenienti [illegible] pleuritis [illegible] [illegible] valde acuta, confirmavit: fide tamen, [illegible] in [illegible] Ubi nunc vere, [illegible] tot-que fraudum, errorum, [illegible] & amplexus DEI, boni amici, boni summi, aeternum gaudere. Restat pro [illegible] quem tanto lubentiore Defuncto praestabitis, Cives, quod etiam in [illegible] quam [illegible] olim suum, Virgo Parisiensis, [illegible] appellavit, mortisque meditatione, noster [illegible] sit amor, nostrae [illegible] deliciae. P.P. die XXIV. Januarii, Anno M.DC.LXI.

RECTOR ACADEMIAE TUBINGENSIS,

Lectoribus Salutem, annique recens exorti faustissimos undecunque progressus exoptat.

Quartus hic agitur dies, ex quo annum nos iterum unum Dei gratia; cum hoc autem omnes simul vitæ suæ dies, fatis urgentibus, Vir Nobilis, Clarissimus atque Experientissimus Dn. JOHANNES GERHARDUS, Med. D. & Prof. quondam hac in Tubingensi per multos annos publicus, finiit. Idem tanti spatii curriculum emensi, diversam utrinque metam attigimus; ille mansuræ in Cœlo quietis: nos recentium in mundo laborum; ille pacis & tranquillitatis perfectæ: nos curarum cum altero anno aliarum, atque occupationum solennium; ille consummandæ æternùm beatitudinis: nos redeuntis in gyrum denuo suum sortis, dubiæ adhuc, & non nisi læta, pro more, tristibus, grata acerbis, felicia inauspicatis atq; vacillantibus intermiscentis. Decet ergò metæ jam compotem suæ plausu, votis autem eundem in stadio circum repetentes, nos inuicem prosequi. Votorum summam cur non unicâ illâ Augustissimi Cæsaris Rudolphi II voce comprehendamus: Adsit? Nimirum undè potius, aut quid, quam à Deo, & hujus quidem non interruptam præsentiam, sub itineris ingressum novi, & velut παλίνδρομοι, mutuò nobis comprecemur? Hic enim cum præstò est, nec Duce in dubiis, nec Vindice in adversis, nec tutore quibuscunque in periculis carebimus. Ille autem termino jam suo æternùm felix, tantò æquiores sanè etiam gratatus à nobis efflagitat, quantò & gravior est, quà decurrit, via; & optatior, ad quam pervenit, clausula. Gratantium balbutiem cœlestes chori supplebunt: precantium verò ardorem indubius Cœli regnator sentit, & exaudit. Cæterum Viri memoriam paulò altiori commemoratione, quanquam strictius, & non nisi per summa rerum capita, asserere juvabit. Editus hanc in lucem & loco, & parentibus præclaris, Stutgardiæ nimirum, in Inclyta hujus Ducatus Wirtembergici Metropoli; Patre Nobili, Amplissimo atque Experientissimo, Dn. Joh. Cunrado Gerhardo, Med D. & Serenissimi Wirtembergiæ Ducis eo tempore Archiatro: Matre autem Anna Speiserina; idque anno seculi superioris penultimo, fuit: Quem simul post divinæ regenerationis auspicia, patriæque, & domesticæ curam educationis, lux publica, egregium Ingenium artibus egregiis expolitura, deposceret; Prima Oeringæ Humanitatis ac Philosophiæ fundamenta, Parente hîc vices Archiatri Perillustrium Comitum in Hohenlohe gerente, jecit. Post Tubingam hanc nostram adiit, insertusque publico, quod egregiè tum florebat, Contubernio, eousque fa-

cultati Medicæ, studio solerte ac indefesso, curam impendit, dum Honores in ea supremos Anno M DC XXV. consequeretur. Titulum hunc sequente mox anno sors gemina, & Professionis in hac Academia Publicæ, & felicis cum Ornatissima Virgine BARBARA, DN. JOAN-JACOBI MOHLEN, Præfecti Tubingensium dexterrimi, filiâ, secuta est. Primam deindè copulam matrimonii cum uxoris in Cellensibus Thermis obitus soluisset: ad secunda vota, eaque cum lectissima Virgine AGATHA CHRISTINA, Viri Nobilis atque Excellentissimi DN. JOANNIS MARTINI RAUSCHERI, Prof. Eloq. ac Poes. hac in Acad. Celebratissimi, viduâ nunc mœstissimâ, transiit. Neq; sterile habuit utrumq;, quod diximus, Conjugium, susceptâ ex primo quidem unicâ prole fœmellâ, adhuc vivos inter maritatos degente; Ex altero autem quatuor liberis, quorum posteriorum duo adhuc, filius nempe & filia, vivunt superstites. Præstitam in functione publica, in morbis ægrotorum hinc indè levandis, fidem, cæterasque Viri virtutes illi etiamnum deprædicant, quibus notitia cum ipso familiarior intercessit. Sed neque famam ad posteros extendere scriptis desesfuit; inter quæ Panaceæ Hermeticæ, seu Medicinæ Universalis Assertio ac Defensio Galeno-Chemica: tùm decas quæstionum Physico-Chemicarum selectiorum & graviorum de metallis: commentatio item perbrevis, & perspicua in Apertorium Raimundi Lollii de lapide Philosophorum extant. Ad honores præterea publicos, præterquam quod praxi Medica celebris fuerit, etiam hoc insigne velut auctarium accessit, quod Rectoratum quidem Academiæ quinquies, Decanatum autem Facultatis multoties, Deputaturam porrò per multos annos gessit, Doctorum etiam octodecim creatione conspicuus. Cæterum mortis ipsius hæc fuit occasio. Paucis ante illam diebus, cum hactenus firma satis valetudine usus á teneris fuisset, illicò febrili quodam insultu, concomitante dextri lateris dolore, correptus, decubuit. Hunc excepit catharrosa colluvies, pectus & pulmones ita confestim occupans, ut, augescente indies vi morbificâ, & decrescente vitali robore, ex asthmate in suffocationem spiritus, cordisque incideret, atque ita placidissimè, absque ullo membrorum tremore, motuve inordinato, omnis etiam doloris expers, spiritum exhalaret. at non sine constantissimæ tamen in Redemptorem suum fidei testimonio. Hunc enim, cùm agoni jam summo propior, respicere subindè à venerando Ecclesiæ nostratis sacerdote juberetur, hunc unicè se velle, se expectare, respondit; iterumquē num dicta intelligeret etiam, rogatus, quâ potuit, inter summam infirmitatem, contentione, Bene, Bene, dixit, eo ipso quoque & sibi, & omnibus circa assistentibus supremum benè vale dicens. Hujus viri jam ut exequias, è loco, temporeque solitis, eatis Cives, istæ literæ, in gratiam superstitis, quam consoletur Deus! familiæ, publicè propositæ, rogant, monentque; inter hæc annorum incrementa simul, *stare vos omni momento ad ostium Æternitatis*, commonefacientes. P.P. Tubingæ, die Mensis in anno primi tertio, qui erat annus à nativitate Dei humanâ. M DC LVIII.

[illegible] Vir-
ginem [illegible] D. Præfecti Tubingensium dexterrimi, filia secuta est. Primam deinde
copulam [illegible] Thermis [illegible] ad secunda vota, eaque cum lectissima Virgine
[illegible] Viri atque Excellentissimi Dn. JOANNIS MARTINI RAUSCHERI, Prof. Eloq.
& Poes. hîc [illegible] celeberrimi, vidua nunc moestissima, [illegible]. Neq; sterile habuit utrumq; quod diximus, Conjugium,
susceptis ex primo quidem [illegible] prole [illegible] adhuc viva inter maritos degente; Ex altero autem quatuor liberis, quo-
rum posteriorum duo [illegible] superstites. [illegible] in functione publica [illegible]
hinc inde [illegible], fideliter, [illegible] Viri virtutes [illegible] quibus notitia cum ipso familia-
rior intercessit. Sed neque famam ad posteros extendere [illegible] inter quæ Panacea Hermetica, seu Medicinæ
Universalis [illegible] ac Defensio Galeno-Chemica: tum [illegible] Physico-Chemicarum selectiorum & graviorum
de metallis [illegible] perbrevis, & perspicua in Aphorismos [illegible] Lullii de lapide Philosophorum extant. Ad
honores præterea publicos, præterquam quod [illegible] Medica celebris fuerit, etiam hoc insigne velut auctarium accessit, quod
Rectoratum quidem Academiæ quinquies, Decanatum autem Facultatis [illegible], Deputaturam porro per multos annos
gessit, [illegible] conspicuus. Ceterum mortis ipsius hæc fuit occasio. Paucis ante illam
[illegible] cum hactenus firma satis valetudine usus [illegible] insultu, concomitante lateris
dolore, correptus, decubuit. Hunc excepit catharrosa colluvies, pectus & pulmones ita confestim occupans, ut augescente [illegible]
[illegible] excessit [illegible]
[illegible]
[illegible] Bene, Bene, dixit, eo
[illegible] supremum bene vale dicens. [illegible]
[illegible] Cives, [illegible] quam [illegible]
[illegible]
P.P. Tubingæ, die [illegible] tertio, qui erat annus a nativitate Dominica, M DC LVIII.

RECTOR
UNIVERSITATIS SCHOLASTICÆ
STUDII TUBINGENSIS
LECTORI SALUTEM.

PARS anni præsens, vindemiis sacra, mensisque adeò, quem à fluxu foliorum Græci φυλλοχόον appellant, vitæ non immerito conditionem nostræ in memoriam revocat nobis, & quasi ante oculos ponit. Sive enim à parte unâ madere, ac manare musto recenti torcularia videmus: *comparandi cum vino hominis* ansam idoneam, Poëta Græcus, Antiphanes præbet; idque non ideo tantum, quod utrumque defervescere, atque sordes despumare plurimas oporteat, ut usui esse aliquando queat: sed eam quoque ob causam, quod, velut acescit sensim, tempore victus, aut in tenues particulas redactus, liquor ille dulcis; prorsusque vanescens tandem, ac fugiens, nulli porro rei est; sic exhaustæ quoque annorum diuturnitate, eximiæ licet, vires nostræ deficiant ultimò, terminoque fatali concedere nos cogant: sive ab altera parte defluere viridantem comarum amictum arboribus atque sylvis animadvertimus; tritissimum illud è vatum maximo occurrit:

Tale quidem genus est hominum, quale est foliorum;
Quorum hæc ventus humi fundit; rursum illa virescens
Profert sylva, simul veris jam afflaverit aura.

Et sane non vitæ tantummodo nostræ, sed vel totius universi, cum utraque, quam diximus, imagine similitudinem quandam, ac conformitatem deprehendere licet. Quid enim in hac vicissitudinum & reciprocationum, ut sic dicam, officina, in mundo, inquam, obvium magis, aut familiare, quam nasci & interire, proficere ac imminui, innovari & veterascere? Eâ quidem fatorum necessitate vices istas, tanquam catena quadam, devinctas offendimus, ut, quod Lyricus seculi elegantissimus alicubi habet, *fletur casibus*; quodque Physicorum effatum est, *unius generatio alterius sit corruptio; & corruptio unius sit alterius generatio.* Quare disertè hanc in rem disertissimus Laconismi dux Lipsius: *Hæc est lex universi, nasci, surgere, languere, mori: & velut lampadem hanc vitæ alii aliis tradimus, successione ista æterni.* Ne in longum nimis abeamus, cernere id ipsum in alma quoque Universitate hac nostra, velut in tabula quadam, evidenter contingit. Quem enim lateant ejusdem incrementa nupera, cum, vix intra menstrui metam, quatuor Inauguralium auspiciis totidem Clarissimi Professores cathedram personarent? à quibus dulce illud Sapientiæ meracum (liceat enim rerum longè nobilissimarum quasi conjugium quoddam innuere;) avidiori hactenus Juventuti propinari poculis novellis gestientes vidimus; quique amœniori indies flore, fructuque, per Academica hæc Tempe, se, & pubem omnem, Musis deditam, erectum & exhilaratum eunt. Sed quem nec illud intimi doloris affectu percellat, quod annuo se nondum orbe tempus circulat, & Tertius jam Ordini nostro, è Superiorum ternione Facultatum, Doctor, & quasi Antesignanus morte decedit? Minuit sane augmenti gaudia jactura Venerandorum Capitum; utque parcere dehinc sacro isti vineto, viretoque, Sator ac Stator rerum nostrarum Benignissimus velit, ardenter suspiramus. Ut vero nec officii in beatum nunc SAMUELEM HAFENREFFERUM, Medicinæ Doctorem, & Prof. inter nos inclytum, Facul-

SAMUELEM HAFENREFFERUM, Medicinæ Doctorem, & Prof. ...

tatis suæ Decanum, Virum à meritis suis, ac virtutibus apprimè Nobilem, nostri; hic enim est, cujus justorum mœsta hodie persolutione obducta vix cicatrix non leviter recrudescit, dememinisse quicquam videamur: hâc quidem paginâ sortem dierum, quibus vixit, viguitq; Is, brevi narratione percurrere studebimus; solenniorem autem memoriam alteri loco temporique reservamus. Ortum ille præsigni non Academiæ tantum nostræ, sed Ecclesiæ universæ Decori & Ornamento, MATTHIÆ HAFENREFFERO, SS.Th. D. & Prof. Ecclesiæ Præposito, ac Cancellario Universitatis, ex DN. AGATHA, Matrona præcipuæ laudis, Viri item, cum de patria, tum de sacris literis præclarè quondam meriti, DN. JOHANNIS BRENTI, Præpositi Stutgardiani, &c. filia, tantæ stirpis non degener surculus, debet. Quem ortum cum Herenbergæ, A. 1587. die 26. Aprilis, nactus esset; illico in spem eximiam, inter ætatis annos teneriores, non minus domestica Parentum inspectione, quam publica in scholis informatione adolevit. Ut vero liberiori quasi cœlo frui in Academiis indoles egregia cœpit: non per artes tantum Philosophicas eâ, quâ licuit, decuitque, sedulitate, ac progressuum felicitate excultus fuit, luci expositis usque, qua disputando, qua convenientes alias sibi exercitationes strenuè ac indefessè obeundo, laudatis speciminibus: sed &, cum propendere se proniori quodam naturæ ductu ad Artem medendi sentiret, huic ipsi, consensu inprimis amantissimi Parentis prævio, totum se dedit; eâ quidem aspirantis auræ divinæ facilitate, ut, postquam integrum septennium, visitando exteras Academias, Viennensem, Wittenbergensem, Basileensem, atq; Argentoratensem, atque in iis maximæ se undique commendationis documentis locupletando, consumsisset, redux tandem, A. 1614. in hac Academia patria, Supremo Facultatis Titulo ac Honoribus condecoraretur. Annulo huic Apollineo, mense Februario accepto, pronubum mense Novembri junxit, domum ducens Fœminam Cultissimam, ANNAM, DN. GEORGII RENTZII, Doctoris Medici Clarissimi, & Physici Stutgardiani, viduam, patre Nob. & Gravis. BALTHASARE MITSCHELINO, Præfecto Nürtingensi, & Consiliario pòst Aulico, natam. Cui, post editam prolem geminam, eamque sexus utriusque, & adhuc superstitem, A. 1632 lugubriter sibi diremtæ, anno sequente alteram, nempe Honestissimam, & longævitate singulari commendabilem Matronam ESTHERAM, marito tum JOHANNE BECKIO, Viro Nobili, orbatam, & Viro Amplissimo, SAMUELE HAYDEN, U. J. D. & Dicasterii Ducalis Assessore, genitam, quartùm nunc viduam, & improlem, sublegit. Functiones suas, & praxin Artis, uti & domicilium, non uni quidem, sed diversis hinc inde locis, sic ferente, post vocationes legitimas, etiam temporum diro turbine, quem, præprimis ipse quoq; adversum sibi, & perinimicum est experto, non Physici tantum Oppidani, sed Medici quoq; apud Illustres quosdam Aulici nomine, cum summa undique prudentis solertiæ laude, dicavit; usque dum A. 1648. ad Professionem huc Medicam Kirchemio avocaretur. Cui quà dexteritate pariter, ac vigilantia præfuerit, post frequentata, etiam summam subinde per infirmitatem, Auditoria, Juventutis Medicæ verè filialis in Præceptorem affectus, Collegarumque tristibus desideriis mixta elogia; gesti item debita cum fide toties, & ter inprimis Rectoratus, honores, muniaq; Academica alia; tum & vulgata, typisq; iteratò excusa, literaturæ insignioris pignora non occultè testantur. Cæteræ Viri virtutes, cum beatæ inprimis Εὐθανασίας studio, cum & de templi suggestu exegesin facundiorem expectent, non est, ut his intra hanc chartæ angustiam immoremur. Illud fatidicam quandam Beatissimi vim arguit, quod, fere præter vires, sed non præter fidem, in amicos solitam, cum exequias nuper Bebenhusanas prosequeretur, meritissimo se HAINLINO continuâ mox serie deposcendum affeclam Simeon alter præsagiret. Quippe qui, vix repetito lare domestico, familiarem jam olim sibi, languorem ischiadicum novo impetu, eoque tanto persensit, ut, prostratis pedetentim corporis viribus, quanquam sensu integer, nudius quintus, circa quart. matut. dimidiam, inter Sacri Præconis, suorumque ardentes preces, & alloquia, animam placidissimè exhalaret. Ut ad funus pientissimi Senis, Senatorisque, frequentes coeatis, vix moneri, Cives, desiderabitis, qui modo crimen inhumanitatis, ne quid gravius dicam, declinare ultro cupietis. P. P. Tubingæ, sub Sigillo Rect. Domin. XV. Trinitat. A. C. M. DC. LX.

TYPIS THEODORICI WERLINI.

RECTOR
ACADEMIÆ TUBINGENSIS

Salvere Lecturos humaniter jubet.

POST vitæ primæva in Paradiso dispendia, mortem nemo, rari mortis prodromos, & quasi internuntios, morbos defugiunt. Optimum sane, svavissimumque vitæ condimentum *Sanitas* est; *quâ nil majus addere posse* vel *regales divitias*, meritò Flaccus ait; *quamq; Pythagoras, cum forma, & divitiis, expetere inprimis à Diis solebat*; *cum cætera præstare sibi ipsi homo possit:* nisi unicâ is *sanitatis* voce geminum beneficium comprehendit, *& corporis* scilicet *valetudinem, & animi prudentiam*; *unde omnem quoque hominis felicitatem Thales metiebatur.* Sed, cum & animæ sui sint languores, sua ad mortem usque vulnera, ab eâdem, cum infirmitatibus corporum, hostili manu inflicta; quò pertingere tamen gentilis, quantumcunque sagax aliàs, solertia vix potuit: hâc valere, ejusque mederi malis, quàm *cum Socrate, aut, uxore Augusti, Livia, inoffensâ semper valetudine vivere*, in tantum præstat, quantò anima ipsa corpore est præstantior ac nobilior. Estque in hoc admiranda prorsus, & singularis DEI bonitas, quod, cum ipse nec spiritualis hujus medicationis partes, curamque detrectet, totam in sanctissimis Filii vulneribus, eorundemque quasi narthecio quodam pretiosissimo, verbo salutis, fide libando, consistentem, etiam per adversa temporum, calamitatesque innumeras, cœlestem hanc in suis medicinam efficaciter juvet. Scilicet, ut *Phalereus* olim, Plinio memorante, *vomicæ medicinam in acie ab hoste invenit*: sic ille acerba dierum, casusque vitæ tristes, & omnem sortis, non raro novercantis, hostilitatem, in salutaria pro animabus nostris pharmaca convertit. Ut cætera sileamus, quam graves illæ videntur nobis, quas cum, carnificibus corporum, morbis subire toties adigimur, conflictationes! Et tamen quid aliud hos, quàm præsentaneam spiritus infirmi medelam, quam fidei, humilitatis, spei, amoris, patientiæ scholam, quibus tanquam scalis, aut vehiculis, altiùs usque ad DEUM ascendimus, dicemus? Nimirum & *Ambrosius virtutum omnium officinam morbum* appellat: & *Gregorii Nazianzeni* maximè congruum huc effatum est: *Anima morbo affecta, DEO propinqua.* Itaque velut molossi quidam, sunt morbi, quos animæ immittit venator DEUS, ut, *cervorum* more, tantò concitatiùs *ad suæ fontem gratiæ decurrat*; sunt jaculorum instar, quibus nos servos suos, ut cervos item sagittarii, configit; ut, quemadmodum hi *dictamnum quærunt*; *aut, canum præsertim vi urgente*, Plinio iterum teste, *ultrò ad hominem confugiunt*, sic nos ad ipsum, Davidicorum clamorum æmuli, ardentes & sitibundi anhelemus & confugiamus. Specimen istius rei non inevidens nuperis quoque diebus *Matrona Præ-Nobilis, & sexum pariter, ac demum suam decentibus undecunq; encomiis perornata*, DN.a DOROTHEA, *ex nuptiis* BERCHTOLDIA, *per natales autem ex Præclarissima Generosorum à* Blanckenfeld *Familia oriunda*, exhibuit, cui, post diuturni sanè decubitum temporis, mœstissimas hodiè exequias, *Mæstissimus Ejusdem Maritus, Vir Generosus & Nobilissimus* DN. LUDOVICUS BERCHTOLDUS, *Illustris, quod inter nos celebratissimum est, Collegii Ephorus Gravissimus, &c.* solenniter parat. Illa enim prout pietate, sanctisque à prima infantia, studiis & ardoribus ad DEUM suum aspiraverat usque: sic iisdem quoq;, cœlo devotis, desideriis, annisibusq;, ac suspiriis, ad ultimum vitæ exodium, per tot nuper imbecillitatum, & dolorum, tenaces, diutinosque assultus, pientissima perseveravit.

[illegible]

Stemmatis illa sui ortum inde ab *Atavo, Italicæ tum Nobilitatis Viro*, DN. WILH. à Blanckenfeld, qui primus, una cum fratre suo, ex Italia progressus, *Augustissimi Imperatoris* FRIDERICI III. indultu, nomen matriculæ Nobilium Germanorum inseruit, hoc ordine deducit. *Patrem* nempe habet *Nobilissimum, maximeque Strenuum* DN. WILHELMUM *à* Blanckenfeld/ *in* Panckhaw/ Weissensee/ *&* Köpping *Hæreditarium*; *Matrem* autem *Nobilissimam* item DN. ANNAM *à* Blanckenfeld/ *natam à* Thiering: *Avum* porro *Generosum & Nobilissimum*, DN. JOHANNEM *à* Blanckenfeld/ *in* Panckhaw/ Weissensee/ *&* Köpping *Hæreditarium, eumque simul Electoralem Brandenburgicum Consiliarium, & rei Culinariæ Præfectum Supremum*: *Proavum* denique, *Abavumque, Viros Generosos Strenuosque*, DN. WILHELMUM, *&* DN. THOMAM, *utrumque in* Blanckenfeld *&* Weissensee; *& istum præterea Consiliarium Elect. Brand.* *Hunc* autem *prole numerosa*, liberis nempe XXIII. è duabus Uxoribus, alterâ à Bucheim/ altera à Klötzing/ attestante hoc ipsum Berolinensis Monasterii Epitaphio, susceptis, præ primis *memorabilem*; quos inter liberos, natu maximus, JOHANNES à Blanckenfeld/ Doctorali Insula insignis, per Consiliorum Imperatoriorum, Electoralium, Principaliumque confertos Honores, atque Ordinariam Academiæ Francofurtensis Professuram, ad Episcopatum Lebusiensem, atque Archiepiscopatum demum Rigensem ascendere meruit. Ab his itaque Parentibus, Majoribusque vitæ originem A. 1607. die 2. Julii, in Hæreditaria Avorum sede Köpping/ Marchiæ Brandenburgensis, nacta, post sacri Baptismatis initiationem, cùm in fide vera, & pietatis infucatæ studiis, tum in aliis, suæ prosapiæ congruis, Virginearum virtutum exercitamentis, ad Parentalis ductum industriæ, examussim eousq; adolevit, dum A. 1628. à *Patre Nobilissimo*, inter cæteros quosdam Consanguineos, urgentibus non Martis tantum horridi injuriis, sed luis quoque contagiosæ diro impetu, Anspacum missa, Gynæceo SERENISSIMÆ MARCHIONISSÆ BRANDENBURGICÆ SOPHIÆ, &c. &c. Aulico jungeretur. Cui ad annum usque 1642. non indecora cohabitatrix sociata, morum decipum indultu, de consilio Cognatorum, superstitem nunc *Viduum Amplissimum*, eò flexit, ut, exambitam Principum indultu, de consilio Cognatorum, ejusdem anni 4. Sept. solenniter domum duceret. Quam tristi ab Hoc, atque modis omnibus dolendo discidio, post tot annorum placidissima consortia, divellatur; quæ & prolis quinæ, filiorum nempe duorum, trium autem filiarum, quanquam filiorum solum adhuc superstitum, fœcunditas beavit, haud difficulter fidei conjugalis æstimatoribus sinceris constabit; tantoque dilucidiùs constabit, quanto illustriora religionis in DEUM, amoris in Maritum, in sobolem fidei, in domum dexteritatis, humanitatis ac beneficentiæ in omnes, ægrotos præsertim, argumenta edidit vulgo; famæ hinc perseverantioris calculum albicantem testimoniis latè patentibus adepta. Unde quidem nec obscura etiam gratiæ erga se divinæ indicia, per invaletudinis præsertim novissima difficillimas ærumnas, tot passim supremè miserandis accessionibus auctas, sensit, quando, cervorum instar,

Cum tergo volucres hæsere sagittæ,

quotiescunque, quod creberrimè factitabat, ad scatebras consolationis supernæ suspiraret, revera Altissimi *virtutem sua in infirmitate perfici* vidit: utque in Soliloquiis Augustinus precatur, *ex aquis divinæ misericordiæ sitim suam satiavit*; postridie tandem Calendarum mensis hujus, animâ, *cælestis* porro *voluptatis torrente potanda*, placidissimè suo Sospitatori transmissâ. Quin, id recogitans, HONORATISS. DN. VIDUUS, inclytæ domus orbitatem, resignatâ in obsequium divinum voluntate suâ, decenter sit solaturus, nulli dubitamus. Vos autem, CIVES, ut Mæcenati Vestro solenni exequiarum, circa 2. pom. ex ædibus Illustris Collegii, itione dolorem levetis, dum hortamur: recordari simul *rectam* illam *in cælum viam*, à Theodoro Archiepiscopo Coloniensi, Imp.[i] Sigismundo monstratam, jubemus; *ita* nimirum *si instituerítis vitam, ut facturos olim promittitis, calculo forte, aut podagra, aut alio morbo oppressi.* Valete. P. P. sub Academiæ sigillo, Id. Novembr. A. MDCLX.

TUBINGÆ, TYPIS THEODORICI WERLINI.

Annos CONJUGIBUS longævos Cornua Cervi,
Læto portendunt ominis augurio.
Et MOMPELGARDÆ gemino curvamine Pisces,
Fœcundi ſunto Symbola amica thori.
Ac Venatoris Cornu, cui Crista coruſcans
Inſita, habet famæ lati-volantis anum.
Virgo cui nectit duplicatus brachia Delphin,
Semper-florentis ſit ſtatua alta ſtatus.
Et vigil ille Canis, maculis cui colla renident,
Numinis aſſiduè ſtat vigilantis opus.
At TECCÆ inſecti certo diſcrimine Panes,
Sint ubertatis Signa benigna Soli.
Vexillum Imperij, cui additus Armiger Ales,
Non belli, Pacis ſed monumenta fient.
Ipſa CORONA rigens auro gemmisque ſuperba,
Scuti Orbem circum-ſumma coronis eat.

PARÆNESIS.


Τρεῖς εἰσὶν χάριτες Γεραίρχικοι, Εὐφροσύνη τε
Χειρὸς νυμφοδοτῆρος ἀριστογάμοιο γλυκήση
Παρθένος: Αγλαΐη δὲ περιϊσταμένη πολιτείας:
Ἡ δὲ θάλεια ἐφίσταθαι οἰκοῖσι συνῆγεν.
Αὗται ἐπιθυμοῦσιν ἐν ἤθεσι Τεκτονιδάων,
Ὥστε μὲν ἀμφ' ὑμᾶς παρέχειν δωτῆρας ἐάων;
Σὺ ΠΑΤΕΡ ὡς Μουσῶν θρεπτῆρα πολύκλυτον ἀγνῶν:
Σὺ ΜΗΤΕΡ (μὴ μητρυιή) θρέπτειραν ἔσεσθαι.

Hoc Hepta-Chordo

אֶל אַפִּרְיוֹן נְשִׂיאִים מָרִים :

STROPHE, ad ILLUSTRISS. SPONSAM, Chaldaic.

בִּרְחָא תְּזִילֵי כַלְּתָא
פִּרְחִי אֵיךְ צִפְרָא צִפְרָא :
הֲוִי בִמְדִינְתֵךְ אִמְּתָא
וְלִבְנָתַיִךְ כְּמֵנִיקְתָּא :
יְבַסֵּם שִׁירֵי אֵיךְ מִטְרָא
כְּטַלָּא יִתְקַבֵּל מִלָּא :



ANTISTROPHE, Syriac.

זְלִי בִשְׁלָמָה וְנִירָא
שְׁקוּלִי עֲלָךְ בְּשׁוּפְרָא :
בְּנִי הָא בֵיתָא כְלֵאָה
אֵיכְּכֵן חַכִּימְתָּא דִנְשַׁיָּא :
נִשְׁבְרָה לִבִּי לְקַשִׁישָׁא
וְפוּמִי לִשְׁמֵה קַדִּישָׁא :

EPODON, ad LECTISS. PAR CELSISS. CONJUGUM, Arab.

يكرم لكم الرب سؤالكم
يعطيكم الرب مثل قلبكم
وكل اماليكم يتمم
خلصي واستجب يا رب

V.V.C.C.

Accinit æterna devotione adſcriptus Cliens
M. Balthasar Raith, Th. & Hebr. Ling. Pr. Extr.

TUBINGÆ, Typis deſcribebat Theodoricus Werlin. Typ.

Sibensaitige HARPFF/
Erklungen
Auff den Fürstlichen Heimbführungs-TAG/
Als Der
Durchleüchtig/ Hoch-Gebohrne/ Fürst und Herr/

Herr Eberhardt/

Hertzog zu Württemberg und Teckh/ Grave zu Mümpel-Gardt/
Herr zu Haydenheimb und Ober-Kirch/ rc.
Dero Fürstl. Fr. Gemahlin/
Die auch
Durchleüchtige/ Hoch-Gebohrne/ Fürstin und Fraw/

Fraw MARIAM-DOROTHEAM-SOPHIAM,

Gebohrne Gräfin von Oetingen/ rc. Nach gehaltnem Fürstl. Beylager den 20. Julij/ Anno 1656.
in der Fürstl. Marg-Gräfischen Residentz Anspach/ mit Hochansehlichem Pomp/ und Fürstl. Solennitäten/
in dero Fürstl. Hof-Lager und Haupt-Stadt Stutt-Gardt/ den 2. Augusti,
Anni ejusdem, Erfrewlich einholete.

CELEUSMA.

So öffnet die Thoren und Thüren behende/
Immittels Trompeten unnd Paucken erschallen/
Die grobe Geschütze wie Donner erknallen/
Im EINZUG zu lauterem Frölichem Ende.

Geb GOTT/ daß dieser ZUG im NACHZUG bey sich führe/
Fried/ G'sundheit/ Segens-Jahr/ und ALLES was Fürsten b'hagt;
Daß die Werckzeug der FREWD kein schmertzlichs Leyd berühre/
Warnach die Bitt und Wunsch deß Unterthanen jagt.

INSIGNIA WÜRTEMBERGICA


Emblemate illuminata.



ECHO, ad SERENISSIMUM SPONSUM, Hebr.

כְּעֵת שָׁנָה אֲמָרִים מָרִים
הֲשִׁיבוּ כָּל לְשָׂרִים שָׁרִים :
מִסְפֵּד תַּנִּים שְׁחוֹרִים חוֹרִים
כִּבְנוֹת יַעֲנָה מְרִירִים פּוֹרִים :
כִּי שָׂר מַכֶּה שְׁבָרִים עָרִים
עַל שָׂרָתוֹ : נְעָמִים קָמִים
בְּפַעַם זֹאת אֲבָרִים סָרִים :
פְּתַח שַׂקּוֹ אֱלֹהִים ! אֵלֶם
שִׂמְחַת חָתָן : קְשׁוּרִים שִׁירִים

...ROPHE, ad ILLUSTRISS.




Salomon der weise König/ ist so hoch begabet worden/
Daß Niemand erfunden wurde/ der Ihm gleich/ in allen Orden;
Nicht allein ist Ihm geschenckt so vil Reichthumb/ Ehr und Gut/
Sondern auch was besser ist/ Raht/ Verstand und weiser Muht;
Daß er wol das Volck deß HErren hat mit Frieden können richten/
Vnd wie es das Recht erfordert/ alle strittig Sachen schlichten;
Also daß sein weises Hertz/ aller Munde Lob erlebt/
Vnd in Ehren allezeit hie auff Erden umbher schwebt;
Wann ich dann nun thu beschawen/ solche weitberühmte Gaben/
Wodurch diser weise König in der Welt so hoch erhaben;
Find' ich/ daß der Weißheit zwar Lob mit allem Recht gebühr/
Als die gleich den Kertzen dort leucht/ am hohen Himmel für.
Die nun/ wündsch' ich/ daß der Höchste **Ewrer Gnaden** wolle geben;
Also auch der **Fraw Gemahlin** wündsch' ich Glück und langes Leben.
Glück und Leben ist mein Wundsch/ wird mein wündschen anders wahr:
Dünckt mich/ hab' ich beiderseits gnug gewündscht zum newen Jahr.

Ihro Hochfreyherrlichen Gnaden zu Vnderthönigen Ehren und demühtigster recommendierung seiner wenigsten Person

auffgesetzt von

Martin Löschen/ der Buchtruckerey Ergebenen.



Tübingen/ Gedruckt bey Johann Heinrich Reiß/
Im Jahr 1664.

SALOMONS REICHTHUMB.

Das ist/

Vnderthäniger Heylwünschender

Newen Jahrs-Seegen.

Bey seeligem Eintritt deß nach Christi Geburth 1664. Jahrs.

An den Hochwolgebornen Herrn/

Herrn/ Moritz von und zu Kroneckh/ Freyherrn in Maßburg und Glanegkh ꝛc. Ihro Hochfürstlichen Durchleucht zu Würtemberg hochansehenlichen Raht/ und hochlöblichen Hoffgerichts allhie zu Tübingen/ hochanständigen Præsidenten/ auch Obervogten zu gedachtem Tübingen/ Herrenberg und Sultz ꝛc.

Meinen Gnädigen Herrn;

So auch

An die Hochwolgeborne Fraw

Fraw Mariam Hochwolermeldten Herrn von Kroneckh/ Hertzgeliebtiste Fraw Gemahlin/ geborne Baronissin von Hohenfeld ꝛc.

Meine Gnädige Fraw.

WAs man bey den Alten lieset/ von dem überfluß der Zeiten
Welchen in erspührter fülle Feld und Himmel zubereiten
Hat schon längst die kluge Feder der Poeten ausgetruckt
Und der Nachwelt solche Güther in den Schrifften vor- (geruckt
Gülden nennen sie die Jahre/ glücklich so darinnen leben/
Weil in diesen guldnen Zeiten alles doppelt hat gegeben/
Da die Felder völlig blüen und so hoch gesegnet sein
Da der Weinstock seine Güter überflüssig schencket ein/

Da der Schäffer in den Hürden sicher seine Schaffe heget
Und sich bey der Wollen-Herde schlaffend zu der Ruhe leget/
Da die Freundschafft ewig blühet/ da man sieht mit grosser Lust
Wie Gerechtigkeit mit Friede sich umbschränckt in Armen küst.

Dieser hochbegabten Zeiten (wie Uns die Erfahrung lehret)
Sein auch unser Edlen Länder von dem Himmel selbst gewehret
Weil in stiller Ruh man lebet und des höchsten Seegen spührt
Wan das Feld so überflüssig alle Güther uns gebihrt.

Da der Fürst gleich einem Vatter seine Unterthanen liebet
Und mit Fürstlicher Begierde die Gerechtigkeit verübet
Auch mitleidend sich erweiset wann ein Unglücksfall entsteht
Welcher gleich gescheh es selbsten Ihm so nah zu Hertzen geht.

Da die Freyen-Künste blühen und Apollo seine Zinnen
Mit dem gantzen Musen hauffen der gelehrten Pierinnen
Darff bewohnen unverstöret; da der Hertzog selbsten schützt
Und mit seiner grossen Hülffe alle Sachen unterstützt.

In Abwurff solcher Gunst ist sattsam heut zu sehen/
Indem der Weise Fürst Hochgnädig läßt geschehen
Daß der gelehrten Schaar so sich bey Uns ergäzt
Ein Cantzler als das Haupt durch Ihn werd vor- (gesetzt.
Und zwar ein solcher Mann/ den gantzes Teutschland kennet
Den billich unser Land ein Tugend-muster nennet
Weil durch Geschickligkeit und grosse Wissenschafft
Ein immer wehrend Lob Er selbst jhm hat geschafft
Drumb mußen Grosser Fürst auch billich seyn geprie sen
Von Unsrer Hohen Schul/ als welcher ist erwiesen
Hiedurch ein solches Werck daß deine Lieb erweißt
Und unser Schuldigkeit fort stets verbunden heißt.
Der Himmel welcher wol sicht Unsers Fürsten Treue
Wird ein Vergelter seyn; das alles nach der Reye
Dem Hause Würtemberg höchstglücklich mög ergehn
Und daß das gantze Land mög Seegens schwanger gehn.
Zu Ihm/ o theurer Mann/ muß Ich die Feder richten/
Von dessen grauem Haupt und sämblichen Geschichten
Ein jedes Tugend Kind gar wol erlernen kan/
Wie ungesparter Fleiß belohnet seinen Mann
Euch mein ich der Ihr fast ward satt von Lorbeer Krän tzen
So stätig wie ein Licht auß denen Amptern glänzen
Die Ihr geführet habt darinn Euch niemand gleicht
Euch wird der Zepter heut von Fürsten Hand gereicht.
Der Höchste welcher sich Regenten Schützer nennet/
Und Sie gleich seinem Aug zu hüten selbst bekennet
Wird täglich umb Euch sein; daß Ihr in solchen Stand
In solchem schwehren Ampt erkennet seine Hand.

Tübingen/

Gedruckt bey Johann. Heinrich Reiß/ Anno 1662.

Schuldigste Bedienung

Alß in beysein

Des Durchleuchtigsten Hochgebohrnen Fürsten und Herrn/

HERRN

EBERHARD/

Herzogen zu Würtemberg und Teckh/ Graffen

zu Mümpelgart / Herrn zu Heidenheim / rc.

Unsers Gnädigsten Fürsten und Herrn

Der

HochWolEhrwürdiger und Hochgelehrter Herr

Tobias Wagner / SS. Theol. Doctor und Prof. bißanhero gewesener Decanus Ecclesiæ, und deß Hoch-Fürstl. Stipendii Superattendens,

Zum Hochansehenlichen Cancellario totius Academiæ Tubingensis benennet wurd.

Gewidmet

Von einem dero Magnificenz schuldigstem Knecht.

IN NUPTIAS,

Venerandi & Ornatissimi viri juvenis,

Dn.

M. MELIORIS VOLCII,

DIACONI ECCLESIÆ BOTTWARENSIS MAJORIS: REVERENDI ADMODUM ET PRÆCLARISSIMI VIRI DOMINI MELIORIS VOLCII, Consiliarii Würtembergici prudentissimi, Abbatis & Generalis Superintendentis Maulbronnensis dignissimi, filii, ducentis:

Virginem lectissimam, pietate & pudicitia spectatissimam,

BARBARAM,

VIRI PRÆSTANTISSIMI, PRUDENTIA, SOLERTIA, ET RERUM USU CLARISSIMI Domini Hieremiæ Pregitzeri, Præfecti Gochsheimensis fidelissimi, Fratris & Affinis nostri dilectissimi, filiam.

Felix, quem tangit divini cura timoris,
Huius erit toto SEMEN *in orbe potens.*
Cuius & exemplum DEUS *exhibet hic manifestum,*
Dum duo vos jungit pectora Connubio.

Mira vide, & miranda DEI Miracula, miris
Auspiciis cujus taciti junguntur amores,
Affinis dilecte mihi. Mirabile miro
Contigit hoc ductu: patriæ nam limina nuper

Arctiùs, affini sanguine, plura pia.
Nonne Osiandrorum *gens est benedicta piorum,*
Affinis vobis nunc, ut & ante, piè?
Volciadem *gentem referam quid? Volcius Abbas*
Unus Maulbronnæ mille referre potest.
Hirsaw miratur RUCKERUM *mente probatum,*
Multa virtutum laude, fideq; suum.
Nota Elenheinzorum *multorum clara propago,*
Pro virtute sua, pro pietate sua.
Et benè sunt noti Gernspaci, & ubiq; locorum
FABRICII, *multis Dotibus Ingenii.*
Nec mihi Bartholomæus erit meus hic reticendus
LEDERSCHNEIDERUS *Cognitus arte sua.*
Sed nunc, ut verè possem, nolo addere plura:
Vos DEUS *ex alto tempus in omne beet.*
Vivite felices, Concordi vivite mente,
VOLTZ, PREGISER *videant vos superesse diu.*

Fraternitatis & Faustæ Congratulationis ergò

Johan-Ulricus Pregitzer, S.S. Theol. D. Professor & Pastor Tubingæ.

Mens: quas filiolæ divino munere tædas
Cernimus accensas (inopinaque fata) jugales
Æthereâ de sede locat DEUS Arbiter orbis.

Gratulor hinc ceptos Hymenæos hosce: novoq;
Et sponso, ac sponsæ sint dulcia fœdera sancti
Connubii: ut MELIOR spartam virtutibus ornet:
BARBARA, felici quæ sidere nata, Marito
Officium præstet Cunctos sine murmure ad annos.

Annuat & Christus votis, Thalamum q; secundet,
Comprecor: isque tuos porrò qui dirigat actus,
Conjugis atque tuæ, fœcundi pignora lecti
Tutantis, velit esse diu felices. Inde
Junctam *Osiandriacam* numerosâ prole beatam, &
Volciacam in seros (Pregisero sanguine mixtam
Fabricioque) beet Trinus domum utramque nepotes.

Aff.. e. f

M. Bartholomæus Eyselin, dictus Lederschneider/
Minister patriæ Hyldritzhusanæ.

TUBINGÆ, ANNO M.DCXXI.

93

REFERUNT

COMMENSALES.

RUmpe moras: ſpargant caſtæ ſua lumina tedæ,
Concipiantque faces, alma Tubinga, tuæ.

Uxor quippe domum deducitur inclita virgo
Inſigni nato, mellea ſponſa, tuo.

Quem patrio fato Doctorem Alſatia dixit,
Quem patrio fato Suevica virgo beat.

Tuque benigne Deus, benedicto flamine flammas
Conjugii ſanctas, tempora longa fove.

TUBINGÆ, Typis JOHAN. HENRICI REISII.

SOLENNIA NUPTIARUM

VIRO

Nobili & Experientißimo

DN. CAROLO BARDILI, MED. D.

CUM TUBINGÆ

IV. ID. AVGVST. M. DC. LXIV.

UXOR IPSI DUCERETUR

CHRISTIANA

Nobilis Virgo

Singulari virtutum laude, familiaque

KVRRERIANA.

... Wort Euch jemal hat betrübt.
Nun ist die finstre Nacht der Traurigkeit vergangen/
Vnd bricht der frölich Tag herfür nach selbst-Verlangen:
Nicht anderst als das Rund der Welt thut in gemein/
Wann auff den Regen es nachschickt den Sonnenschein.
Dann habt Ihr schon vorhin ein **Helena** verlohren;
Ist ein **Regina** doch von Gott darfür erkohren/
Ein lieblich schöner Nahm/ verdolmetscht Königin/
Die Euer Hertz beherrscht / Euch nimbt die Freyheit hin;
Die Ihr doch gern verliert / ja prangt in denen Banden/
Die Sie geflochten hat mit Ihren lieben Handen.
Wir wünschen vnsers theils / daß diß verliebte Pahr/
Zusamen leben mög vergnüget noch viel Jahr;
Damit Herr Bräutigam noch könne lang regieren/
Mit seiner Königin ein ruhig Leben führen:
Vnd weil die Leibes Frucht das Leben süsser macht/
Wann bald ein junger Sohn den Vatter frisch anlacht/
Bald mit dem Töchterlein die Mutter schertzt und spielet/
Darumb auch unser Wunsch auff diesen Segen zielet;
Damit **Matthias-Stamm** nicht gäntzlich nehme ab/
Noch der **Regina Nahm** ohn Erben komm' ins Grab.

Auß schuldiger Gewogenheit auffgesetzt von zweyen bekandten guten Freunden

J. V. P. P. und J. C. V. E.

Tübingen / gedruckt bey Gregorius Kerner.

Hertzlicher Glückwunsch
Bey
EHELICHER VERLOBUNG
Deß
Wol-Edlen / Vest- und Hochgelehrten
Herrn

MATTHIÆ Hafenreffers/

JCti, Hoch-Fürstl. Durchl. in Würtemberg Wolverordneten Vogts zu Blaubeyren/ ꝛc.
Mit deren
Wol-Edel-Gebornen/ Viel-Ehren- und Tugendreichen
Jungfrauen

ANNA REGINA,

Deß
Wol-Edel-Gebornen und Gestrengen Junckern
Melchior Egloff Stebenhabers Seel. hinderlassenen Ehren-Tochter/
So geschehen
In deß Heil. Röm. Reichs Stadt Memmingen / den 15. Augusti, Anno 1664.

NUn ist es einmal Zeit/ nun könt ihr wol vergessen
Deß Laids/ O werther Freund/ so Euer Hertz besessen;
Seit daß der grimmig Tod es gleichsam hat zertheilt
Durch seine scharffe Sens / nun ist die Wund geheilt.
Es war fürwar bey Euch groß Hertzen Laid entstanden/
Da Ihr erfahren must/ wie daß nicht mehr vorhanden
Die/ wie Ihr eigen Hertz / Euch b'ständig hat geliebt/

Dignam non dicat, nec, puto, Momus erit.
Sic CONJUX, DOCTOR, divini MYSTAque verbi
Jam nunc tergemino fauſtus honore cluet.
Uno tres anno quondam vertente coronas
Divina *(d)* Heroi ſors dedit Auſtriaco:
Sed (res ſic loquitur) totidem diademata noſtro
Unâ SPENERO fata dedere die.
Sic Deus in Sanctis tandem *(e)* ſua dona coronat,
Dùm pactis meritis præmia grata refert.

APOSTROPHE AD DN. D. JOH. CONRADUM DANNHAWERUM,

Theologum noſtri ſeculi de Eccleſiâ longè meritiſſimum.

O Te felicem, cui, DANNHAWERE, laborum hunc
Collegam in ſenio poſſe probare datum!
Collegam, quem non ventoſa ſuperbia vexat,
Collegam, qui non ut typhus alta petit;
Cuique datum, cathedram moriens queis cedere poſſis,
Et tales poſt Te linquere TIMOTHEOS.

(a) Prov. 12. ℣. 4. *Mulier diligens coram eſt viro ſuo.* Syr. 26. ℣. 3. *Pars bona mulier bona, in parte bona timentium Dei, dabitur viro pro factis bonis.*
(b) Sparta arguit vi Relatorum *coronam*, qualis eſt *honeſta promotio.*
(c) Doctores quando creantur, *coronantur.*
(d) *Albertus* is eſt V. Auſtriacus, ejus nominis Imp. Rom. II. qui uno & eod. anno tres coronas adeptus eſt; *Bohemicam, Hungaricam, & Imperialem.*
(e) Sic B. Auguſtinus ſentit; nempe Deum, ſi merita piorum gratiosè penſat, *coronare ſua dona in ſanctis.*

TUBINGÆ, TYPIS GREGORII KERNERI.

POST-PEMPTICUM GRATULATORIUM,

In tergeminam Promotionem

VIRI pl. REVERENDI & PRÆCLARISSIMI,

DN. PHILIPPI JACOBI SPENERI,

Theol. Doctoris, Amici dilectissimi,

Cùm in Inclytâ liberâque S. Rom. Imper. Reipubl. Argentoratensi, Anno Christi 1664. die 25. Junii Numine favente

1. Liber Ecclesiastes
2. Theologiæ Doctor } salutaretur;
3. Maritus

Perscriptum

à

TOBIA WAGNERO D. Ecclesiæ Tubingensis Præposito, Universitatis Cancellario.

DUm PIETAS, VIRTUS, necnon DOCTRINA, coronis
Tres Charites gaudent, quas meruere, tribus,
Queis nam? CONJUGIO Pietas, & MUNERE Virtus,
Doctrina INSIGNI condecorata GRADU,
Quis non tergeminâ hac gaudenti sorte, beato
Quis non tot titulis det bona verba viro?
SPENERUM dico, quo non insignior alter,
Quotquot sunt juvenes, qui studuere, Viri;
Ipsam qui meruit verâ PIETATE (*a*) Rebeccam,
Dum verbis, factis alter Isaacus erat:
Qui (*b*) Spartam obtinuit meritam VIRTUTE probatâ,
Quæ verè egregio non nisi digna viro.

DEr arbeitsame Bauersmann fängt an auf das begrünte Feld
Bey angenehmer Frülings-Zeit sich gleich dem Tage zuverfügen/
Damit er seinen Acker wol abwahrten könne und bepflügen/
Er achtet keinen nassen Schweiß: Wen sich der reiffe Herbst einstelt/
Da Ceres jhre Garben schenckt/ dann tauscht er nicht mit aller Welt
Dafür was jhm die Erde giebt/ das ist sein einziges vergnügen
So jhn der Fleiß nach Wunsch belohnt. Dein wachen will dich auch nicht trügen
Mein Schönberg mein geliebter Freund/ hör' wie dein Glück sich jetzo meldt/
In dem dein Hochgelehrtes Haupt mit allerschönsten Lorbeer-Zweigen
Durch Gunst der Necker-Musen prangt; drumb mag mein Kihl nicht gäntzlich schweigen/
Und thut nur diesen kurtzen Wunsch dem Doctor nächsten Ehrenreiß:
GOtt segne solchen Schönen Berg/ darauf die Tugend-Palmen wachsen!
Dein Schönes Hall ruft jetzo auß der Ruhm deß Edlen Landes Sachsen.
So bringt der Fleiß/ mein Schönberg/ dir/ nur nach dem Schweiß/ erst Ehren-Preiß.

Tübingen/

Gedruckt bey Johann Heinrich Reiß/

Anno Christi 1664.

Dreyfaches Sinn-Bildt

Und

Dessen wolgemeinte Erklärung

Welche

Zu Schuldigen Ehren

Dem

Wol-Ehrwürdigen/ Groß-Achtbahren/ Hoch- und Wolgelehrten Herrn

M. GEORGIUS Schönberg/

Als Derselbe auf hiesiger Weltbekandten Universität Tübingen

Den 25. Aprilis/

Mit sonderbahrem Ruhm die Ehre eines Licentiaten in der Heyl. Schrifft erhalten.

in einem Kling-Gedicht verfassen hat wollen

Moritz Ernst Rappe



... provida honestum,
Et vigili ſemper turpe labore fugit.
Non aliis ullâ novit ratione nocere,
Geſtibus at gratis irradiare ſtudet.
Ceu Diadema omnes, nec non ſplendore coruſco
Fida columna ſuæ eſt lausque decusque domus:
Quàm bene conveniunt in Virgine ſplendida virtus,
Et caſti mores, atque pudicus amor:
Talem dum ducis Sponſam, celeberrime Doctor
Eſtque animus talem jungere nunc Thalamo!
Vir nimis es fœlix! apparet candida virtus
Atque tui patet hinc pectoris integritas:
Vivite fœlices, annosque æquate *Galeni*,
Nec fortuna pios vexet iniqua Lares:
Pax vigeat, binas liget & Concordia mentes,
Exhilarent totam pignora chara domum,
Vive valeque tui Generis Decus Optime Sponſe,
Sponſa Decus Generis vive valeque tui.

Ita Chariſſimo ſuo Domino Cognato applaudit

JOHANN-BURCKHARDUS RÜMELIN, D. & Phyſicus Tubing. Ordin.

Die Jungfer/ daß Er mög viel holder Früchte bauen.

J. H. C.

III.

WJe dort der Muſen Fürſt/ der doch von erſt erfunden
Die Kunſt der Artzeney/ der bittern Schmertzens Wunden/
So jhm der Daphnen Zier in ſeinem Hertzen ſchafft
Sich nicht befreyen mag durch aller Kreüter Krafft/
Alſo Herr Breüttigam: dem ſonſten alle Krancken
Von wegen ſeiner Kunſt/ nicht können ſatſam dancken/
Den greiffet ſelbſten jetzt/ das Liebes Fieber an
Davon Er ſelber ſich nicht mehr erretten kan.
Doch hat er dieſes Glück/ vor jenem/ daß Er findet
Ein Labſal ſeiner Pein/ die Jhm das Hertz entzündet/
Die macht Jhn auch geſund/ wann Ers erkennet nur
Ja recht/ Er ligt bereits/ bey Jhr ſchon in der Cur.

Wolmeinend auffgeſetzt
von
G. B.

TUBINGÆ, Typis JOHAN. HENRICI REISII.

CARMINA VOTIVA

In

Nuptias

Nobilis atq; Præclarissimi

DN. CAROLI BARDILI, MED. DOCTORIS.

Die nono Augusti Anno æræ Christianæ

CIↃ IↃC LXIV.

More solenni Tubingæ celebratas

à

FAUTORIBUS & AMICIS SCRIPTA.

NObile Conjugii decus est & splendida virtus,
Dosq; nitens celebri maxima laude, *Pudor!*
Qui nempe est quovis pulchro pretiosior Auro,
Quod vel Pactoli divitis unda tenet.
Non Erycina micat Dea sic, ut *Virgo Pudica*,
Quantumvis superet Sidera clara Poli:

II.

DIE Jungfrau nimmt jtzt auf ans Himmels Zeiten-Kreiß
Den schönsten Breutigam / der güldnen Sonnen Wagen/
Und läßt von solches Lieb der frohen Welt fürtragen
So manche reiffe Frucht: Herr BARDILI der weiß

CELEBRATAS.

Die IX. Augusti,

ANNO fontis vitæ M. DC. LXIV.

Votivo hoc epithalamio effusus:

HActenus & fratrum implevisti & vota parentum,
CAROLE, Doctoris nuper adepte decus.
Nunc implent horum rursus te vota benigna,
quæ votis primis sunto secunda tuis.
De CHRISTO tua Sponsa suum lætabile nomen
hausit, ut ex isthoc hauriat omne bonum.
Influat ergo animum, thalamum circumfluat hic fons,
cujus gutta omni est grandior Oceano!

A

Fratribus ac Affinibus

Burckhardo Bardili, Utr. Jur. Doct. ac Prof. Tubing.
Davide Scheunemanno, Utr. Jur. Doct. & Prof. Illustr. Colleg. Tubing.
Joh. Conrado Brotbequio, Phil. & Med. Doct. ac Prof. Tubing.
Georgio Conrado Bardili, Phil. ac Med. Doct. Poliatro Nürtingensi.
M. Joachimo Bardili, Pastore in Ober-Riexingen.
Andrea Bardili, Utr. Jur. Doct. & Dicasterii Würtemb. Advocato.

TUBINGÆ, Typis JOHAN. HENRICI REISII.

FONS CONJUGALIS BENEDICTUS

IN NUPTIAS

VIRI

Nobilis & Præclarissimi

DN. CAROLI BARDILI,

MED. D.

cum Virgine

Ob laudatissimas corporis animiq; dotes re ac nomine,

CHRISTIANA Kürrerin/

VIRI

Nobilis, Amplissimi atque Consultissimi

DN. JOH. VVENDELINI Kurrers/

Utr. Jur. Lic. & Syndici quondam Reutlingensis gravissimi

b. m. filiâ perdilectâ,

DN. CAROLO BARDILI,

Tubinga Würtembergico, Fratri atque Affini suo longè Charissimo,

Simulque votivo hoc Epigrammate condecoratum

A

Fratribus ac Affinibus.

CAROLE, qui patrii sis nominis, artis, honoris
 hæres, ter felix jure vocandus eris.
Nunquid enim ARGYROPES almæ, magnique SEBIZI,
 illius es proles, hujus honore nepos?
CAROLE, fac pergas sic nomine, reque patrissans,
 ter felix nobis CAROLE Doctor { ave / ova.

Burckhardo Bardili, Utr. Jur. Doct. ac Prof. Tubing.
Davide Scheunemanno, Utr. Jur. Doct. & Prof. Illustr. Colleg. Tubing.
Joh. Conrado Brotbequio, Phil. & Med. Doct. ac Prof. Tubing.
Georgio Conrado Bardili, Phil. ac Med. Doct. Poliater Nürtingensis.
M. Joachimo Bardili, Pastore in Ober-Riexingen.
Andrea Bardili, Utr. Jur. Doct. & Dicasterij Würtemb. Advocato.

ARGENTINÆ,
Literis WELPERIANIS.

BRABEUM DOCTOREUM

Quod

TUBINGA PLANTANTE,
ARGENTINA RIGANTE,
JEHOVA BENEDICENTE,
Et
BRABEUTAM AGENTE,

VIRO

PRÆNOBILI, EXCELLENTISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO

DN: MELCHIORE SEBIZIO,

Med. Doct. ac Prof. Seniore Famigratissimo, Com. Palat. Cæs. Poliatro Argentinense, & Capituli D. Thomæ Præposito,

COLLATUM

VELUTI ANTE XXXVIII ANNOS b. m. PARENTI

DN. CAROLO BARDILI,

Professori & Archiatro, quondam Würtembergico Celeberrimo:

Ita hodie

VII. JULII ANNO CHRISTI M. DC. LXIV.

Filio hujus natu minimo, ejusdem nominis, artis & honoris, eodem fato & voto, hæredi

ANNO fontis vitæ M. DC. LXIV.

nuptias celebranti

Consecratum ac dicatum:

T*eius* abhinc quatuor vates mihi carmina lustris,
in tua concessit fœdera prima thori. 31. Augusti. 1641.
Theius nunc surgat divino carmine vates,
ille secunda canat pacta secunda thori:
Ter, quater, ac ultra, Domini qui jussa capessis
felix esto, tibi prospera quæq; fluant! (a)
Crescito, ceu viridis victricia germina palmæ!
surgito, celsa petens cedrus in æde DEI! (b)
Gliscito, ceu riguos propter quæ consita rivos
arbor, nulla unquam mitia poma negat! (c)
Fœcundi conjux domui sit palmitis instar!
prole ferax mensam cingat oliva tuam! (d)
Ebrius æthereo thalamus sit rore Sionis!
Rorida te vitæ balsama dulcis alant! (e)

a) Ps. 128. 1. 2. b) Ps. 92. 13. c) Ps. 1. 2. d) Ps. 128. 3. e) Ps. 133. 3. 4.

A

Reverendæ Dign[illegible] Suæ

Deditissimo

JOH. CONRADO BROTBEQUIO, Ph. & Med. D. acr[illegible]

TUBINGÆ, Typis JOHAN. HENRICI REISII

Heptastichon votivum

VIRO

Perquam Reverendo & Excellentißimo

DOMINO

BALTHASARI RAITHIO,

S.S. Theol. Doct. ac Professori Celeberrimo, Ecclesiæ Decano, & Ducalis Stipendii Theologici Superintendenti vigilantissimo, Fautori, Affini atque Compatri suo multis nominibus honoratissimo,

Ad secunda vota secundante DEO transeunti, & cum

Matrona, splendido virtutum Christianarum choro, undiquaq; conspicuâ,

ANNA MARIA,

Viri Spectatißimi

DN. JOHANNIS SCHWEICKERI,

Civis Academici b. m. viduâ relictâ,

Ad diem IX. Augusti

DECANUS ET COLLEGIUM
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ
IN UNIVERSITATE TUBINGENSI,

Lectoribus cum præfatione honoris, Salutem.

QUI SCHOLAS & ACADEMIAS DOCTRINÆ & VIRTUTIS OFFICINAS esse judicant, ijs certè cerebrum, quod dicitur, non est in calcaneo: animadvertunt quippe, nusquam feliciorem ingeniorum proventum, nusquam uberiorem doctrinæ segetem expectandam, quam in feracibus illis Artium & Disciplinarum seminarijs, Scholas puta & Academias, è quibus deliguntur, qui aliquando Ecclesiæ præsint, qui Urbes, qui Provincias, qui Regna administrent. Ibi non formatur corpus, sed animus, & rasæ mentis tabulæ, purioris sapientiæ monita Præceptorum cura inscribuntur. Non desunt quidem & privatæ institutioni sua commoda; quis tamen publicarum Scholarum & Academiarum compendio, inde quicquam detractum aut imminutum credat? quas ipsa Antiquitas olim in pretio habuit, & quæ nunc florentissimas Respublicas nomine suo cohonestant, nomenque pariunt & famam ijs, qui ex publico & illustri Lyceo prodiere. Verùm laborandum hîc est, si usquam, nec alia lege paratur eruditio. Nam & Studia habent suas molestias, ubi strenuè devorandum, quicquid laborum sese hîc offert, & superanda naturæ reluctantis tædia. Quod ut eò alacrius à literaturæ humanioris initiatis fieret, pia Antiquitas, præter alia, etiam certos honorum gradus, tanquam virtutis præmia, bonæ mentis Palæstritis decrevit; quibus non modò laborum tædium abstergere, & liberalium Artium studijs, (quorum radices aliàs satis amaræ,) dulcedinem quandam conciliare; sed & alijs ἀμούσοις, pulveremque Scholasticum fastidientibus, salivam quasi movere, & ad Musarum castra blandè invitare voluit. Hinc factum, ut non saltem gradus isti Academici magni semper fuerint æstimati; Verùm etjam plurimi omnium temporum ingenui, (inter quos aliquando & Illustres fuere personæ,) certatim quasi ad eos capessendos contenderint. Verùm ut aliàs ingenium est seculi, mox fastidire, quod gratissimum ante erat, & non nisi in ipsa inconstantia constans esse: Ita cum prædictis gradibus quoque actum est, quorum tædium, deficiente Virtute, ita paulatim multorum cepit animos, ut jam nescio quid aliud potius, quam Baccalaureus, vel Magister, unus vel alter audire amaret, non aliter ac si isti tituli cum quadam facti infamia essent conjuncti, ita amarescere cœperunt seculi vitio, in ore quorundam, adeò ut quasi inter abrogatos videri possent, nisi essent, qui adhucdum melius de illis sentirent, eosque decenter ambire, honestum judicarent esse & laudabile. Inter hos meritò quoque numeramus infrà nominatos Viginti duos Juvenes præstantissimos & ornatissimos, qui ut singuli honestis Parentibus prognati sunt, ita etiam eorum votis respondere hactenus omni studio laborarunt; & postquam studio literarum ab ijsdem mancipati fuerunt, id operæ dederunt, ut cum pietate, morum quoque & doctrinæ conjungerent elegantiam. Ideoque cùm in Studio Philosophico eos fecissent profectus, ut ad secundam in Philosophia Lauream aspirare confiderent; nuper nomina sua Collegio nostro fuerunt professi, & post institutum cum ijs duplex Examen, digni habiti, quibus honor Magisterij Philosophici publica solennitate, & ritu antiquo, in publicum virtutis ac eruditionis testimonium, conferretur. Huic festivitati dictus est dies Mercurij proximus, qui erit Decimus quintus Augusti, ubi in Aula, quæ vocatur nova, horis post signum datum, nostri Candidati, DEO annuente, publica inauguratione cohonestabuntur. Ad quem Actum condeco-

…randum, omnes omnium Facultatum Professores, Doctores, Studiosos, & omnes qui literas & literatos amant, officiosè & peramanter invitamus. Pro quo officio Candidatis honorifico, nobis verò gratissimo, ubi occasio tulerit, par redhostimentum daturi sumus. Exaratum TUBINGÆ, sub publico Facultatis nostræ Sigillo, XII. Mensis Augusti, Anno Christi, cIↄ Iↄc LV.

NOMINA CANDIDATORUM.

1. MELCHIOR CLOSIUS, Sprottâ-Silesius.
2. JOHANNES GROTHIUS, Mengringhusio-Waldeccus.
3. JODOCUS STURMIUS, TUBINGENSIS.
4. JOHANNES MOCHELIUS, Kircho-Teccensis.
5. FRIDERICUS FABER, Stuttgardianus.
6. DANIEL Albrecht/Memmingensis.
7. ANDREAS CREIDENMANN, Lindaviensis.
8. ANTONIUS d'ATTRIN, Uracensis.
9. FRIDERICUS IACOBUS MÆRCKLIN, Nellingensis.
10. JOHANNES MARTINUS Harsch/ Leinrodensis.
11. JOHANNES IACOBUS Bader/ Feri-Montanus.
12. THOMAS Richter/Graupâ-Bohemus.
13. JOAN-IACOBUS MOCHELIUS, Truchtelfingensis.
14. JOAN-PAULUS Ranzenbach/Kircho-Teccensis.
15. GEORG-CHRISTOPH. SARTORIUS, Salvifontanus.
16. BALTHASARUS Schelling/Stuttgardianus.
17. GOTTOFREDUS Niethammer/Hornbergensis.
18. LEONHARDUS Wißhaag/Biberacensis.
19. JOHANN-MICHAEL Hofmann/ Neopolitanus.
20. IOHANN-BERNHARDUS Beüerlin/Tubingensis.
21. IOHANN-IACOBUS BUBIUS, Feri-Montanus.
22. IOAN-FRIDERICUS Rohrbacher/Brettâ-Palatinus

CELEBRABITUR HIC ACTUS


RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICO:

PLURIMUM REVERENDO ET EXCELLENTISSIMO VIRO,

DN. M. PAULO BIBERSTEIN, Græcæ Linguæ Professore Præclarissimo,

& Illustris Stipendij EPHORO Dexterrimo.

LICENTIAM
impertiente
VIRO Plurimùm REVERENDO,
& AMPLISSIMO,
DN. JOHANNE ULRICO
PREGITZERO,
S.S. Theologiæ Doctore, ejusdemq;
Professore, Ecclesiæ Tubingensis PRÆPOSITO,
& Universitatis CANCELLARIO
Dignissimo.



DECANO
& Honorum
DIRIBITORE,
JOHANNE ULRICO
PREGITZERO,
ETHICES PROFESSORE
Ordinario.

TUBINGÆ, TYPIS THEODORICI WERLINI: ANNO M. DC. LV.

Quod benè & feliciter cedat!

Ex Decreto Incliti Collegii Philoſophici, in perantiqua Univerſitate Tubingenſi.

RECTORE MAGNIFICO.

Viro Nobili & Conſultiſſimo

DN. JOHANNE GRAVIO,

J.V.D. ET ANTECESSORE DEXTERRIMO.

Licentiam impertiente

Viro Plurimum Reverendo & Ampliſſimo,

DN. JOHANNE ULRICO PREGITZERO,

SS. Theologiæ D. ejusdemque Profeſſore, Univerſitatis Cancellario & Eccleſiæ Præpoſito.

DIRIBITORE

JOHANN. ULRICO PREGITZERO,

Moralium Profeſſore ordinario, h. t. Decano.

Virtutis & eruditionis præmium, Laurum in Philosophia secundam reportabunt,
sequentes sex florentissimi Juvenes

JOHANN. JOACHIMUS Angelin/ Nürtingensis.	HIERONYMUS Brunn/ Tubingensis.
JOHANN-JACOBUS Zeller/ Wildbergensis.	JOHANN-JACOBUS Andler/ Calvensis.
GEORGIUS CHRISTOPHORUS Geer/ Bulacensis.	GEORGIUS Binder/ Cuppingensis.

Idque futurum est proximo Mercurii die, qui erit Vigesimus primus Februarii.

Ad quem Actum & Inaugurationem, constituto tempore, in Aula Nova,
ritu Veteri celebrandam,

Omnes Academiæ nostræ Cives, Doctores, Professores, & quicunque literis & literatis favent,
cum debita cujusque honoris præfatione, invitantur amicè, rogantur officiosè,



TUBINGÆ, Typis IOHAN: ALEXANDRI CELLI. ANNO 1655.


DECANUS
ET COLLEGIUM FACULTATIS PHILOSOPHICÆ IN ACADEMIA TUBINGENSI.

LECTORIBUS SALUTEM.

CUM duobus metiri soleamus humanæ mentis perfectionem, VIRTUTE & PRUDENTIA; utraque plus debet exemplo, quàm ulli inter disciplinas cæteras. Qui legerit sapientissimorum Scriptorum observationes, quæ ad Prudentiam & Virtutem retulêre, is multa inde discet; sed plurima intelliget, ubi Magnorum Virorum de istis sermones, discursus, interpretationes coram audit. Est nimirum in eximiis mentibus naturale quoddam, ad mutua commertia desiderium, quod ipso etiam nonnunquam excitatur aspectu, sumitque progressu temporis augmenta, donec imitationis industria velut lumen à lumine accendatur. Hinc præclara Epicuri apud Senecam vox, *quâ Virum aliquem bonum eligendum, & semper ante oculos ponendum monuit*, non modò ut custodem & pædagogum, sed ut Magistrum & Doctorem vivendi. Hoc consilio Academiæ sunt introductæ, & quæ earum rerum sunt officinæ, quibus civitas domi forisque rectè geritur; sunt Virtutis & Prudentiæ magistræ & moderatrices, & in quibus Juventus doctrina & exemplo informatur. Id non nescientes Ornatissimi Literatissimique Juvenes; *IOHAN-IACOBUS LINDE, Böblingensis, Sacræ Theologiæ in Illustri Stipendio Studiosus*; necnon in Philosophia & Humanioribus literis Auditores hactenus nostri industrij; *IOHAN-CAROLUS* Neuscheller/ *Reüttlingensis*; *IOHAN-LUDOVICUS* Dreher/ *Stuttgardianus*; *IOHANN-IACOBUS ROLLER, VVildbergensis*; *MICHAEL* Groß/ *Tubingensis*; *IOHANNES* Stoffel/ *Montbelgardensis*; *LUCAS FALCO, Tubingensis*; *IOHANN-BERNHARDUS BREGENZER, Göppingensis*; *IOHAN-GEORGIUS* Müller/ *Montbelgardensis*; *WOLFFGANGUS MOLSHEIMER, Argentinensis*; *URIAS REICHARDT, Vayhingensis*; Qui omnes propterea sedulò gnaviterque laborarunt, ut in Academiâ non disciplinis modò ad Virtutem grassarentur, sed exemplo quoque informati, plurima in his specimina ediderunt. Cum non ita pridem publicum à nobis suæ doctrinæ Testimonium decenter petiissent; postquam sub incudem Examinis publici & privati revocati fuerunt, dignos eos communi voce judicavimus, quibus MAGISTERII Titulus decerneretur. Actui publico dictus est dies Mercurij proximus, XIX. hujus Mensis, quo spirante porrò Divinâ aurâ, in Aula Nova, Inauguratione solita, more Majorum, Lauru Magistrali, ...

hauriendis disciplinarum fontibus meruêre, condecorabuntur. Omnes autem literarum & literatorum æquos censores rogamus, ut ante meridiem, quando majori campanâ signum turri dabitur, ad contestandum favorem in Philosophiam, & Humaniores literas, nobis frequentes adsint, Actum nostrum suâ præsentiâ ornaturi. Nos vicissim operam dabimus, ut hoc officium Viris bonis & gratis se præstitisse, reipsa comperiantur. P. P. sub Facultatis nostræ Sigillo, die XVI. Mensis Februarij. Anno Christiano cIↃ IↃcLI.

Celebrabitur hic Actus



Rectore Magnifico, eodemque Licentiam dante, DN. JOHANN. ULRICO PREGITZERO, SS. Theolog. Doctore & Professore Celebratissimo, &c.

Decano & Promotore, JOHANNE GEILFUSIO, Professore Philosopho Ordinario.

TUBINGÆ,
TYPIS THEODORICI WERLINI, TYP.
ANNO M. DC. LI.

Lætissima HONORUM Messis

In Qua

Supremo Musarum PRÆSIDE DEO largiter benedicente.

Æquissimo autem MERITORUM Jure constanter flagitante

SUB

REGIMINE AUSPICATISSIMO

SERENISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI,

DNI. EBERHARDI Würtembergiæ Ducis, &c.

DOMINI ET NUTRITII NOSTRI CLEMENTISSIMI.

MAGNIFICO ACADEMIÆ RECTORE,

VIRO

Authoritate, Virtute, Eruditione, Famâq; & Meritis Inclyto,

DNO. WOLFGANG-ADAMO Lauterbach/ U.J.D.& Antecessore longè Præcellentissimo, Serenissimi Würtembergiæ DUCIS CONSILIARIO Gravissimo.

PROCANCELLARIO DIGNISSIMO,

VIRO PERQUAM REVERENDO ET LONGE PRÆCELLENTISSIMO,

DNO. TOBIA WAGNERO, S. S. Theol. Doct. & Professore Famigeratissimo, Ecclesiæ DECANO Spectatissimo, nec non Stipendij Illustris SUPERATTENDENTE Vigilantissimo.

DECANUS

AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

JOHANNES GRAFTIUS, S.S.Theol. Licentiatus, Philosophiæ Primæ ut & Logicæ Professor Ordinarius, Mathematum verò Extra-Ordinarius.

Suffragante COLLEGIO

[illegible]

Eruditione, Morumque Ornamento maximè Conspicuis CANDIDATIS,

UT SUNT:

I. JOHANNES LANGIUS, Cremnicensis Pannonius.
2. ELIAS RUDOLPHUS CAMERARIUS, TUBINGENSIS.
3. JOHANNES BUTZIUS, Ulmâ-Suevus.
4. JOHANNES JACOBUS MEH, VAYHINGENSIS.
5. JOHANNES DETTINGERUS, Kürchô-Teccensis.
6. GEORGIUS BURCKARDUS KNEBELIUS, Schorndorffensis.
7. DAVID HERMANN, Stutgardianus.
8. JOHANNES GEORGIUS BECKHIUS, Ulmâ-Suevus.
9. JACOBUS RICHARDUS, Memmingensis.
10. DAVID GEIGERUS, Ulmâ-Suevus.
11. RUDOLPHUS CASPARUS, TUBINGENSIS.
12. JOHANNES GEORGIUS KAUSLERUS, Waiblingensis.
13. GOTTOFREDUS GRETZIUS, Eslingensis.
14. JOHANN-HEINRICUS OELMAYERUS, Stutgardianus.
15. JOHANN-GEORGIUS HEGELIUS, Auracô-Eningensis.
16. JOHANN-JACOBUS VOCHEZERUS, Tubingensis.
17. JOHANN-PHILIPPUS Schaal/Reütlingensis.
18. JOHANN-HEINRICUS Schlotterbeck/ Tubingensis.
19. ANTONIUS JENISCHIUS, NORIBERGENSIS.
20. JOSUA BECKHIUS, Reütlingensis.
21. JOHAN-CHRISTOPHORUS DENTZELIUS, Murrhardtensis.
22. JOHANNES BANTELIUS, Schorndorffensis.


QVOS MAGISTROS sive DOCTORES PHILOSOPHIÆ creabit.

AD QUEM ACTUM SUA PRÆSENTIA CONDECORANDUM


DOMINOS MECOENATES, AMICOS, ET ACADEMIÆ CIVES

Die XI. Mensis Augusti, Hora Octava

Post signum Campana majori Ecclesiæ datum cum promptissima amoris oblatione, amicè invitat.







TUBINGÆ, TYPIS THEODORICI WERLINI: ANNO cIↃ IↃc LIIX.

DECANUS

ET

COLLEGIUM FACULTATIS PHILOSOPHICÆ ACADEMIÆ TUBINGENSIS

LECT. SAL.

VIvidò Floræ deſerviente Favoniô, per verna, viridarii Academici, plantaria, ſuaviter flante: amore famæ non Martis, ſed Apollinis conflictibus oriundo, cum maximo ſui encomio florentiſſima ardet Juventus. Pectori ejusdem Sapientiâ vernanti, præprimis cum altiſſime infixum hæreat, quòd, ut inclyti bellorum Duces, multo ſanguine aſperſi, diverſis vulnerum ac Cicatricum ſignis deformati, Marte toties ſecundo, illuſtribusque inſignes trophæis, incredibilem ſibi fortitudinis admirationem, apud poſteros conciliarint: Pariter vigili inconcuſſaque laborum fide, animoſo præſertim virtutum agone anheloque muſarum Apollini deſerviente niſu aſtrigeras, æternitati interruptè litantes, majorum aſſequatur laudes, Sapientiæ devinctiſſimus Juvenum Chorus. Nec mirum, cum longe ſupra fortunam, lubricamque rerum emineat ſortem Sapientia, ut propter eam indubie juventus, ſuperum feliciter adſpirante favonio, gratioſis Deorum epulis cum Hercule intereſſe non retardetur. Oblationibus, fœdam epheborum peſtem, Thaidem demulceant alii, ruantque in omne rerum deteſtandarum ſcelus, impuriſſimo inficientes flatu, caſtitatis devotioni addictos. In puritatis tamen Jura Sapientiæ deſponſationi Sacra, compromiſerunt ſanctè quot quot Scientiæ peculium ſemet fore æternum firmiter ſtipulati. Congeſtis rutili æris acervis, malorum plerunque irritamentis lætentur alii. Noſtra, victrice Sapientia eò beatitudinis ducta Juventus, laudes Philoſophorum æquare mirabilisque naturæ pondera ſcrutari gaudet. Id cauſæ eſt, quod Diogenem & Chryſippum Philoſophos ingenio & eruditione præclaros dextre immitandos duxerit. Quod cum Demoſthene in ſubterraneas terræ latebras, ut internis animi ſenſibus tanto alacrius perfrueretur, ſecedere geſtierit. Cum Pompeio Philoſophorum ianuis diſcendi gratia adſtare non erubuerit. Cum Alexandro Magno doctorum Virorum imagines ſecum circumferre & cervicali ſupponere annixa ſit. Cum Seneca partem noctium ſtudiis vendicare, non ſomno vacare & oculos vigilia fatigatos cadentesque in opere detinere allaborarit flos ille virentis ævi. De præſentibus, quos exhibet Academia EBERHARDINA, Philoſophiæ Candidatis, parile fertur judicium, ſcilicet & illi obſcuros domicilii anguſtioris carceres rumpere & in ampliſſimum gloriæ campum non alis Dædali, ſed propriis virtutum meritis gaudent, virtutumque delubrum religioſis animi oculis meritiſſime intuentur. Unde Magiſterii inſignibus eos condecorare non erubuit PHILOSOPHORUM Collegium Ordinem eorundem, ſicut æquitas ita amica coalitio ſuggeſſit, ut bonarum artium Facultate legitime cenſente, hac ſerie proclamandi fuerint MAGISTRI:

1. PHILIPPUS CHRISTOPHORUS VISCHER, Möccmühl.
2. PETRUS SCHERTLIN, Herrenbergenſis.
3. MATTHÆUS ROSCHÜTZ, Nurtingenſis.

11. IMMANUEL GLOCKIUS, Winnendenſis.
12. CHRISTOPHORUS JACOBUS TAFINGERUS, Eßlingenſ.
13. JOHANNES JACOBUS Glaſer/ Vayhingenſis.

4. Johannes Tobias Fischlin, Alpergensis.
5. Johannes Conradus Rückerus, Brisacensis.
6. Benedictus Spindler, Esslingensis.
7. Georgius Ludovicus Vischer, Nürtingensis.
8. Johannes Christophorus Sarwey, Tubingensis.
9. Johannes Conradus Rosler, Sturgardianus.
10. Johannes Martinus Kauffelin, Jesingensis.
14. Paulus Baur, Esslingensis.
15. Johannes Georgius Gross, Vayhingensis.
16. Johannes Georgius Strobel, Göppingensis.
17. Gottlieb Widmann, Bessigheimensis.
18. Johannes Ludovicus Mercklin, Vayhingensis.
19. Johannes Leonhardus Stahl, Esslingensis.

Solenniter celebrabitur hic ACTUS

MAGNIFICO ACADEMIÆ RECTORE,

VIRO

Excellentia Nobilitate Amplitudine fama & meritis Inclyto

DNO. WOLFGANGO ADAMO Lauterbach/ U. J. D.

ejusdemque Professore primario famigeratissimo.

PRO-CANCELLARIO UNIVERSITATIS DIGNISSIMO,

VIRO plurimùm REVERENDO EXCELLENTISS. & AMPLISSIMO,

DN. TOBIA WAGNERO, SS. Theol. Doctore, & Controversiarum Professore Celebratissimo, Eccles. Tubingensis DECANO, & Illustris Stipendi Superattendente Gravissimo.



DECANO & PROMOTORE,

JOHANNE GRAFTIO, SS. Th. D. Philosophiæ primæ ut & Logices Professore Ordinario.

Ad cujus Actus solennitatem die XX MartI, rite celebrandam, omnes cujuscunque generis & dignitatis Academiæ CIVES honorificè invitat Facultas commemorata, certo repromittens fore ut de singulis ejusmodi benevolentiam vicissim sit demeritura.

Typis descripsit Theodoricus Werlin, Anno cIↃ IↃcLXI.

Meritissima Victricis Palmæ Præmia

Æqui rectique Reverentiâ seriò dictitante: suffragante sacro JEHOVÆ *Regimine*
Applaudenteque PHILOSOPHORUM Senatu
Aonio sudantibus in agro, Castalioq; in fonte cupidam levantibus sitim, æquissime acquisita,
In Musarum Acroaterio magno ritu honorum solenni dextre collata
Justissimoque reportata ausu
Sceptra tenente
MAGNIFICO ACADEMIÆ RECTORE
VIRO Nobili, Consultissimo, Excellentissimo & Amplissimo,

DN. JOHANNE GRAVIO, U. J. Doctore
& Sanctionum Canonicarum Professore Celebratissimo.

PRO-CANCELLARIO UNIVERSITATIS NOSTRÆ DIGNISSIMO,
Viro Plurimùm Reverendo, Excellentissimo & Amplissimo,

DN. TOBIA WAGNERO, SS. Theolog. Doctore, & Controversiarum Professore Famigeratissimo, Ecclesiæ Tubing. DECANO Spectatissimo,
& Illustr. Stipendii Superattendente Gravissimo.

DECANO Amplissimæ FACULTATIS *PHILOSOPHICÆ*
ET PROMOTORE,
JOHANNE GRAFTIO, SS. Theolog. D. & Philosophiæ Primæ ut & Logicæ
Professore Publico, Ordinario.

P*Laudite ergò Musæ, Novenis vestris applaudite Gregalibus, quibus præfert claram mens animosa facem, ut cæcas extricare latebras & pulchra semina veri in lucem protrahere ingeniose valeant. Mirifice divina egredere* Calliope, *ipsisque gratulatura egregio pulchram funde pectore vocem.*

castoq; decorata vultu Erato *ad modulandum concitetur carmen.* Euterpe *verò cujus plus aliis fistula dulce canit, dulciloquis calamos plus ultra urgeat flatibus, ne qua tragicos induta* Melpomene *Cothurnos, mœsta tragico proclamatura boatu, turbet Candidatorum lætitias : Sed subito si quid interveniat adversi lætantium animos in tristitiam rapere connitentis, illico in procinctu stent* Polymnia Terpsichoreque, *quarum illa organis nimium suavibus æternum canat melos, hæc Cytharis prædominantibus imperet affectibus. Verbo: Utrinq; dulci cupidas modulamine aures demulceant suaviter, sicq; sonoris refocillent cantibus animos mœstitia pressos. Donec penultimam* Thalia *admotura manum ornatè texat coronas immortalitati famæ Candidatos consecrantes. Tandemque eos ad sidera evehat* Urania, *cujus ductu perquam erudito coram contemplentur sidera, quæ in cœli expanso mirabili exhibentur: quæq; tacito surgunt obvia gradu. Sic inquam plaudite Musæ & Novenis vestris applaudite Gregalibus, iis videlicet, qui* LAUREA *Secunda, sive* MAGISTERIALI *ritu solenni condecorabuntur, quorum Nomina, ut Eruditio sic amica hoc ordine dictitat Coalitio, ut bonarum artium Facultate legitime consente, hâc serie proclamandi fuerint MAGISTRI:*

1. JOHANNES ULRICUS ZELLER, Calvensis.
2. JOHANNES PONNIER, Hericuriâ-Montispeligard.
3. GEORGIUS DAVID MAUCHART, Eslingensis.
4. JOHANNES JACOBUS KOMMEREL, Tubingensis.
5. JOHANNES BURCKHARDUS ERAD, Basileensis.
6. JOHANNES ANDREAS SCHOLL, Tubingensis.
7. JOHANNES CASPARUS SCHWILGE, Ulmensis.
8. CONSTANTINUS SPEIDEL, Böblingensis.
9. JOHANNES LAURENTIUS Schlotterbeck/Tubinganus.

Ad cujus ACTUS solennitatem die ultimo Julii ritè celebrandam, omnes cujusq; generis & dignitatis Cives honorificè invitat FACULTAS commemorata, certo promittens fore, ut de singulis ejusmodi Benevolentiam vicissim demereatur.

L. S.

TUBINGÆ, TYPIS THEODORICI WERLIN, ANNO CIↃ IↃC LXI.

DECANUS
ET COLLEGIUM FACULTATIS PHILOSOPHICÆ IN UNIVERSITATE TUBINGENSI,

Lectoribus Salutem.

Quod alimenta corpori; id Literæ humaniores ſunt ingenio, id virtutes animo: ſine illis eſſe; ſine iſtis & his benè eſſe homini vix licet. Corpus quidem matri ſuæ terræ adhæret, & ultrà haut aſſurgit: Ingenium verò per manus Præceptorum ita formatur, & educatur, ut tam anguſtum dedignans domicilium, ad ſidera evolet, terras perambulet, maria naviget, totum orbem permeet, & ſæpè unius diei vel horæ ſpatio, mirabilia & infinita contempletur: Animus autem virtutis & honeſtatis ſtudioſus, rectè agendo, beatèque vivendo, immortalitati ſuæ quaſi præludat. Hanc dulcedinem, ſpeque & verbis majorem voluptatem magis experiuntur, qui gradatim euntes & ſucceſſivè, non mox à primis literarum elementis, & ſtudiis Philoſophicis vix à limine ſalutatis (ut hodie plerumq; moris eſt,) ad ſuperiores ſe accingunt Facultates, & laboris fugâ, honeſtæque voluptatis odio, per ſaltus quô volunt, intempeſtivè properant, eruditionis ſolidæ jacturam, poſtmodum nulla arte reſarciendam, ipſi ſæpè dolentes. Noſtris quidem infrà ſcriptis Philoſophiæ Candidatis ita ſtudia ſua hactenus tractare, & felicitatem quærere placuit, ut eorum quisque pro naturæ & ingenii viribus operam dederit, ut viâ graſſaretur à Majoribus prudenter ſtrata, à Præceptoribus fideliter monſtrata. Ideoque cum nuper more Academico, ſecundæ Laureæ honores à nobis decenter peterent, duplici examine tales invenimus, quibus eos denegare non voluerimus. Deſtinatus eſt huic ſolennitati proximus dies Mercurii, qui erit XXVIII. Martii, quo accepturi ſunt, DEO benè juvante, & quidem ritu Veteri, quod petiverunt. Hunc itaque Actum, ut præſentia ſua decorare velint, omnes omnium Facultatum Profeſſores, Doctores & Studioſi, officiosè ac peramanter rogamus: noſtros verò Auditores, ut frequentes adeſſe velint, & ad eadem ſe incitari patiantur, ſeriò hortamur, & monemus. Signatum ſub publico Facultatis noſtræ ſigillo XXV. die Menſis Martl. Anno Chriſti, ſuprà Milleſ. Sexcenteſ. Sexageſimo.

Nomina Candidatorum.

1. JOHANNES FRICK, Ulmensis.
2. JOHANN-PETRUS HUBER, Ulmensis.
3. JOHANN-MARTINUS LAIBLIN, Gretzingensis.
4. JOHANNES ZELLER, Calvensis.
5. JOHANN-JACOBUS Bücklin / Ulmensis.
6. PHILIPPUS JACOBUS BURCK, Nürtingensis.
7. GEORG-BERNHARDUS PÆLIN, Gretzingens.
8. SAMUEL ERBIN, Owensis.
9. CASPARUS Schelling / Reutlingensis.
10. COSMANNUS KÖSTLIN, Esslingensis.
11. CHRISTOPHORUS Schließnecker / Uracensis.
12. JOHANN-PHILIPPUS HEÜBER, Nerolinganus.
13. JOHANN-DANIEL SCHÆFER, Heydenheimens.
14. DANIEL SPRENGER, Herrenbergensis.
15. JOHANN-DANIEL HITZLER, Rummelshusanus.
16. LUDOVICUS Reinöhl / Calvensis.
17. STEPHANUS HAINLIN, Reutlingensis.
18. ALBERTUS HÜFFTLIN, Kircho-Teccensis.
19. JOHANNES EYSENBACH, Tubinganus.
20. JOHANN-GEORGIUS Schwartz / Winnendensis.
21. FRIDERICUS KUMMERELL, Giglingensis.
22. JOHANN-GEORGIUS Linck / Neostadiensis.
23. JOHAN GEORGIUS HAMLAILEN, Kircho-Tecc.
24. LUDOVICUS ULRICUS ETTER, Dornstettens.
25. JOHANN-JACOBUS CLOSS, Marpacensis.
26. CHRISTOPHORUS MAYER, Esslingensis.

Peragentur Hæc RECTORE MAGNIFICO,
VIRO NOBILI ET EXCELLENTISSIMO,
DN. SAMUELE HAFENREFFERO, Philosoph. ac Medicinæ Doctore
ac Professore Celeberrimo, Facult. Med. Decano & Seniore Spectatissimo.

PRO-CANCELLARIO UNIVERSITATIS Dignissimo,

VIRO plurimum REVERENDO & Amplissimo,

DN. TOBIA WAGNERO
S.S. Theologiæ Doctore ejusdemque Professore Celebratissimo, Illustris Stipendii Superattendente Gravissimo.



DECANO FACULTATIS Philosophicæ, & Honorum Diribitore,

JOHANNE ULRICO PREGIZERO, Moralium Professore Publico.

TUBINGÆ, Typis Theodorici Werlini, Anno cIↃ IↃc LX.

[illegible]

... TORE MAGNALCO.

... EXCELLENTISSIMO

... Medicinae Doctore

... Celeberrimo ... Speciatim ...

... VIRO ... REVERENDO

VICTORIA WAGNERO

S. S. Theologiae Doctore, Ecclesiaeque

Ecclesiae celeberrimae ... Ministris

... Consultissimo

JOHANNE ULRICO ...

ZERO, Hoc tam ...

[illegible]

TUBINGAE, Typis ... [illegible]

DECANUS
ET COLLEGIUM FACULTATIS
ARTIUM IN ANTIQVA TUBINGENSI,
LECTURIS SAL.

MAgnæ Deorum Matri, quam tot aliàs appellatam nominibus meministis, sua olim MEGALESIA Romani, alios inter Ludos solennes, ipso in veris principio instituebant, obibantque. Non omnem hîc ritum ac originem sacri istius è monumentis veterum evolvere liber, aut per angustiam paginæ licet. Eâ quidem pompâ, inter tibiarum & tympanorum sonitus, circumgestari Deæ simulacrum illâ in festivitate vulgò solebat, ut, quæ cuique esset pretiosior, inque gazis reposita supellex, sive materiâ, sive arte spectanda, in augmentum honoris publici, idolo præferretur: nec nisi in toga & prætexta Magistratus, maximo autem in ornatu cives item universi solenne istud adspectarent. Cæterùm compluribus ex ceremoniis, velutque insignibus, *Magnæ* hujus *Matris* illud saltem annotasse modo allubeat nobis, quod, vehi Deam in curru *à quatuor leonibus*, pagana antiquitas fingeret, talique schemate ejus quoque imaginem effigiaret. Cujus rei causam in Fastis hanc Naso, & his verbis de Diva refert:

- - - - - - - - - Feritas mollita per illam Creditur. id curru testificata suo est.

Quem ergo in finem isthæc præfamur? Nimirum & nos *Solennitatem*, sub verni hunc recursum temporis, pro more denuo *publicam*, eamque, *in diem*, quod secundare ex alto *AEternum Numen* velit! *Mercurii* proximum, non *Cybelæ* quidem, aut *Berecynthiæ*, fictitiæ gentilium Deæ, sed *humanitatis* omnis veræ, vereque *magnæ*, atque unicæ *parenti*, eidemque *feritatis domitrici Optimæ, Maximæ*, PHILOSOPHIÆ, meditantes, alia haud immerito nobis *Megalesia*, communi omnium lætitiâ & applausu comprobanda, ac concelebranda, adornaturi videmur. Cum enim, *numero* jam pridem ultra solitum *magno*, Pubes se hactenus Academica iis Divæ huic nostræ studiis, eâque solertiâ probaverit, ut adspirare ad SUMMUM, quod habet illa, BRABEUM jure queat: ipso hoc GREGORII MAGNI *die*, hunc enim tum Fasti reducent; non *Magnos* quidem *Gregorios*, aut *Constantinos*, aut *Alexandros*, aut *Pompejos*, sed, quod nec suo tamen genere, & si non rem minus, quam titulum spectes, parvum æstimari debet, MAGISTROS PHILOSOPHIÆ, in meritissimum doctrinæ, pietatis, ac virtutis, *pro ipsis* quidem *redhostimentum, pro aliis* autem *incitamentum*, non sine *anniversaria Viri* istius, *in Scholis laudatissimi*, de jure & more Universitatis, *memoriâ*, Eosdem sumus creaturi. Quocunque oculos flectas, *magnum felicitatis omen*, à tempore, à præmio ipso, à munerandorum multitudine, Sacrum hoc sperat. VOS ergo, ut Vestrâ quoque à præsentiâ honorificâ, & quasi suffragiis, adornanda Festivitas *magmentum* capiat, MÆCENATES, PATRES, CIVES ACADEMICI, *favete*, ut consvevistis hactenus, MEGALENSIBUS his iterum *nostris*: & vultu, studiis, votis, uti fas est singulis, benevolentiam tum, omni observantiâ & officiis compensandam, testamini. Sic *multâ* VOS perpetim, *nosque*, undiquaque *salute* ipse MEGISTANUM *è cœlo* MAXIMUS beet, æternumque *mactet!* Tubingæ, P. P. sub Facultatis Sigillo, Dominica LÆTARE, Anno à partu Virginis lætifico, M DC LXII.

CULTISSIMORUM DNN. CANDIDATORUM SERIES.

PRIMA PHILOSOPHIÆ LAUREA,

Institutis nuper Scrutiniis solennibus,

Debita in Artibus Bonis, atque Linguis addiscendis,

Non instrenue Tirocinia deposuerint:

Fas esse duxit

COLLEGIUM in Universitate Patriâ Tubingensi PHILOSOPHICUM,

Desiderio tam æquo, tam laudabili,

Neutiquam Eos defraudare.

Dicata est

HONORUM, quibus ex alto benedicat DEUS! FESTIVITATI,

Loco, Horis solitis peragendæ,

Dicta à Mercurio, Dies XIV. Septembris proxima;

Sustinentibus etiamnum meritò

HONORIFICA ACADEMIÆ MUNIA,

RECTORATUS quidem MAGNIFICI,

Admodùm REVERENDO ac PRAE-CLARISSIMO,

DN. BALTHASARE RAITHIO, Doctore Theologo, ac Professore

LINGUARUM ORIENTALIUM PUBL. STIPENDII ILLUSTRIS EPHORO:

PRO-CANCELLARIATUS autem DIGNISSIMI,

Perquàm REVERENDO ac longè PRAE-CELLENTISSIMO,

DN. TOBIA WAGNERO, SS. Theolog. Doctore, & Controversiarum

PROFESSORE PUBL. ECCLESIÆ DECANO, NEC NON STIPENDII EIUSD. SUPERATTENDENTE.

Qui decerni,

In CASTRIS etiam MUSARUM,

Sua merentibus PRAEMIA rectum ducitis.

CIVES, FAUTORES ACADEMICI,
Singuli convenientibus DIGNITATUM Elogiis
Singulariter ornandi, honorandi,
Adeste : & vultu , votis , devotis , benevolis,
BRABEUM hoc Literarium,
COROLLAM HANC APOLLINAREM PRIMAM,
Secundæ Anteambulatricem,
Faventes, Lubentesq; prosequimini.
Rogat & orat id ipsum
Amplißimæ FACULTATIS Nomine,
Prævijs undecunque meritis Observantiæ, Studiorumque Officiis,
DECANUS ET BRABEUTES,

CHRISTOPHORUS CALDENBACH, ELOQUENT. HISTORIARUM
ac Poëseos Professor Publicus.

NOMINA CANDIDATORUM.

1. IOHANNES SCHIEPP, Balingensis.
2. IOHANNES IOACHIMUS Grückler/ Minsingensis.
3. IACOBUS WAGNER, Balingensis.
4. IOHANNES GEORGIUS Göckler / Göppingensis.
5. Gottlieb OTTO, VVinendensis.
6. IOHANNES WENDELINUS STÆRR, Nürttingensis.
7. PETRUS Längerer / Uracensis.
8. IOHANNES FRIDERICUS Grundler / Tubingensis.
9. MATTHÆUS CURTZ, Blavifontanus.
10. MELCHIOR WAGNER, Vayhingensis.
11. IOHANNES BAUR, Ober-Eßlingensis.
12. GEORGIUS Seybold/ Synadelphingensis.
13. IOHANNES LUDOVICUS Glück / Rummelspaccensis.
14. EBERHARDUS CHRISTOPHORUS WIDMANN, Vayhingensis.
15. IOHANNES GEORGIUS KÜRNER, Nufringensis.
16. IOHANNES HENRICUS Schnirring / Stutgardianus.
17. VITUS PHILIPPUS DEMMELER, Calvensis.
18. GEORGIUS FRIDERICUS Ströhlin / Täfenrothensis.
19. IOHANNES Spring / Kirchô-Teccensis.
20. IOHANNES WILHELMUS Schmid / Stutgardianus.
21. IOHANNES MARTINUS MIESER, Herrenbergensis.
22. IOHANNES CUNRADUS OESTERLIN, VVeinspergensis.
23. IOHANNES LUDOVICUS Wernle / Kirchô-Teccensis.
24. IOHANNES GEORGIUS GNAPPER, Oberriexingensis.
25. IOHANNES Oßwald / Balingensis.
26. DANIEL FELGER, Cantharopolitanus.
27. IOHANNES BERNHARDUS WILDERSIN, Calvensis.





TUBINGÆ, TYPIS THEODORICI WERLINI, ANNO cIɔ Iɔc LIX.

Virtutis Calcar,

Quod

FORTUNANTE DEO

SUB RECTORATU

VIRI NOBILIS ET MAGNIFICI,

DNI. SAMUELIS HAFENREFFERI,

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, ac Professoris celeberrimi,

Facultatis Medicæ h. t. DECANI, ac SENIORIS

spectatissimi;

FACULTAS PHILOSOPHICA, IN HAC UNIVERSITATE TUBINGENSI,

Collatione PRIMÆ LAUREÆ,

Sive BACCALAUREATUS Honorum,

ADOLESCENTIBUS numero XI. infrà scriptis,

Ob profectus in bonis Literis probatos,

Addere

Et ad majora incitare decrevit,

Ad futurum Mercurii diem

RITU VETERI

OPERA

Viri Admodùm Reverendi ac PræClarissimi,

DN. M. CHRISTOPHORI WÖLFFLINI, Professoris

Linguæ Græcæ ordinarii & eximii, Illustrisque Stipendii Magistri

Domus dexterrimi.

Cui ACTUI, ut præsentiam suam commodare, haut graventur,


Quotquot Literas & Literatos amant,

Amicè & officiosè rogant


DECANUS ET COLLEGIUM PHILOSOPHICUM TUBINGENSE.

NOMINA CANDIDATORUM.

I. Georgius Balthaſarus Raith, Tubingenſis.
2. Ericus Weiſmann, Weierburgâ-Auſtrius.
3. Georgius Fridericꝰ Schvveizer, Tubingenſ.
4. Johannes Sæger, Tubingenſis.
5. Johannes Schmid, Biberacenſis.
6. Philippus Melchior Græter, Vayhingenſis.
7. Gotfridus Oſiander, Vayhingenſis.
8. Samuel Raith, Schöckingenſis.
9. Johan-Chriſtophorꝰ Andler, Marpacenſ.
10. Johann-Jacobus Glöckler, Stutgardianꝰ
11. Philippus Jacobus Osvvald, Eltingenſis.







TUBINGÆ, Typis Theodorici Werlini, Anno cIↃ IↃc LX.

DECANUS
ET COLLEGIUM FACULTATIS PHILOSOPHICÆ IN PERANTIQUA UNIVERSITATE TUBINGENSI

LECTORIBUS SALUTEM.

Rabbinorum quotusquisque profunda eruditionis discussit eloquia è libro *Mibch: happen:* procul dubio observasse perhibebitur כל החכמה שלא ידובר בה כמטמן שאין מוציאין ממנו Famæ proin meruisse Columnam *Sapientiæ decus* quis præfractè inficiari audebit? *astris* enim *intulisse caput* gestierunt jam dudum *prisca Sapientum monumenta*. Et *quis terrarum angulus* adeò *obscurus*, quem non *divinioris Sapientiæ* collustrarunt *radii*? *Africani* ultimas siquis *solicitè* perquisierit *maris impetuosissimi extremitates*, *Tertullianum ingenii acumine floridum*, *Cyprianum*, nec non *Arnobium eloquentiæ suavitate claros*, *Athanasium sanctitatis encomio conspicuum*, *Origenem indefessum*, *augustum Augustinum*, aliosque *Præcellentes Sapientiæ Antistites* produxisse ausu gloriabitur modesto, *fertilissimum* illud *Africæ solum*. Tot tantaque *fulgidissima eruditionis* si produxit *lumina* extremitas *Africæ*, quibus non cæteræ fulgidis inclaruerunt *luminibus* partes machinæ hujus universalis? Præsertim *Europam*, *Asiam*, earundemque decantatissimas quisquis fuerit contemplatus plagas, non nisi fulgentissimis *Musarum Luminibus* universum *cœli* firmamentum coruscare deprædicabit. Equidem famæ celebritatem ad *eminentiorem dignitatis gradum* evehi putant *Romani*, dum *bellicis*, *civilibusque* partim *spectaculis*, *ædificiis*, partim *Mausolæis*, *sepulchris*, *statuisque* æternas nominis quæsierunt laudes. Ludos fecisse perhibetur *Augustus millies ducentis & quinquaginta millibus coronatorum*. Universum *ludorum* theatrum *choragiumque*, cum instrumentis Musicis *auro* obduxisse *Neronem* enunciant. Pontem à *Caligula* structum, & ad *tria milliara per maris impetuosissimi procellas* extensum viderunt, *non sine stupore*, *quotquot* maris peregrinationes susceperunt. *Quadringentis & viginti quatuor ad magnificentiam* usque extructis *templis* inclaruit *Roma omnium florentissima*, adeò quidem, ut in solam *Capitolii* in aurationem *septem* impenderit *milliones Domitianus*. Felicissimâ polluit administratione *Romanensis Respublica*, quâ in *bellis* invicti, *artibus* instructissimi deprædicari potuerunt. Unde *Cyneas Pyrrhi legatus*, homo *facundus & intelligens*, cùm frustra sollicitasset *urbem* ad fœdus, *Romanis* non sat dignum regressus suo *Regi*, dixerit: *Urbem*, sibi *templum*, *senatores*, *Reges* videri. Sed certent his *tantâ nominis celebritate Romanenses* cuncti, præripientes tot *magnificis* rerum *factis miraculisque* laudem universis *sub cœlo* populis. In hoc tamen vel minima quædam *oppidula Romanorum splendori antecedere* deprædicantur, quod tot tantisque utriusque *humanæ & divinæ sapientiæ instructissimis* polleant *viris*, instar *luminum* in *cœlo ecclesiastico* coruscantibus. En *Tubiam Matrem* tantorum virorum *fœcundissimam*, quæ ut ante *tot* annorum decursum enixa est *lumina divina* æquè ac *humana*, quæ coruscabant *sapientiâ*, ita pariter & hoc tempore tot *eruditionis* protrudit *surculos*, è quorum numero *præsentes* LAUREÆ PRIMÆ *Candidati*, qui cum *Romanâ* pariter & *Græcâ* literatura, nec non Exercitiis *Eloquentiæ*, arteque differendi acutâ fuissent imbuti, *publicos* merito flagitarunt *honores*. Haut igitur supersedit *Philosophorum* Collegium, quin publicum, non sine solennitate Academica Actum die 14. Sept. indiceret, adque eundem cunctos *Academiæ Proceres*, *Cives*, *Fautores*, Amicos amicissimè, non sine redhostimento mutuæ benevolentiæ, invitaret.

PUBLICUM CONSEQUETUR ORNAMENTUM ACTUS HICCE

MAGNIFICO ACADEMIÆ RECTORE

VIRO

Nobili, *Amplissimo*, *Experientissimo*, *longèq; Præcellentissimo*

DN. GEORGIO BALTHASARE METZGERO, Medicinæ D...

bratissimo, ejusdemque ut & Anatom. Botanicesque Professore meritissimo.

VIRO itemque

Perquam Reverendo, Amplissimo, longèq; Præcellentissimo

DN. TOBIA WAGNERO, SS. Theol. D. meritissimo, ejusdemque & inprimis Controversiarum Professore famigeratissimo, Universitatis Cancellario dignissimo, Ecclesiæ Tubingensis Præposito vigilantissimo.

DECANO ET PROMOTORE

JOHANNE GRAFTIO, SS. Theol. D. P. P.

NOMINA CANDIDATORUM.

Academici.

1. PHILIPPUS SAMUEL KURTZ, Reutlingensis.
2. JOHANN-DANIEL BLOSSIUS, Reichenbachensis.

Bebenhusani.

1. JOHANN-DAVID Lindemayer / Heidenheimensis.
2. JOHANN-WILHELMUS GMELIN, Birensis.
3. JOHANN-JACOBUS Haisch / Tubingensis.
4. JEREMIAS Rebstock / Strumpfelbacensis.
5. JOHANN-CONRADUS Schweitzer / Holtzgerlingensis.
6. JOHANN-JACOB WERN, Schorndorffensis.
7. JOHANNES Spon / Göppingensis.
8. JOHANN-CHRISTOPHORUS WERNER, Schorndorffensis.
9. JOHANNES RUOFF, Kirchô-Teccensis.
10. MATTHÆUS Fischer / Winterbacensis.
11. JOHANN-FRIDERICUS Finger / Kircho-Teccensis.
12. SAMUEL CHRISTELIUS, Eberspacensis.
13. JOHANN-VENDELINUS BULFINGER, Nürtingensis.
14. JOHANN-FRIDERICUS Weidner / Adelbergensis.
15. JOHANN-CHRISTOPHORUS Hölder / Neudlingensis.
16. JOHANN-GEORGIUS Knüttel / Bessigheimensis.
17. GEORGIUS VALENTINUS KEMPTER, Stutgardianus.

Maulbronnenses.

1. JOHANN-JACOBUS STADION, Stutgardianus.
2. JOHANN-FRIDERICUS Krauß / Stutgardianus.
3. JOHANN-MICHAEL HEINTZ, Stutgardianus.
4. JOHANN-CASPARUS RUMPFER, Stutgardianus.
5. JOHANN-WOLFGANGUS Fischer / Augustâ-Vindelicus.
6. JOHANN-MARTINUS SCHWEGLER, Stutgardianus.
7. JOSEPHUS SCHLOTTERBEK, Marpacensis.
8. JACOBUS FRIDERICUS ZELLER, Stutgardianus.
9. JOHANN-ANDREAS VIMPELIUS, Leobergensis.
10. JOHANN-BALTHASARUS BLOSS, Bensheimensis.
11. EBERHARDUS FRIDERICUS JENISCH, Stutgardianus.
12. JOHANN-CHRISTOPHORUS VOLTZIUS, Vayhingensis.
13. JOHANNES Kaiser / Serseimensis.
14. WOLFGANG-THEODORICUS WENDEL, Markgröningensis.
15. JOHANN-JACOBUS LEBERT, Mekmühlensis.
16. JOHANN-ALBERTUS WIDMAN, Marpacensis.
17. JACOBUS FRIDERICUS RUEF, Altburgensis.

Typis JOHANN-HENRICI REISII, Anno cIↄ Iↄc LXIV.

CHRISTOPHORUS CALDENBACH,

ELOQ. PROF.

EJUSDEM IN ACADEMIA TUBINGENSI STUDIOSIS

SAL.

CHoreas funestas, ab Herodiadis filia quondam, pro licitando quasi Divi Baptistæ ac Præcursoris Domini capite, sub ipsam regis Herodis festivitatem genethliacam, applaudente purpuratorum cœtu universo celebratas, anniversaria nuper ejusdem Baptistæ ac Præcursoris per Ecclesiam DEI solennitas in memoriam nobis revocavit. Quo tum elogio saltationes inprimis nostrates ac modernas Vatis in templo sacri facundia notârit, haud enimvero demeministis. Nimirum utcunque genus hoc ceremoniæ, vel oblectamenti, usus aliquid melioris habebat olim: dudum tamen, ex quo sine modo, ac moderatione, citraque adeo decorum exerceri cœpit, vituperia saniorum, sapientiorumque haud incurrit immeritò. Et vero, cum hodie cœtibus promiscuis, in morem fere Saliorum ac Lupercorum veterum, non sine Fescennina undique licentia, à plerisque agitari saltationes soleant: quis non officinas potius ibidem libidinum, aut proludia quædam, vel irritamenta spurcæ, spuriæque Veneris, quam ansam quamcunque exercitationis lepidæ, aut delectationis honestæ, quærat? Adeò non levitatis tantùm indecoræ, sed & luxus, sed & lasciviæ, deliriique, ac dementiæ multum ea res habet conjunctum; prostante nimirum hoc gemino quasi edicto Prætorio:

Nunc est bibendum; nunc pede libero
Pulsanda tellus.

Quod procul dubio princeps jam Oratorum Tullius ævo suo respexit, cum diceret: ***Nemo fere saltat sobrius, nisi fortè insanit: neque in solitudine, neque in convivio moderato, atque honesto. Intempestivi convivij, amœni loci, multarum deliciarum comes est extrema, saltatio.*** Nam qui artem jactantiùs hîc efferunt suam, etiamsi vel Protea Ægyptium, quem saltatorem fuisse eximium perhibent, scenæ varietate superent illi; quid præter vanitatum levicularum speciosa quædam edunt magisteria? nisi, quod de certaminibus olim Dionysiacis Cynicus Diogenes statuebat, ***magna*** potius nonnemo ***stultorum*** ea ***miracula*** appellare malit. Quare priscos illos chorearum Aristarchos reproduci in orchestram haud abs re foret hodie, siquidem modestis illîc, honestisque ingeniis paretur locus. Alterum nunc prodire huc Demadem conduceret, qui regiâ dignitate Philippum, captivos inter saltantem, calamitatemque iis suam petulantiùs exprobrantem, increpet: *Cum, ô rex, fortuna tibi Agamemnonis personam imposuerit, non pudet te factus agere Thersiten?* Redire huc alterum Imperatorem Fridericum prodesset, qui, mollitiem advertens quorundam, Hannibales se alibi, aut Hercules jactantium; in matronarum autem, aut virginum conversatione plusquam Sardanapalos agentium, … *saltationem vero muliebrem*, dixit. Cui Alphonsum jungi exoptes, ***febricitare se malle, quam saltatio-***

deviationem qu[illegible] Scipionem Æmilianum non sine causa [illegible] quæ, cum à more majorum deviet longe, nec [illegible] fere
mi operam dare, affirmantem. Scipionem Æmilianum non sine causa depo... pueri ingenui, virginesque, futili histrioniæ impendunt studium; quæ, cum à more majorum deviet longe, vel effœmi-
naro cynædis, pueri ingenui, virginesque, futili histrioniæ impendunt studium; quæ, cum à more majorum deviet longe, vel effœminaret, quam indolem quamcunque paulo generosiorem enervaret, vel effœmi-

libidinosis affectibus deserviat, scenæ ac theatris linqueretur rectiùs, quam indolem quamcunque paulo generosiorem enervaret, vel effœminaret. Sic, opinor, personarum, sic temporum, & locorum, sic justi denique in ludicro isto undecunque moderaminis cura foret major, quam esse seculo hoc, in vitia cæteroquin nimium quantum prono, consuevit. Ne scilicet, ut Alexandro olim pater Philippus: *Non pudet te, tam bellè canere*, plurimis dici sit opus: Non pudet vos Christianos tam molliter, tam immodestè, prorsusque scandalosè exilire? Sane enim, velut gladiatorum cruenta spectacula in urbem inducturis, Atheniensibus Diogenes id objectabat: *Nolite istam crudelitatem prius admittere in civitatem vestram, quam Misericordiæ aram sitis demoliti*: sicjure meritoq; nostri illi cynæduli ac saltatores audient: Nolite istis prius saltandi moribus incumbere, quam honestatis, quam Christi nomen omne fidemque prorsus ejuraveritis. Sed cum tamen nec olim quidem, nec hodienum etiam, pari stet undique talo SALTATIONUM EXISTIMATIO, ad virgulam quasi censoriam revocare easdem, RHETORICÆ cujusdam EXERCITATIONIS interventu, nonnullis ADOLESCENTIBUS PERPOLITIS est allubitum. Quos inter

CHRISTOPHORUS WAGNERUS, *Eßlingensis*, *Problema de Choreis in medium propositurus, pauca quædam de Saltationum origine, usu, generibusque, & modis ex antiquitate erudita præfabitur.*

JOHANNES MELCHIOR WEINHEIMERUS, *Spirâ-Nemes, improbatum easdem penitus, ab adjuncta vanitate, incommodis, morumque, prout nunc sunt, indubitata pernicie, ibit.*

JOHANNES JACOBUS BECHTLIN, *Marggröningensis, earum dignitatem ab usu & exemplis veterum, à calculo item, & suffragiis sapientum, tum vero ab utilitate insigni, quæ vel in delectatione honesta, vel in agilitate corporis, etiam bellicis conflictibus profutura, vel in morum denique elegantia, aut idoneis ad contrahenda matrimonia occasionibus sita est, convincet.*

JOSEPHUS FABER, *Eßlingensis, denique de Saltationibus, tanquam re indifferenter se habente, statuendum esse censebit; utque probentur, certos quasi sodalitÿ, intentionis, ac modi limites figet.*

Hegesianactem Historicum eo ipso quasi imitabuntur Nostri, qui, cum, tripudiante aliquando non rege tantum Antiocho Magno, sed amicis quoque regis, ad ipsum choreæ ordo pervenisset, assurgens dixit: *Nunquid, ô rex, me male saltantem mavis aspicere, an potius mea quædam scripta bene pronunciantem audire?* Quo id effecit historiarum scriptor ille, ut, cum jussus dixisset, inter amicos & familiares regis cooptaretur. Equidem & Illi bene dicendi potiùs, quam saltandi, studium præ se ferent. Cæterum propositi successum vestræ æquanimitati submittentes, facilem ac lubentem præsentiam *ad* I. *crastini*, me intercedente, à Vobis orant. Tubingæ, Postrid. Cal. Jun. M. DC. LXIII.

L. S. D.

THEODORUS CELLARIUS,

P.P. ET DUCAL. STIPEND. MAG. DOMUS.

EGregia & cordato Viro dignissima oratio, qua sapienter ille ex præcipuis, quos *orbe sub omni*

Ardua septena numerat sapientia fama, monuit: Ultimum Vitæ terminum expectandum esse, antequem nemo mortalium beatus dici debeat, neque tam splendore & potentia, quam Virtutis & sapientiæ magnitudine vitam beatam metiendam esse. Quis enim est aut quotus quisq; mortalium: cui prospera, & æquali semper tenore fluens, stabilisq; fortuna secundo vitæ sine ulla offensione cursu, divinitus adjuncta fuerit? quæ si uspiam fuit, monstrum ea & portentum fuit certissimum, ut recte Bathon ille comicus dixit. Nam & varia est vitæ commutabilisque ratio, & vaga volubilisq; rota, quæ non sinit quenquam hominem sapientem animo nimium efferri, neq; admirari res aliorum secundas aut prosperas: quæ non Virtutis & Ingenii, sed fortunæ & temporum munera sunt: ut non tam facultas & copia, quam in utendo ratio, & in carendo patientia Homini expetenda esse videatur. Quo fit, ut cito omnia ex lætitia & voluptate ad luctum & lachrymas recidant, & in medio spa-

cio sæpe frangantur spes hominum & contentiones, quo minus ad optatum portum pervenire ullo modo queant. Quod si stabilis & certa perpetuaque fortuna alicui concessa divinitus fuerit: quæ permaneat usque ad extremum Vitæ spatium; sine ulla doloris aut mali mixtura: is nimirum solus beatus & fortunatus merito perhibetur, quoniam post mortem nihil ei nocere amplius fortuna potest, quippe quæ sensu omni caret, & à malis hominem abducit, ad bona vero adducit. Quemadmodum enim Athletæ qui stadium currunt, non prius coronam inde reportant, nisi curriculo jam peracto: Ita nemo felix aut beatus dicendus est, nisi prope acta jam ætate, decursaq;, cum frequens sit admodum & subita rerum humanarum vicissitudo atq; commutatio, ut vix ulla sint certa quæ manibus tenemus, multaque inter calicem & suprema labra cadere & intervenire soleant, sicut veteri adagione circumfertur.

Ipsum hoc sapientissimi Solonis effatum Tribus Ornatissimis Adolescentibus ansam dedit perorandi & quidem

I. MATTHÆUS BACCHER Blavifontanus, sententiam Solonis, dum neminem ante obitum beatum dici debere pronunciavit, ut dubiam proponet.

II. JOAN. JACOBUS ZIMMER Herrenb. probabit Solonem septem Græciæ sapientum ultimum & primum non adeo sapienter hoc monuisse.

III. JOANNES KüLBEL KirchoTecc. Verissimam esse Solonis sententiam perorabit.

De Vestra præsentia Lectores Honoratissimi, Tres Adolescentes horâ primâ pomeridianâ Græcè peroraturi non dubitant, quam etiam per me rogant. Tub. XXVI. Sept. M. DC. LXIII.

TUBINGÆ, Typis JOHANN. HENRICI REISII.

CHRISTOPHORUS CALDENBACH, EL. PROF.

Ejusdem in Academia Tubingensi Studiosis Sal.

INter Problemata Physica, quæ & numero multa, & delectu insignia, duabusdequadraginta sectionibus acutissimi indagine ingenii inclusit Philosophorum Phœnix Aristoteles, & illud movet: *Cur sitim minus, quam famem, toleremus.* Pro concesso nimirum id sumit Philosophus, quod vel experientiâ magistrâ, vel sapientum testimonio, asseri haud difficulter potest, *præ fame tormentum majus sitim esse:* atque istius rei causas has subjungit: *vel quia anxia res magis sitis est;* quod ex contraria voluptate, quæ in bibente, quam comedente, major est, colligit; *vel quia calor, quo vivimus, humidum magis, quam siccum, desiderat; vel quia sitis potionis simul, ac cibi, fames autem cibi tantum libido est.* De causarum momentis non dubitabit, credo, cui divinæ perspecta satis acies mentis est. Sed quia tamen & faciliùs supervenire, inopi præsertim, fames potest; cum ex quâvis profluente levamentum sitis admittat: & ad inauditam pene rabiem plerumque homines escæ penuria adegit: haud omnino indignum videbitur, sub contentionem quandam utriusque magnitudinem tormenti revocare. Sane *ultimum suppliciorum humanorum* apud Livium *fames* audit: & *maximum hanc esse hominibus dolorem* Menander olim dixit. Antiphanes autem *famem omnia dulcia reddere, præter se ipsam,*

xati inediâ exercuerunt, provocare lubet, plena iisdem omnis historiæ pagina est. Atque
ut de Roma saltem, quæ ipsa gravissimè per crebras obsidiones excarnificata hoc malo fuit, ex
Hieronymo illud ad Princ. in epist. Marc. allegemus: *Hæret, inquit, vox, & verba singultus intercipit.*
Capitur urbs, quæ totum cepit orbem; imo fame prius perit, quam gladio; & vix pauci, qui caperentur, reperti sunt:
Ad infandos cibos erupit esurientium rabies, & sua invicem membra laniarunt, dum mater non parcit filio, & reci-
pit utero, quem nuper effuderat. Quocirca & Philo l. 1. de vita Moysis, utrumque, *famem* nempe,
& sitim, pari assertione *dominos graves & difficiles* appellat: atque in vaticinio de siti Christi ambo
isthæc Sibylla Erythræa quondam conjunxit, hoc carmine:

- - - - - - - *Et fellis amari*
Apponunt escam, potumque immitis aceti.
Felle fames ejus, sitis illudetur aceto.
Hanc apponet ei gens scilicet hospita mensam.

Ut sit, cur jaci hac super controversia alea possit. Jacient certè *hora pom. I. ab erudita humani-*
tatis cultu Commendabiles Juvenes JOHAN-PHILIPPUS BAUDER, Leomontanus:
& JOHAN-JACOBUS ROTH, Backnangensis, *Patrum Venerandorum æmuli filii:* atque
ita de Oratorio suggestu disceptabunt: Utrum majus altero tormentum sit, Fames, an sitis?
Primum istorum Prior, alterum Posterior defensum ibit. Qui haud indelectari Dissertatione
de *condimento* cæteroquin isthoc *cibi potusque* gemino, quomodo famem sitimque Socrates nun-
cupabat, cupit, adsit pro lubitu; sed *ventrem auribus carentem* ne adferat. Tantillo enim fames
ea constabit. Tub. Non. Maii, M. DC. LXIV.

TUBINGÆ, Typis JOH. HENRICI REISII.

Q. B. V.

Suaviter & acutè pro more

Poetarum nonnemo :

Omnia fert ætas ſecum; aufert omnia ſecum :
Omnia tempus habent; omnia tempus habet;

Eo ipſo vim Temporis geminam elocutus,

Et in largiendis, maturandisque rebus omnibus,
Et in tollendis, commutandisque iisdem,

Conſiſtentem.

Quod utrumque ſi penſites bene,
Non exiguo prudentiæ adminiculo erit.

Nam & Thales Mileſius eam ob cauſam

Tempus ſapientiſſimum

Dixit,

Quod rectè nimirum, & accuratè

Conſideratum, intellectum, uſurpatum,

Summam homini ſapientiam conciliet facile;

Quo uno præcipua indubiè hominis beatitudo continetur.

DE hoc ergo TEMPORE,

Tanquam de theſauro, cujus jactura nulla alia gravior eſt,

Non Phyſicè tamen, aut Mathematicè,

Sed Moraliter potius, ac Historicè accepto,

EXERCITATIONEM RHETORICAM

A meridie hora II. instituent mox compellandi,

In quemvis ingenii cultum decenter proclives

A D O L E S C E N T E S,

Dicturi

I. *DE TEMPORUM VARIETATE AC VICISSITUDINE, cùm in Natura, tum in omni hominum vita conspicua; quod argumentum* JOHANN-JACOBUS Buntz/ Esslingensis, *sibi sumsit explicandum:*

II. *DE EORUNDEM FUGA ET INCONSTANTIA, utrobique item elucescente; quam materiam* HENRICUS ALBERTUS Reinhardt/ Schorndorffensis, *tractabit:*

III. *DE legitimo tandem USU ET COLLOCATIONE TEMPORIS, quæ & in faciendo naviter commisso munere, & in captandâ præprimis optimâ qualibet ad proficiendum occasione consistit; quam spartam* JOHANNES ANDREAS Sprenger / Herrenbergensis, *exornare satagit.*

Ut Peroraturis facile contingat Auditorium,

Oro

CHRISTOPHORUS CALDENBACH, El. P.

TUBINGÆ,

TYPIS REISIANIS, ANNO M. DC, LXIV.

Ill. Non. Mart.

CHRISTOPHORUS CALDENBACH,

ELOQ. P. P.

EJUSDEM IN ACADEMIA TUBINGENSI

Studiosis Sal.

ANgustam Romuli casam quisquis cum augusto populi Romani nomine uno quasi in obtutu habet, maxima ex tenuissimis haud rarò principiis, quæ surgunt, incrementa cogitare eum necesse est. Sed & vanuisse tandem illum, qui mundi oculos feriebat tantopere, gentis splendorem, aut non nisi scintillæ instar, cineribus sepultæ, exiguum micare adhuc, qui recordatur, haud invitô Senecæ consensu adstipulabitur; *Omnia mortalium opera mortalitate damnata sunt; inter peritura vivimus.* Nec errabit, puto, qui tantò celsiori positam olim culmine, *Urbem*, frustrà *Æternam* dictam, opinetur, ut profundiùs rueret. Nimirum fata ipsa, summis invident, cumque vix progredi posse videntur, maturant exitium. Adeò Lucani illud verum:

In se magna ruunt; lætis hunc Numina rebus
Crescendi posuere modum;

verum illud Lucretii, ipsa seculi canitie suspicienda vatis;

Usque adeò res humanas vis abdita quædam
Obterit, & pulchros fasces, sævasque secures
Proculcare, ac ludibrio sibi habere videtur.

Itaque Romam hodie si intres, aut de Capitolino vertice lustrare, *Deorum* illud *opus, curamque*, velis; annon exclames illico, ipsam in medio sui desiderans nempe;

Romæ Roma sepulta jacet?

non suspires, tanto ruinarum cumulo velut attonitus;

Hei mihi quò Latiæ vires, urbisque potestas
Decidit! in qualem paulatim fluximus umbram?

Juvat tamen, juvat, fateor, istis ex parietinis etiam, ac ruderibus, & cadavere quasi lacero, spirantem etiam-
num MAGNITUDINEM PRISCAM, grandeque, quod adorabant gentes, supercilium qualitercunq;
ominari. *Juvat*, & hoc quidem magis, lineamenta tantæ pulchritudinis, ac majestatis, hinc inde in mo-
numentis veterum ducta, sparsim ob oculos ponere sibi; & vel sic, quod inter alia Præsul Hipponensis opta-
bat, ROMAM, *in flore videre*. *Juvat* in his ipsis, quod Pyrrho olim suus legatus renuntiabat, *Urbem*
templum; Senatores regum consessum admirari; quamque verè, *ad constituendum hoc Imperium Virtutem & For-*
titudinem contendisse, florentissimus ejusdem Scriptor Florus asseverarit, considerare. *Juvat* assertorum, sive
Propertiani veritatem explorare;

Omnia Romanæ cedant miracula terræ;
Natura hîc posuit, quicquid ubique fuit;

sive Liviani: *Nulla unquam respublica nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit*. Qui penicillo
etiam ORATIONIS eruditæ ductas lineas illas, dictasque de cathedra, & memoriter quidem, haurire
auribus, volupe habetis: ad audiendum quæso, *die Jovis, hora 1. pomer.* ex loco solito POLITISSIMUM
AC LITERATISSIMUM, *Philosophiæ Candidatum* JUVENEM, JOHANNEM ULRICUM
PREGIZERUM, non uno jam artis, etiam hujus, specimine Vobis notum, confluite, deque præclaro,
& raro admodum ingenii cultu, elucente in Filio, AMPLISSIMO DOMINO PARENTI, Professo-
ri optimè dudum merito, lateque Famigeratissimo, mecum gratulamini. Tubingæ, IV. Id. Januarii, An-
ni à partu Virginis M. DC. LXIV.

Divinæ auſpiciis Clementiæ,

Svadaque cultioris adminiculante Solertiâ,

INSIGNIORES ALIQVOT OMNI EX HISTORIA CÆDES AC LANIENAS,

QVAE

Repentinis ex inſidiis,

Immani cum truculentia,

Uno tempore,

In unius vel ætatis, vel religionis, vel gentis ac nationis, vel Ordinis deniq; homines, pervenerunt,

HERODIANI OCCASIONE INFANTICIDII,

Cujus anniverſariam nuperis diebus memoriam Faſti reduxerunt,

PRÆSTABILES INGENIO, CULTIQVE BONIS LITERIS,

ADOLESCENTES,

Quorum paullò inferiùs NOMINA conſignantur,

DECLAMATIONE PUBLICA,

In Auditorio PHILOSOPHORUM Hyberno, Hora Prima pomerid.

Tractandas ac commemorandas ſibi, & hoc quidem ordine ſumſerunt,

UT

I. *RACHELEM PLORANTEM, ſeu occiſos olim ab Herode bimulos, vel, infra bimatum quotquot eſſent in confiniis Bethlehemiticis infantes,* JOHANNES ULRICUS PREGITZERUS, Tubingenſis;

II. *LANIENAM PARISIENSEM, ſeu H*

II. *LANIENAM PARISIENSEM*, *seu Hugonotorum, quæ cum Parisiis, in Nuptiis Henrici Borbonii, regis Navarræ, & Margaretæ Valesiæ, Divi Bartholomæi die, tum aliis deinde Galliæ in Urbibus ac locis, sub regno, & auspiciis Caroli IX. Galliæ regis, seculo superiori contigit, Occidionem*, JOHANNES JACOBUS KIES, Canstadiensis;

III. *VESPEREM SICULUM*, *sive Gallorum in Sicilia, quos in præsidium Insulæ Carolus Andegavensis imposuerat, factam Anno M CC LXXXII. hora 3. pomer. Feriæ Paschalis Tertiæ, cum ad Vespertinas preces signum daretur, Trucidationem*, JOHANNES MELCHIOR WEINHEIMER, Spirensis;

IV. *ASIAM ROMANIS INTERNECINAM*, *seu Romanorum per Asiam universam, à Mithridate, Ponti rege, Satrapis Urbium primariis, ad diem à literis tricesimum, imperatam Internecionem*, JOHANNES LEONHARDUS BOECKELER, Ulmensis;

V. *TEMPLARIORUM denique EXCIDIUM*, *sive Ordinis hujus à Clemente V. Pontifice Rom. condemnati, cœptam primò in Galliis, sic moliente ac annitente Philippo Pulchro, rege Galliæ, perque cæteras inde terras ac Provincias continuatam, Extirpationem*, JOHANNES CHRISTOPHORUS PRASCHEL, Esslingensis,

Explicet ac edisserat.

Quorum ut

Studia & conatus in hoc egregios

Frequente præsentiâ, atque auscultatione benevolâ,

ELOQUENTIÆ INPRIMIS ADDICTA JUVENTUS LITERARIA

Provehere velit,

Eandem humanissimè invitat

CHRISTOPHORUS CALDENBACH, Eloq. Prof.

TUBINGÆ, Typis Theodorici Werlin, XVII. Cal. Febr. MDCLXII.

CHRISTOPHORUS CALDENBACH,

PROF. EL.

EIUSDEM IN ACADEMIA TUBINGENSI STUDIOSIS SAL.

VT ipsi Principes dignitate DEO, ac felicitate quodammodo propinquiores sunt: sic eorundem domicilia, Aulæ, divinæ vel opulentiæ, vel splendoris ampliorem præ se ferunt sortem, cœlumque ipsum velut beatitudinis zelo quodam æmulantur. Utinam autem & virtutis hîc, quæ inter superos est consummatissima, studia perpetua vigerent! Sed tantum abest, ut, quemadmodum in mare flumina, sic agminibus huc totis scelera omnia confluant. Nuspiam invidiæ, obtrectationis, violentiæ, fraudis, luxuriæ, ac libidinum omnis generis amplior seges aut proventus. Hincque adeò fit, ut, qui in mari comparent, hîc itidem vel maximè deprehendantur turbarum milleformium, ac inquietudinum æstus vel motus. Quotusquisque enim est, cui non mulsum istud, vel mustum aulicæ dulcedinis, quod propinatur initio, in acetum derepente, vel absynthium transeat omnigenæ acerbitatis? Ut, quem gloriæ hortum crediderunt, ac voluptatis, carcerem sentiant tandem, aut exilium, aut

internum ærumnosissimi doloris. Karus adeo est, qui in cultu regum consenescat; nisi consenescat, ut ille, accipiendo injurias, & gratias agendo. Etenim hîc, aut nusquam, lenta beneficia, injuriæ præcipites. VITÆ hujus AULICÆ διασκεψιν quandam ORATORIAM sibi sumpserunt infra scripti ADOLESCENTES, quâ positum in Eloquentiæ studiis affectum testarentur publicè. Itaque

I. Commendatorem se ejus sistet *JOHANNES CONRADUS MEURER, Beßigheimensis.*

Cui contra II. oppositam Vituperationem *CONRADUS MÜHLSCHLÆGEL, Bibracensis*, dicet.

Utrique autem III. quasi arbiter interventurus, *JOHANNES CHRISTOPHORUS JÆGER, Stutgardianus*, Vitæ præcepta Aulicæ dabit.

Meditata hanc in rem hora pomerid. I. proment de cathedra solita. Ut ergo auscultatione lubenti operas Eorum laudabiles adjutum ac promotum veniatis, hâc chartâ desiderii signatrice per me officiosissimè Vos compellant.

XX. MartI, Anno cIↃ IↃc LXII.

TUBINGÆ,
Typis imprimebat Theodoricus Werlin.

CHRISTOPHORUS CALDENBACH, El. PROF.

Ejusdem Studiosis in Academia Tubingensi Salutem.

PLenum miraculis mundum diceres, nisi evilescere ea, ac videri minus talia, assiduitas faceret. Quid non elegantiæ, quid non copiæ, ac varietatis longè maximè concinnæ, is exhibet? Atque ut Argum poscere inibi omnia jure dixeris, vix tamen admirabilius quicquam in eo, ordine occurrit, eoque ex temporum inprimis diversitate, apprimè ubivis commodâ, & unanimi, elucescente. Huic enim vel maximè accepta illa tot rerum pulcherrimarum ubertas ac opulentia, quæ prostat hîc undique, est referenda. *Ecqua tandem vices*, inquit ea de re Philosophorum Phœnix, Aristoteles in lib. de Mundo, *qua vices tam rata esse possunt, quam est exactè comparatus à natura tempestatum anni tenor, in orbem redeuntium? omnium ille quidem rerum fœcunditate praditus; astates deinceps, hyemesque referens temporibus destinatis; simul dies & noctes inoffensis vicibus alternantes: è quibus menses, annusq; conficitur.* Et veteres quidem, pro natura ea temporum annorumq; adumbranda, variis olim rerum simulacris utebantur, quibus modo *serpens, caudam sub guttur attractam occultans, modo principii pariter ac finis expers circulus*, modo *tot usibus fructibusque insignis palma*, aut, *dierum partitor ingeniosus, vultur* hîc deserviebat.

... partes anni quatuor, evidentem imprimis tempera-
tum variationem complexas, ſignificare vellent, *Janum quadrifrontem* informabant, templa quoque ideo ſua ei quadratâ ſpecie erigentes. Quanquam enim quadripartita illa figura filias etiam Jani totidem reſpexerit, quæ patris deſiderio, ab agricolis vino recente dementatis, lapidibus obruti, gulam laqueo fregiſſent: anni tamen qualitates, *Horas* item Latinis Græcisque dictas, iſthac effigie potiſſimùm deſignatas eſſe conſtat. Has ANNI PARTES QVATUOR, ſeu qualitates, totidem infra ſcripti STUDIOSI ADOLESCENTES HUMANISSIMI in materiam modò *Exercitationis Oratoriæ* delegerunt ſibi; & hoc quidem ordine delegerunt, ut

VERIS *elogium* JOHANNES PETRUS Radſpünner/Leoſteinenſis,
ÆSTATIS JOH. MICHAEL Schaller/Neoſtadienſis,
AUTUMNI JOHANNES Beerſtecher/ Cuppingenſis,
HYEMIS CASPARUS Laichinger/Göppingenſis,

dicat. Eam Exercitationem *hora I. pomerid. in Auditorio conſueto* exhibituri, Veſtram meâ voce præſentiam expetunt. Quam iisdem minimè à Vobis denegatum iri, ut ſperem, teſtato toties in hæc ſtudia amore effeciſtis. V. Tubing. 2. April. M DC LXIII.

THEODORUS CELLARIUS,

P. P. & Ducal. Stipend. Magiſter Domus.

L. S.

SEriam ſemper malefactorum animo concipiendam eſſe pœnitudinem, illuſtre & luculentum habemus Exemplum in eo Adoleſcente, quem ſua prodigalitas ignobili facinore orbi nobilem fecit, hic cum poſt Juvenilis inſolentiæ aſperitatem redux ad paterna genua ſupplicaret, in hæc verba animum effudit: Pater peccavi in Cœlum & coram Te, jam non ſum dignus vocari filius tuus. Ecce hic ſupplex fatetur errorem, ad patrios pedes ſe provolvit, malitiam ſuam accuſat, & dolet non mediocriter. Sed quænam principalis ipſi mœrendi cauſa eſt? Nempe, quia Patrem omni amoris obſequio dignum graviſſimè offenderat, cum ab eo turpi ſe divortio ſeparavit, libidinis ſuæ ſecurior, amantiorque quam paternæ gratiæ & ſocietatis. Poterat quidem ſine ullo exordio ita perorare vitiis ſuis perditus, Pater peccavi, peccavi quia Te in devexâ ætate jam grandævum deſtitui, & me ipſum perditum ivi. Aurum omne, quo ſuffartum turgeſcebat marſupium abeunti peregrè male diſperiit & evanuit: ſimulque omnes illi deliciarum apparatus & ſuavi-ludiorum illecebræ, quæ aureo piſcari hamo amat petulantis juventæ laſcivia, in tabernis, in ganeis, in popinis, inter proſedas & nonarias exſpirarunt. Eheu ſucceſſit in locum inopia & triſtis fames & durior fame ſervitus, malæ fortunæ infelix pediſſequa. Ego præclarus ille Conviva, qui nuper ab aucupio ventris mei pependeram, qui ad ſtomachi mei guſtum & ingenio unicè regebar, non tam propitiam fortunam experior, ut ventrem liceat porcorum reliquiis ſaturare. Poſtquam enim rem omnem gula oblimavi & me ipſum cum zona perdidi, redactus ad paſcendi neceſſitatem, ſtabam continuo omnibus Cœli injuriis expoſitus, ſub Dio & Jove frigido, atrum mucidæ Cereris fruſtulum, & quod ſubactam Terram eſſe crederes, inter cupedias & bellaria numeravi; Monile Nobilitatis ſymbolum fecit

funis, qui defluentem ex humero peram mihi paſtoritiam alligavit. Lunulæ patriciæ dignitatis ſymboli vicem lutum fuit, quod in calceis attritis, demum in nudis pedibus per vepreta & teſqua aſpera circumtuli. Verum neglectis his omnibus, quæ vitio ſuo paſſus eſt incommoda peregrinus hoc ingeminat unum, Pater peccavi coram Te, peccavi in Te, peccavi contra Te. Hanc ad dicendum Materiam ſibi elegerunt quidam ADOLESCENTES FLORENTISSIMI, hora I. pomeridiana in Auditorio Philoſophorum AEſtivo, proſopopœiam Filii prodigi Stylo orationis græco adumbraturi:

Et quidem I. JOHANNES JACOBUS BECHTLIN Marckgrôningenſis, *probabit, quod de Artibus & Scientiis ſolemus, idem de virtute pronunciandum eſſe, ſcil. ad eius perfectionem tria oportere concurrere, Naturam Rationem & Aſſuefactionem.*

II. JOHANNES PETRUS RADSPINNER Leoſteinenſis, *Perſonam Filii prodigi, libertatis præpoſterè Studioſi, libidine ſua Famoſi, & abeuntis in exteras oras ſuſtinebit.*

III. JOHANNES MICHAEL SCHALLER Neapolitanus, *delineabit Filium prodigum inter Bacchicos furores, Thaidum complexus, & Paraſitorum greges viventem.*

IV. JOHANNES BEERSTECHER Cuppingenſis, *Filium prodigum non amplius purpureo conſpicuum, ut olim murice, ſed ſciſſili palliaſtro ſemiamictum, ut novum ſetigeri porcorum gregis Dictatorem repræſentabit.*

V. JOHANNES LUDOVICUS HIRSCHMANN Megalô-Botvvarenſis, *Perſonam Patris, filium nuper libidine ſua, nunc reſipiſcentia famoſum, recipientis ſuſtinebit.*

Venite **Lectores Honoratiſſimi** ad dictam horam, & benevole attendite, benevolentiam quavis Occaſione demerebimur. Tubingæ, IV. Junii, Anno cIↄ Iↄc LXIII.

TUBINGAE, Typis JOHAN-HENRICI REISII,

THEODORUS CELLARIUS, P.P. & Illustr. Stipend. Magister Domus.

L. S.

APud Veteres inolevisse consuetudinem, ut Claros ac benè de Republica meritos, non modo adorea condecorarent, sed eos ipsos fastis Divalibus adscriberent, compertum est. Unde facilis tamen fuit in superstitionem lapsus. Meritò huic Veterum superstitioni pristinum Romanorum morem præferimus, qui non sine gravi consilio, neminem laudabili cognomento insignire solebant, nisi meritis insignitè probatum: Illorum scilicet memoriam solenni laudatione prosequebantur, qui ab incursionibus, & devastationibus totas Regiones, totas provincias integras, & tutas conservarunt, qui ut alii sub tecto in tranquillo sine timore, sine tremore suis bonis uti, frui possint, ipsi æstum, frigus, grandines, imbres, famem, labores, pericula, omnes cœli hostiumque injurias constanter pertulerunt. Sic Marcelli, Marii, Syllæ, Luculli, seculi sui more gentium à se devictarum nominibus, sua nomina inscripserunt; Scipio, qui totam Hispaniam ad Herculis usque columnas Romanis subjectam fecit, Africani cognomen accepit. Alii in quibus Virtutum penè omnium quasi quidam concentus exauditus Optimi dicebantur. Aliis à magnitudine rerum gestarum Virtus Magni nomen indidit. Hoc Cognomen promeruit Pompejus, devictis felici Marte Mithridatis filiis, sed id non à Populorum omnium unanimi consensu, sicut Alexander Macedo, à totius posteritatis adplaudente suffragio, reportavit. Verùm cùm

neut Alexander ... nemo omnium Virtutum solido satellitio ita sit stipatus, ut si in illum inquiratur, ... sit non aliqua vitiorum adfinitate adumbratum. Tres itaque hi florentissimi ADOLESCENTES, non abs re se facturos existimarunt, si publicæ exercitationis argumentum ab Alexandro Magno peterent, & quid de admirandis illius successibus, de rerum gestarum magnitudine, de Fortuna huic Principi divinitus adjuncta dici possit, in hac arena Oratoria periclitarentur, Et quidem

I. *ALEXANDER RUDOLPHUS VVOLFHARD, SAXIMONTANUS, Alexandri, Magni illius Principis, Laudes strictiori Orationis stylo perstringet:*

II. *JOHANNES JACOBUS LIST, STUTGARDIANUS, repræsentabit Alexandrum Magnum, non Virtutibus sed Vitijs magnum, magnum Crudelitate, magnum Superbia, Ambitione magnum, Luxu & Ebrietate magnum.*

III. *JOHANNES PHILIPPUS GRÆTER, RHENOFELDANUS, probabit Fortuna Alexandri non solidam & nullo sui vestigio nutantem, sed personatam & bracteatam tantùm fuisse, nec ipsum Alexandrum Elogium habuisse veræ magnitudinis. Vitia tamen ejus non omnino ejusmodi esse, ut non aliquem excusationis favorem mereantur.*

Venite ad horam pomeridianam primam in locum solitum, Lectores honoratissimi, & Adolescentes hos Græcè peroraturos benevolè audite. Tubingæ, die quarto Septembr. Anno Christiano, cIↄ Iↄc LXII.

TUBINGÆ, Typis Theodorici Werlini.

CHRISTOPHORUS CALDENBACH, Prof. El.

Anniversariam sacri, quod instat, Paschatis Solennitatem exoriri feliciter
Eloquentiæ in Academia Tubingensi Studiosis precatur.

CRucem ac vulnera Salvatoris, aram quandam, vel arrham salutis nostræ, omni quidem tempore, jam tamen inprimis de ritu Ecclesiæ, quotquot non halitum modo vitæ, sed & gratiæ quasi spiritum ducimus ab ipso, magni facere, cordiq; infigere altiùs, vel instillare eidem devotâ meditatione debemus; illud Apostoli ardentiùs subinde repetentes: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU CHRISTI.* Quanquam enim ex animis piorum nunquam recedit meritò tanti memoria beneficii; semperq;, & totus, ipsis in corde figitur, qui totus, sed semel, olim pro omnibus fixus fuit in cruce: ipsa tamen societatis religio, publiciq; sanctorum cœtus, nescio quomodo ignem illum gratarum mentium accendunt fortiùs, magisq; in luce ponunt æmulæ studium pietatis. Excitate atq; excutite torporem vestrum, quoscunq; nec meriti magnitudo, nec solennitas temporis, in decentissimæ consortium trahit devotionis. Ut dominium olim sibi, aut regni ampliationem regibus suis acquirerent, spontaneis in se vulneribus nonnulli, Historiâ teste, desævierunt. Quod enim virtute desperabant, callidæ commiserationis tormento exigebant. Non ad membrorum usq; lanienam ardorem nostræ gratitudinis Christus provocat, cujus in sanguine via patefacta est nobis revertendi ad illud, quod in Adamo deperdidimus omnes, cœlorum regnum. Animæ tamen ictu quodam, & compunctione, quam exhibiti semel in redemptionem nostram, cruenti recordatio sacrificii gignit, impensè gaudet; gaudet maximi, quod exolvit pro nobis, pretii pensiculatione crebrâ, eâq; attentâ, & seriâ; gaudet studio ac desideriis, quibus in spem participationis beatæ, inq; patientiæ, ac humilitatis, totq; virtutum sanctissimarum cum ipso vestigia adducimur: atq; ita, quod Apostolus de se laudat, *stigmata & mortificationem Domini JESU in corporibus nostris circumferimus*; vel, ut alibi idem loquitur, *Christus ipse quodammodo in nobis formatur.* Nihil sane fidei præterea, vitæq; non fictæ, non fucatæ, incrementa illustriùs arguit, quàm animo identidem, ac cogitationibus ad sacratissima Domini vulnera recurrere. Dicitur Zenonis auditor quidam, cum patrem, specimen aliquod progressus Philosophici requirentem, diuturno promisso lactasset, in flagra demum patris irati incurrisse; quæ cum animo æquissimo adolescens pertulisset, idem denuo specimen efflagitanti patri, *Hunc vero*, inquit, *è Philosophia fructum reportavi, ut patris iracundi sævitiam sedatè feram.* De profectibus, in schola Christi, suis nemo erubescet facilè, qui, non tolerando quidem flagra, aut plagas ejus, sed recolendo assiduè, ac quasi ruminando easdem, solertem se dabit. Quem verò emolumenti hinc insuper expectatio longè præstantissimi in hoc alacriorem non reddat? Tiberius II. Imp. is, qui à liberalitate in pauperes eximium nomen habet, cum, per palatium aliquando deambulans, tabulam in pavimento marmoream, cruce Christi aureâ insculptam, vidisset; motus religione signi augusti, ne pedibus scil. conculcaretur, quo muniri frontes & pectora solerent, auferri de fossa tabu-

ui item de voluntate Cæsaris amotæ, tertia substrata reperitur. Quæ & ipsa cum mota ac sublata loco esset, ingens ecce vis auri & argenti patet, quasi in præmium venerationis, quâ, cultam tantopere Christianis, crucem benedictam Imperator fuisset prosecutus. Thesaurum nobis quidem, non autem cum pretio suo tandem evanidum, sed constantem, sed perennem, cultus ille, honorq; Crucis sacrosanctæ, Vulnerumq; beatorum pollicetur; thesaurum, quo solari omnem inopiam nostram, implere vota, ac satiare abundantissimè desideria licet. Quæ enim egestas tanta, quam tanti sublimitas meriti non tolleret? Svavissimè aliàs de Servatore nostro suavissimus Ambrosius: *Omnia habemus in Christo, & omnia in nobis Christus. Si à vulnere curari desideras, medicus est, si febribus æstuas, fons est; si gravaris iniquitate, justitia est; si indiges auxilio, virtus est; si mortem times, vita est; si tenebras fugis, lux est; si cœlum desideras, via est; si cibum quæris, alimentum est.* Atqui hæc tanta beneficiorum ubertas, hæc fructuum desideratissimorum mira fœcunditas, omnis à sanguine, à cruce ac morte Domini orta, partaq; inde potissimum est existimanda. Expenderunt id omne devotiùs proximis quoq; diebus, mox compellandi, ADOLESCENTES HUMANISSIMI; qui proinde, pietatem pariter suam, atq; amorem Eloquentiæ testaturi, dicere aliquid de tam singulari, tamq; salutari nostræ Redemptionis opere, in gratiam festivitatis præsentis, & quasi in parasceven sanctam lætissimi Paschatis, publicè meditabantur. Quanquam autem multiplex se inde ad dicendum materia obtulit, maluerunt tamen IN VULNERIBUS potissimùm dilectissimi REDEMTORIS hâc vice occupari, ostendereq;, quæ in his PLENITUDO GRATIÆ, quæ abundantia divinæ benignitatis ac munificentiæ, ad nos, eheu! defectu non uno laborantes, exundet atq; exuberet. Itaq;, *numero* quoq; sanctissimis Vulneribus æquati, *sub quinq;* inprimis rerum *simulachris*, gratiosam eam, quam dixi, ubertatem adumbrandam, & hoc quidem ordine, sumserunt, ut *in Vulneribus istis* pro anima fideli

Lavacrum sive Balneum aptissimum JOHANN-WENDELINUS STÆRR, Nürtingensis,
Asylum tutissimum EBERHARDUS CHRISTOPHORUS WIDMANN, Vayhingensis,
Promptuarium seu penuarium abundantissimum JACOBUS WAGNER, Balingensis,
Pharmacopolium instructissimum GOTTLIEB OTTO, Winnendensis,
Gazophylacium opulentissimum, JOHANN-JACOBUS GLOECKLER, Stutgardianus,

contineri dicat. Inter Canarias insula est, miram quandam arborem generans, cujus verticem nubes perpetua obumbrare fertur; unde humor rorulentus destillat, primoq; foliis adhærens, in guttas deinde colliquatur, vasis suppositis, ac canalibus, & tantâ quidem copiâ excipiendas, ut homines inde ac pecora, ipsæq; feræ aquarum proventu sufficientissimo gaudeant. Non addo, quæ de palmæ, aliarumq; arborum admirabili utilitate, ac commodis, esu, potuq; & usu rerum omnigeno incolis deservientium, Naturæ consulti scribunt. Ejusmodi sane, imo majorem modis infinitis, usuum millecuplorum redundantiam, in omne genus infirmitatum atque indigentiæ nostræ, ut Cruci Christi, sanctissimisq; *Vulneribus*, acceptam feramus, æquitas ipsa poscit. Quin ergo ad scatebras has salutis inexhaustas, ad gratiarum hunc cœlestium oceanum, ad abyssum felicitatis perfectæ, læti accurrimus; quin *Vulnera* ea, *medelam* omnis inopiæ nostram, suspicimus, veneramur mentisq; affectu omni amplectimur, & exosculamur? Tale quid, fortitudinis certè causa, quâ pollebat olim, Cæsaris centurioni Scævæ, mille vulneribus lacero, ac perfosso, etiam hostes sunt testati, cujus, propter unius virtutis admirationem, vulnera disuaviati, armorum fragmina, & sagittas, recenti cadavere eductas, Deorum templis, ceu sacrum aliquid, affixerunt. Vos ipsi, quid Heros ille noster, quid Vindex & Propugnator Æternitatis, jure reposcat à nobis, statuite. Dicturi ad hor. IX. crastini in Auditorio Æstivo audientur. Die Mortis Domini, M. DC. LXI.

CHRISTOPHORUS CALDENBACH,

EL. AC HISTORIARUM PROF. P.

lecturis salutem officiosè dicit.

Peracta nuper *in templis*, Superiorum jussu & authoritate, *pro recuperatâ* maximam partem orbi Christiano *Pace*, SOLENNIA EUCHARISTICA non æmulari *in Scholis*, quacunque liceret, nefas videbatur. Utrinque enim furor Martius æquè nocet; sive foveri, ac quodammodo fundari rerumpublicarum salutem *religione*, sive fœcundari eandem, aut secundari indubitatis incrementis *per bonas literas* cogitemus. Invidet internecino odio non minus *animorum*, quam *animarum*, cultui omni Belli furialis Enyo. Ut ergo nostra feceramus *mutuo dolore* regnorum finitimorum sortem inter arma luctuosam, funestam, lachrymabilem; cum præsertim proximos in parietes facili exitio vicina incendia grassentur: sic novæ tranquillitatis fœdera, instauratæque florem concordiæ, *mutuis* etiam *plausibus*, *votisque*, *ac congratulationibus piis* meritò salutamus, & excipimus. Utinam in Othrysios jam, in Paganos & Barbaros, è Christianismi confiniis omnis illa se, stricta hactenus in fraternos jugulos, infesta acies converteret, *Pacisque Principem*, non nisi vitiis, & hostibus Christiani nominis infensi, decentiori ac constantiori *pacis studio* posthac coleremus! Spei quidem non evanidam omnino facem allucere seculo pacato cœlum mitius videtur. Quam dum magis magisque serenandam fatis commendamus, PACI interea aureæ, dulcissimæ, desideratissimæ, tot modo terris ac provinciis, raro ac peculiari quodam Superûm indultu, redditæ, pro designandis primariis in nos undique redundantibus ab eadem beneficiis, ENCOMIUM SYMBOLICUM, triplici Hieroglyphico, tribusque Oratiunculis concinnatum, Exercitatione Rhetoricâ adornabimus. Eam TRES ADOLE-

SCENTES obibunt, non tam *Eloquentiæ* inde *laureolam*, quam *auream*, *grati*, mentique in-

DEUM tanto pro munere ac dono *affectus*, petituri; cæterùm conceptæ de se expectationi egregiæ non proletariis undecunque operis velificantes. Obibunt autem hac argumentorum serie, ut, cui elogia sua, & pro qua DEO dicent, PACEM

Tegentem & Ornantem in Toga JOH. ULRICUS PREGIZERUS, Tubingensis,

Nutrientem & ditantem in Olea, JOH. LEONHARDUS FABER, Stutgardianus,

Sanctificantem & beantem in Caduceo JOH. JACOBUS KIES, Canstadiensis,

rudi Minerva concelebrent. Quibus ingrata hæc, licet minoribus de subselliis excitata, pietas esse nequit, *Patres*, *Fautores*, *atque Cives Academici*, singuli observanter ac honorificè compellandi, venite, ac mutuæ devotionis calculum adferte ad præconia Pacis, boni non nisi apud inferos detestandi. Dicentur ea, hora, quæ meridiem antevertit, Nona, in Hiberno Philosophorum Auditorio. DEUM interea pacis, ut, quod fecit hactenus, paterna porro indulgentiâ *confortet seras portarum nostrarum*, animitus precamur; usque dum ad cœlestis *Hierosolymæ portas gemmeas*, ad illam æternæ *Pacis* lætam ac beatam *visionem* elevemur. Tubingæ, die VIII. Aug. M. DC. LX.

CHRISTOPHORUS CALDENBACH,

Eloquent. Professor,

EIUSDEM IN ACADEMIA TUBINGENSI STUDIOSIS S. D.

EXtat apud insignem dicendi magistrum, Fabium, elegans Orationis ad artem factæ cum humano corpore comparatio; quando, *Oratio*, inquit, *sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent venæ, nec ossa numerantur: sed temperatus, ac bonus sanguis implet membra, & exsurgit toris, atque ipsos quoq; nervos rubore tegit, & decore commendat.* Nec infrequens hoc ipsum aliis quoque, qui de arte dicendi præcepta tradiderunt, fuisse deprehendimus, ut nimirum Orationem ejusmodi cum corpore aliquo, numeris omnibus absoluto, contenderent. Enimvero subsunt rebus, ita invicem assimilatis, quæ & Fabius ex parte tangit, non obscura utrinque argumenta, quapropter vel inprimis convenire, belleque adeo respondere undecunque sibi sunt existimandæ. Hæc argumenta cum expenderent per elapsum modo anniversarium solenne effusi de cœlo Sacrosancti Spiritus, compellandi mox, ADOLESCENTES HUMANISSIMI; nec difficulter secum in memoriam redirent, idonea & concinna dudum Exercitationum Oratoriarum themata, per apices quasi illos annuarum Festivitatum, tractari de pulpitis Academicis solere: materiam esse sibi publicæ Declamationis hanc ipsam Comparationem voluerunt. Itaque isthoc eam ordine sunt inter se dispertiti, ut

MATTHÆUS CURTZ, Blavifontanus, tempori potissimum se accommodans, historiam de confusis olim per ædificationem Babylonicam linguis, ad miraculum manifestati in linguis dispertitis Spiritus Sancti applicaret, ostensaque ea, quæ utrobique

contigisset, eventuum disparitate, Thema, huic Exercitio delectum, Auditorio significaret & proponeret.

Cui triga superstitum Declamatorum successura, ipsa convenientiæ porro istius ac similitudinis momenta sic excutiet atque explanabit, ut JOHANN-CONRADUS GREIS, *Herrebergensis, sanitati corporis Orationis puritatem, colori autem, quem gratum plerumque & amœnum valentia corpora socium habent, dicendi perspicuitatem opponat;*

JOHANN-HENRICUS SCHNIRRING, *Stutgardianus, cum justa præterea corporis statura, atque, ut sic dicam, succulentia, habitum Orationis eum, qui & ad augustam aliquam magnitudinem decenter exsurgat, & maciem quasi fugiat simul: cum membrorum autem proportione compositionem item periodorum aptam, partiumq; omnium laudabilem velut commensurationem conferat ac componat;*

JOHANN-VVILHELMUS SCHMID, *Stutgardianus, denique corporis agilitati, motibusque, vim eam, quam in concitandis animorum affectibus Oratio habet: & externo tandem corporis cultui, vel amictui, qui nativis istis decoribus primis venustatem gratiamque addit, artis ornamenta, Veneresque, quotquot sunt, respondere probè, ac congruere dicat.*

Hanc igitur BONÆ ORATIONIS IN HUMANO CORPORE effigiem seu IDEAM hâc luce hora Prima pomeridiana in Auditorio Æstivo Oratiunculis Quatuor memoriter recitandis adumbrabunt. Ut cum benevola præsentia & attentione vestra id ipsum fiat, quâ par est, servitiorum promptitudine oblatâ rogant. Tubingæ VIII. Jun. Anni Christiani cIↃ IↃc LXI.

LITERARUM TUBINGENSIUM

PRÆSIDES AC CULTORES,

CLARISSIMOS, SOLERTISSIMOS,

Salvere officiosè ac peramanter jubeo

CHRISTOPHORUS CALDENBACHIUS,

ELOQUENTIÆ P. P.

ANniverſarium Scenæ ſanctiſſimæ ſpectaculum, quo culpas humani generis luiturus, DEI Filius diras atrociſſimas, tormentaque, nec dici, nec comprehendi ſatis apta, ſubiit, infinitâ mox ignominiam gloriâ ſubſequente, ſuis iterum proponit veneranda mater Eccleſia. Religioſiori piam hanc in ſpiritu genitricem affectu qui proſequuntur, liberi nihil tam impensè hoc quidem tempore volunt, percupiunt, quam ſpectaculo tam admirabili ac ſingulari, tam ſalutari & utili intimiori magis magiſque conſideratione luſtrando, oblectari. Habuit ſanè, cur & Codros, Philænos, Curtios, Decioſque olim ſuos gratâ longùm memoriâ gentilis antiquitas proſequeretur. Sed quantillum quæſo eſt, Patriæ, ſuis, ariſque, & focis modicum ſanguinis impendere, quod & debeas jam iiſdem arctiſſimi nexus jure, & nullo ſatis momento ab ultimi periculo diſpendij aſſerere tutum, tibique vendicare poſſis. At infinitum iræ, furoriſque divini pondus geſtare, noxas ſeculorum omnium, debitamque iiſdem æternis ſanctionibus mortis pœnam abrogare, dira Moſis legiferi cornua hebetare, vel retundere, ipſa Erebi clauſtra, portaſque, nulli mortalium, vel cœleſtium poteſtati pervia, perrumpere, atque effringere; Idque non Amicorum gratiâ, aut quibus vel pietatis, vel gratitudinis nomine quicquam debeas: Sed ut, captivatos ſpontaneâ, eâque turpiſſimâ defectione, hoſtes emancipatos ex ergaſtulis ſuis, in æternam libertatem

victoria redeuntis, participes tecum facias: Id verò commemorari grato pectore, id celebrari ore pio, nullisque non sinceræ gratitudinis argumentis, quà licet, compensari, si quicquam, meretur. Fuit hæc causa, quare & *POLITISSIMI JUVENES*, quorum cum argumentis singulis mox Nomina combinabuntur, æternum hoc Redemptoris Æterni beneficium non stylo tantùm, quod laudatissimæ Eorundem, in Praxi Oratoria, industriæ acceptum ferendum, prosequi, sed deprædicare de Cathedra etiam Academica, quod oblectationi pariter, atque exemplo publicè deservire possit, in animum hactenus sibi induxerint. Hinc, cum Declamationi hanc in rem futuræ diem Mercurij proximum, qui erit Septimus Aprilis, ambiissent, quo Die in Phrontisterio Philosophorum Æstivo, circa horam nonam matutinam, hoc ordine, & diversis quidem idiomatis, perorabunt, ut

JOHAN-NICOLAUS SCHEURERUS, Monasteriensis, Vallis S. Gregorl Alsatus, Humilem Christi in Solymas Ingressum sermone Latino celebret:

NICOLAUS KLEINIUS, Colmariensis Alsatus, Ejusdem Acerbissimam Passionem Linguâ Sanctâ extollat:

WILHELMUS WEBERUS, Colmariensis Alsatus, Gloriosæ tandem à mortuis Resurrectionis gaudia Oratione Græcâ deprædicet:

Proinde nomine Eorundem Vos omnes, quicunque Literarum in hâc Almâ cultui præestis, vel colere easdem, Studio indefesso satagitis, officiosissimâ & peramicâ compellatione oratos volumus, ut cohonestare Declamationem hanc Academicam benevolâ præsentiâ, atque attentione, eoque calcar addere ulteriori Laudatissimorum Iuvenum conatui cuicunque pio ac honesto non dedignemini. Erit, ut gratiam hanc & Favorem quâvis observantiâ & Studio demereri nobiscum pro virili allaborent. P. P. Tubingæ, Dominicâ Palmarum, Anni Christiani, supra Millesimnm, Sexcentesimum, Quinquagesimi Octavi.

TUBINGÆ, Theodoricus VVerlin.

CHRISTOPHORUS CALDENBACH, P.P.

ELOQUENTIÆ IN ACADEMIA TUBINGENSI STUDIIS ADDICTÆ,

Juventuti Literariæ,

Solemne Paschatos anniversarium felix faustumque esse jubet.

VErè immensæ, nec unquam satis admirandæ, vel æstimandæ, in nos pietatis argumentum DEI Filius præbuit, cum, cœlo lapsus, in hac mortali carnis pellicula, quam Deitati, modo inenarrabiliter novo, suæ superinduit, delictorum nostrorum culpas exolvit, quarum reatu nullo tenebatur; eo ipso *Redemptor* nobis factus, *& pretium.* Sive enim, quem offenderamus transfugæ impii, Creatorem Dominum respiciamus; sive, cujus in jura, potestatemque, justi edicto supplicii, concesseramus, tyranni sævissimam duritiem Tartarei cogitemus; sive, exoluti denique pro nobis, infiniti magnitudinem pretii pensitare aliqua rationis trutina velimus: omnia hæc excedere nostri non tantum sermonis infantiam, sed & intellectus imbecillitatem longissime comperiemus. Cum, patris olim, inter vincula demortui, corpus ad justa novissima redempturus, Cimon carceri se mancipasset, clarissimos in historia fidei suæ præcones invenit. Sed quantulum hoc ad Æterni de cœlo Sospitatoris nostri meritum! qui ipse, *futuri Pater seculi,* pro filiis se immorigeris, imo pro servis apostatis ac perduellibus, sempiterno jugo emancipandis, assumta servuli forma, vadem ac vindicem, idq; sanctissimi vi sanguinis, interposuit; sanguinis, cujus vel unica guttula mundi pretium omne exsuperat; omne expungere humanitatis obstrictæ nomen sufficientissimè valet. Itaq;, ne factæ solutionis inaudita raritas innotescat minus, id porro pensiculemus. Ipse, ex quo, *ditissimus omnium, depauperari* tantopere, *nostras ob divitias* dignatus est, ut *ne, caput* quidem *quo reclinaret haberet: triginta argenteorum mercede* vendi ad mortem, ad sanguinem, *sine quo nulla* scilicet fieri poterat *redemtio,* à blandissimo proditore sustinuit. Quam mercedem cum definito quondam numero, Messię vicem, vocemq; sustinens, Propheta prospiceret: *Decorum,* scil. admirabundus exclamabat, *quo ab eis sum appretiatus, pretium!* Et hoc tamen expeditis *decies mille talentis,* grandi, quam debebamus, summâ, *chirographum delicti, quod contrarium erat nobis,* Liberator noster *delevit, eq; medio sublatum cruci affixit, expoliatos inde principatus ac potestates confidenter in se ipso, palamque in triumphum traducens.* Tantillo igitur, quod à Pontificibus accepit, pretio Iudas *Christo* quidem *supplicium, nobis* autem *cœlum,* atque, sed utinam vel in hoc non ita delirasset improbus mercator, *laqueum*

brat, cum, *Beata*, inquit, *cujus brachiis Pretium pependit seculi! Statera facta est corporis, Prædam tulitque Tartari.* Apostolici autem chori, & Sanctorum DEI, mira se oggerit in hac passim celebrandâ facundia; quorum nonnulli *magno nos emtos esse pretio* ajunt; alii *copiosam*, alii *æternam* redemptionem laudant. Quos inter, facundior cæteris, Petrus, cum *dispersos hinc inde advenas electos, ad degendam in timore, incolatus sui tempore, conversationem* exhortatur, *omni auro & argento corruptibili contra pretiosiùs existimatam, hanc redemptionem* in causam adducit. Sed nec ipse mitissimus ac meritissimus Satisfactor noster non eam, vel olim jam quasi queribundus recipiebat, cum, *exolvi* diceret, *quæ non rapui:* vel prædicare dein jam præstitam abstinuit; cum inprimis, *venisse Filium hominis non ministrari, sed ministrare, utque daret animam suam redemtionem pro multis*; cum item *vere liberos futuros, quos ipse Filius liberarit*, pronunciavit. Patrum super eâdem ne pia meditamenta stipemus; quorum tamen de numero dulcior præ cæteris Bernardus est; cujus & nos piè modo verba imitamur: *O bone JESU, quid tibi est? Mori nos debuimus; & tu solvis! nos peccavimus; & tu luis! Opus sine exemplo, gratia sine merito, charitas sine modo.* Pretiosissimam hanc, maximeque piam *Servatoris* nostri, *sitam in passione* ac morte ejus, *Redemptionem* dignam item publicæ Declamationis argumento, inter statas has quotannis Ferias, prævio quasi Syracidæ hortatu: *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris; dedit enim pro te animam suam*, DOCTISSIMORUM Senio ADOLESCENTUM duxit, sic non pietatem minus, quam industriam suam, utramque æmulatione dignissimam, comprobare cupientium. Quæ res eo ordine progredietur, ut

JEREMIAS Heinrich/Grunbacensis, Carmine Heroico Latino, redimendorum felicitatem primævam extollat, quâ non expertes tantum jugi omnis, ac servitii, sed compotes etiam longè clarissimi in omnes creaturas dominii, arctissimæq; cum DEO ipso cognationis, & conformitatis, degebamus.

JOHANNES TOBIAS Fischlin/Aspergensis, Lingua Chaldaicâ, eorundem conditionem postea miseram, peccati nimirum, ac mortis, Satanæq; durissimæ addictorum tyrannidi, superstite tandem in omnes avernali, eoque æterno carcere, deploret.

JOSEPHUS CAPPELLER, Vayhinganus, idiomate Hebræo, redimentis nos φιλανθρωπίαν, laboresq;, & humilitatem profundissimam admiretur.

JOHANNES GEORGIUS KEIRLEBER, Nürtingensis, ore ac sermone Græco, ejusdem, quod exolvit pro nobis, λύτρον, undiq; sufficiens, ac superabundans, deprædicet.

GEORGIUS BERDOT, Montispeligardius, idiotismo Gallico, redemptorum sortem porro beatam, recluso ad primigeniæ jura libertatis omnia aditu, laudet.

JOH. MELCHIOR MÆRCKLIN, Nellingensis, Latinâ prosâ, eorundem denique munia, in vestigia nempe Promachi sui fide, amore, constantiâ strenuè insistentium, doceat & explanet.

Cathedram consuetam hora I. pomerid. conscendent. Illis ergo, ut, ad hæc quasi sacra Eleutheria concelebranda, lubentem pro more audientiam facessatis, amicè intercedo. Die Parasceves, M. DC. LX.

ACADEMIAE TUBIN-GENSIS

Literariam Juventutem, Eloquentiæ inprimis operam navantem, ſalvere peramicè jubeo

CHRISTOPHORUS CALDENBACH, P.P.

MAgnam eſſe converſationis utrinque vim, ſive emolliri eâ quorundam animos, atque ad civilitatis ac honeſti cultum flecti facile videamus, ſive infici alios ab eadem, ceu contagio quodam, aut, tanquam torrente, abripi ad pravum omne cogitemus, plus ſatis in propatulo eſt. Ut enim colore ſaxa, quibus adhæret, polypus imitatur: ſic fieri vix poteſt, quin aut, ſapientum ac bonorum conſortio qui utitur, virtutis aliquid trahat ab ipſis; aut contra vitiis inquinetur, qui in malorum ſocietatem ac ſodalitia inciderit. Et fatendum quidem eſt, perverſi ac corrupti in mundo plus, quam integri forte, aut ſinceri dari. Neque enim fruſtra ipſe DEI Spiritus, congruas ei laudes dicturus, *totum in maligno poſitum eſſe* ait, omnemq; ejus ſubſtantiam, vel præſtantiam, ad meram *carnis & oculorum concupiſcentiam* revocat, *vitaq; ſuperbiâ* definit. Cui nec profanæ literæ diſſentiunt, omnia in eodem viſcoſa, omnia lubrica, tenebriſq; operta, & obſeſſa laqueis aſſerentes. Velut tamen labyrinthum olim ſuum Ariadnæi fili ductu Atticus juvenis tuto perambulabat: ita nec anfractuoſas haſce mundi decipulas, ducentesq; ad interitum mæandros, quo minùs aut vitari cautè, aut ſuperari fortiter poſſe exiſtimemus, prudentia, ſeu, ut pie magis loquamur, DEI timor facit. Unde jam ſcilicet cauſæ nihil eſt, ad ſocietatem conditi cum ſimus, præceptiſque, ad piam & honeſtam converſationem ſpectantibus, inſtructi, cur aut antiquiores eremicolas in deſerta ſequamur; aut, cum palantibus olim, nullaq; civilitatis adhuc ſede ac lege compoſitis hominibus, ad priſtinam ſolitudinem relapſi, per campos hinc inde, ac ſylvas diſſipemur. Quanquam enim ipſe ſibi ſapiens nobile ſit ſodalitium, ut qui cum Antiſthene, *& loqui ſecum, & vivere* poſſit: ingredi tamen arenam virtus amat, nec hoſtis conſpectum fugit, cum decertandum de palma eſt, & figi in publico, reportata ex conflictu, trophæa volunt. Atque hinc eſt, quod Socratis præ cætera Philoſophorum turba tantopere nomen emineat; quia ſcilicet, cum ſeculum prius, in naturæ tantum, ſiderumq; contemplationem, plus juſto effuſum, *moralem* penitùs *diſciplinam* neglexiſſet, eam is ipſe primus quaſi *cælo devocavit*, atque ad facilis & laudabilis uſum politiæ convertit & applicavit. Quo tamen illud neutiquam aſſeritur, quaſi in convictu, & familiaritatibus perpetuis, hæc omnis vita noſtra ponenda ſit; nec temperare ſeceſſu pio aliquo, aut erudito, aut jucundo etiam, ſtrepitum populi, turbaſque poſſimus: ſed ut, ſolitarios illos Timones, Myſoneſque, & ventri tantum, ac Vacunæ ſeu mancipia peroſi, laudatæ, & amabili inter homines converſationi ſtudeamus; nec facile de foro, cum minori Africano, domum reverta-

mur, quin aliquem amicum nostra nobis sive studia, sive officia junxerint. Nam de cætero, quin elephantis nos esse similes conveniat, nullus ambigo; qui prout fluvios, quanquam delectantur iisdem, propter natandi tamen incommoditatem, aut imperitiam, intrant raro: ita nimirum & societates hominum à nobis, & raro, nec nisi cum utile, aut necessum est, & vero cautè semper, ac circumspectè, quaquaversum sunt obeundæ. Occasionem conferendi de his pluribus ADOLESCENTES, omni politiori literaturæ, ac morum elegantiæ, sedulo incumbentes, ceperunt nuper, cum *explodere*, quod felix faustumque sit, Gymnasmate quodam Oratorio, TIMONIS inprimis, paullo ante commemorati, μισανθρωπίαν, *præq; solitaria socialem ac civilem commendare vitam* publicè constituerunt. Quo in argumento operarum, quas Peroraturi suscipient, ea futura est ratio. Nempe

GEORGIUS FRIDERICUS HAUFF, Stutgardianus, viam quasi adornato Discursui paraturus, Timonem illum Atheniensem, prout à Plutarcho in vita Antonii describitur, velut in tabella quadam depinget, perstringetque; eum in finem, ut in ipso, tanquam vivâ effigie, naturam, & ingenium, moresq; morosos hominum, plus justo solitudinem amantium, expressos, ferulâ tanto digniores exhibeat.

JOHANNES ADAMUS OETTINGER, Ernspacensis, contra commendare studium solitudinis ad exempla Virorum æternæ famæ, detestariq; publicos hominum congressus, & conversationem, propter assita, quibus ea scatet, vitia, pericula & incommoda innumera, annitetur; securitatem postea, & jucunditatem, quæ in secessibus, rusticanis præcipuè, est, fusiùs deprædicaturus.

JOHANNES MICHAEL ROETHEL, Stutgardianus, quæ in laudem solitudinis dicta sunt hactenus, impugnabit, non minuendo tantum commoda, & oblectationes, quæ in ea efferebantur tantopere, sed &, tanquam virtutum novercam, matrem vero vitiorum complurium, & tentationum, eandem sugillando.

JOHANNES GEORGIUS WANGNER, Stutgardianus, patentioribus inde velis in societatum humanarum laudes ibit, afferendo cum dignitatem earundem, ex omni natura, ac intentione, & adminiculis naturæ, gentiumq; institutis, deductam; tum utilitatem, & delectationem, qua privatim, qua publicè, per omnes hominum status atque ordines sese exerentem.

JOHANNES MAURITIUS HEROLD, Pforcensis, disputata eousq; conciliaturus, cum solitudini, tum conversationi, modum certum, metamque, statuet. Et eâ quidem primò, quæ ex instituto quasi cum Timone, ad mera otia tendit, solitudine damnata, latendi quosdam modos, sive tolerabiles, sive laudabiles, ob tyrannos nempe, aut invaletudinem, defectumq; aliquem, aut sapientiæ studia, dabit: deinde autem, confirmatis vitæ politicæ elogiis, normam ei seu regulam brevissimam, à justo nimirum ejus moderamine, ac cautela, ducet.

Habetis materiam institutæ Exercitationis; quam tantò convenientiorem isti loco, & conditioni dicentium judicabitis, quanto & illi, & vos cum ipsis præclaram, cui acquirendæ invigilatis, eruditionem, morum simul venustate quavis, ac politurâ commendare eximiè allaboratis. Unde nec conciliandæ huic exercitio ad diem Mercurii proximum, ejusq; horam I. pomeridianam, vestræ præsentiæ operæ multum insumo: sed ultroneæ humanitatis indiciis studia hæc, quantum penes vos est, magis magisq; accensum & adjutum iri, certò confido. Dominica Exaudi, Anno M. DC. LX.

QUOD VERGAT, VORTATQUE FELICITER!

PAR CONJUGUM, OMNINO DISPAR,

NABALEM STULTUM,

ET

PRUDENTEM ABIGAILEM,

QUORUM ILLE DAVIDIS IRAM AC FURОREM,

SORDIDA TENACITATE, MOROSOQUE AFFATU JUVENUM,

E DESERTO, PRO EXPETENDA MILITI EGENO STIPE AC SPORTULIS,

SUB APPARATUM OVIUM TONSORIBUS EPULUM, MISSORUM,

ACCENDIT;

HÆC EANDEM

OCCURSU MUNIFICO, HUMILIQUE DEPRECATIONE
MITIGAVIT, VICITQUE,

IV. ORATIUNCULIS,

DUCTU SACRÆ PAGINÆ, *1. Sam. 25.*

RUDI VELUT ARTIS PENICILLO EFFICTIS,
EXPRESSURI,

ADOLESCENTES BENE NATI, MORATIQUE, ET INDUSTRII,

HAC PERSONARUM ATQUE ARGUMENTORUM [illegible]

UT

Juvenes, ſtipem petentes, JOANNES ERHARDUS WAGNER, Eſslingenſis,

Nabalem, in eosdem ſtolidè invehentem, GEORGIUS FRIDERICUS HAUFF, Stutgardianus,

Davidem, ſuos ad vindictam milites exhortantem, JOANNES ULRICUS ZELLER, Calvenſis,

Abigailem, cum commeatu Davidi occurrentem, eumque placantem, JEREMIAS ZELLER, Ferimontanus,

repræſentet,

ELOQUENTIÆ FAUTORES AC CULTORES OMNES,
EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA AC HONORE,

IN AUDITORIUM HYBERNUM,

SACRIS MATUTINIS PERACTIS,
INVITANT,

VERBA PRO IIS FACIENTE

CHRISTOPHORO CALDENBACH, El. P.P.

Typis Gregorii Kerneri, d. XIX. Januarii, Ao. 1660.

CHRISTOPHORUS CALDENBACH
PROF. PUBL.
ELOQUENTIÆ OPERAM NAVANTI,
STUDIOSÆ JUVENTUTI,
GAUDIA NATALITIÆ SOLENNITATIS
vera ac ſincera precatur.

VOcat nos iterum ad ſe puer cœlo miſſus, Judææ hoſpes, qui, terræ nos hoſpites cœlo reducturus, in mundum venit. Excitent nos teneri vagitus, quos fundere non niſi deſiderio noſtrum videtur. Si lætioris vocem internuntii optamus: cum paſtoribus ab Angelo, tantorum natalium præcone, inter carmina Symphoniæ cœleſtis vocamur. Quod enim paſtoribus is *evangelizat, magnum gaudium omni populo futurum*, ait. Ergò, *invenietis*, inquit, *infantem pannis involutum, & in præſepio poſitum.* Surgamus, eamus, beatæ inventionis participes futuri. Neque verò itinerum nos longinquitas moretur. Tanto ſpatio remotos, ſtella ex Oriente Magos deduxit. Hujus vicem, accenſum animo, fidei ac devotæ pietatis lumen præbebit. Panni, quibus etiamnum involvitur infans, deſiderium noſtrum, divina ſunt oracula. In his licet eum quærere; licet & invenire. Hæc lectulum iſtum rigentem, hæc immites faſcias, hæc totum, crudeli cum miniſterio, antrum Bethlehemiticum, animis, & quaſi oculis inſtaurant noſtris. Nihil eſt, quod admirabilem iſtam nativitatem facit, in quod illa digitum velut non intendant. Hîc conſilium æternitatis, tanto partui prævium, hîc ſtirpem beatæ prolis, hîc pacis auguſto nomine felices dies, in quibus naſcitur; hîc mille aliis prælatum ad cunabula læta oppidum, hîc gaviſam de fœcunditate Virginem ſanctiſſimam, hîc ipſum infantem divinum, & ejus in contemtu honores, in paupertate divitias, in humilitate gloriam tremendam; in ipſo, regum palatiis ac tricliniis digniori, ſtabulo; in pecuario præſepi, pignore hæreditatis, DEI in cœlo filiis debitæ, quaſi coram licet intueri ac venerari. Harum ergò ſanctiſſimarum Cunarum amore non ſtudium illud Sponſæ cœleſtis, noſtrum ſinguli faciemus: *Quæram, quem diligit anima mea?* non ſurgemus diluculo? non ibimus? properabimus? Neque ſtudii nos noſtri pœnitebit. Cunas olim ſuas infans Tyrinthius, tantis operum miraculis præludens, angue, quem Juno, ſiqua fides Poëtis, noverca immiſerat, ſuffocato & eliſo nobilitabat. *Propugnatorem* hæc incunabula noſtrum, (liceat enim umbram ſacro inde myſterio petere,) exhibent, Davide majorem, qui immanem Goliathum puer ſtravit. Hunc ipſi jam, adhuc tenellum, Dæmones, hunc inferi pavent. Non eo Leonides, cum trecentis in ſalutem ſuorum cadens, efferat ſe magis. *Solus* enim *hic torcular calcavit.* Hic *Siloh* ille, *expectatus gentibus*; hic *heros*, hic *Judæa de tribu Leo*; quo confiſi quotquot ſunt, *non corruent*, *portis præva-*

lituri Stygis. Nec vero *Propugnatore* [illegible] nostro, sed & *Oratore* [illegible] invenio; *Oratore,* qui nos [illegible], *Oratore,* qui pro nobis intercedat. Pindari labra melle illinentes, apiculæ suavitatem carminum, ejus in infantia præfigurabant; simileque aliquid in Platonis & Lucani tenerorum sessitantes labris. Hic, *Verbum* nempe *Patris*, ambrosiam nobis, & nectar ore promet; hic viam salutis & veritatis pandet; ipse nimirum *via, veritas, & vita.* Hic cœlestium nobis, quantacunque est, thesaurorum abundantiam omnem spondet; formicarum Midæ non indigus, quæ summam opulentiam in puero significaturæ, tritici grana in dormientis os ingerebant. Quin tantæ felicitatis recuperatorem ut tanto certiùs oppigneremus nobis, corda omnino nostra potiùs in cunas ipsi evacuemus; quin huc, pronum aliàs, advocemus, invitemus; hîc totum possideamus, amplexemur, deosculemur; Bethlehemitis nempe suam simul inhumanitatem exprobraturi, isthoc se indignos hospite, ultronei culpâ fastidii, reddentibus. Et huc quidem gradum velut nobis præferunt ADOLESCENTES ORNATISSIMI, Oratorium quoddam Exercitium anniversariæ huic Festivitati pie, publiceque, in diem, DEO volente, perendinum, hora prima pomeridiana, meditati. Quorum scilicet thema erunt CUNÆ JESULI COR PIUM. Hoc porrò thema sic illi tractabunt, ut

I. *CASPARUS SCHELLING, Reütlingensis*, in reperto Bethlehemi Infante desideratissimo exultet quidem; sed de negatis tamen eo dignis Cunabulis simul conqueratur:

II. *JOHANNES PHILIPPUS HEUBER, Nerolinganus*, exprobratâ Bethlehemitis, mundoque ipsi, suâ in excipiendo Immanuele ingratitudine, alias ipsi in corde pio ac devoto adornare Cunas satagat:

III. *GEORGIUS LUDOVICUS CUNTZ, Stuttgardianus*, sancta denique munia tractandi circa Cunas suas puelli divini quasi exemplo præeat, & ostendat.

Studio illi suo vestram, in moræ aliquantillum, præsentiam, audiendique facilitatem, per me ambiunt. Nolite & hanc vobis morulam, horulamve, post alias aliquammultas, perituram existimare, destinatam nempe pientissimis, quæ tam beato, lætoque tempori debentur, officiis. Ita revera, quod cum illis ego quoque voveo, exopto, lætum beatumque hoc, quod dixi, tempus puer Sospitator mundi vobis, nobisque omnibus esse velit, jubeat. Val. Feria II. Natalitia, Anni propediem, sed & hoc idem omnis Auctor felicitatis velit! feliciter finientis M DC LIX.

M. CHRISTOPHORUS Wölfflin/

ILL. STIP. MAGISTER DOMUS ET PROFESS. PUBL.

Lectori Salutem.

INter varias populorum divisiones non ultima fuit, quæ illos olim distinxit in Græcos, & Barbaros. Barbarus aliâs est ἑτερόγλωσσος, juxta illud Poëtæ:

Barbarus hic ego sum, quia non intelligor ulli.

Hinc Anacharsis Scytha cùm ab Atheniensibus videretur quasi barbarus, respondit: Scythæ barbari sunt apud Athenienses, & æquè hi barbari sunt apud Scythas. Abusi tamen isto nomine sunt Græci, qui omnes alias Nationes barbaras vocarunt, existimantes, teste Strabone, alienigenarum ora nimis esse crassa, & diducta, quæ non nisi difficulter, & aspere possint pronunciare. Tangit hanc, quæ antiquitus obtinuit, populorum distinctionem Gentium Apostolus, qui Roman. 1. debitorem se constituit Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, Græcis & Barbaris, illos vocat sapientes, nam Ἕλληνες, σοφίαν ζητοῦσιν, 1. Cor. 1. hos rudes, quo sensu Galenus barbaros, & agrestes conjungit. Ut ut autem Græci primas obtinuerint, inter gentes, quoad omne genus culturæ externæ, sapientiæque mundanæ, posthabiti tamen in circo gratiæ fuerunt, quos pro barbaris habuere, Iudæis, nam Iacobo annunciavit verbum suum DEUS, & Israëli Iudicia sua, taliter autem non fecit omni nationi. Et quamvis gratia DEI sub N. T. apparuerit omnibus hominibus, postponit tamen Paulus Iudæo Græcum, dum respiciendo ad τάξιν administrationis mediorum salutis asserit, Evangelium esse potentiam omni credenti, Ἰουδαίῳ πρῶτον, καὶ Ἕλληνι. Magna sane fuit hæc prærogativa, quàm præ Gentilibus habuerunt Iudæi, nec invidemus ipsis eandem, cum non fuerit honestum, sumere panem filiorum, & objicere catellis, potius vices illorum dolemus, quod repellentes verbum gratiæ indignos se judicant [...]

æterna, gratiasque DEO agimus, qui nos in tenebris viventes verbo suo illuminare, aliisque ob neglectum concessorum donorum in Gentilitiam barbariem tremendo judicio relapsis, in salvificæ veritatis agnitione conservare hucusque clementissimè voluit. Gratia ista, quæ Gentibus obtigit, cum nupere ad finem feriarum Natalitiarum, festo Epiphaniæ, publice commendata sit, Studiosi quidam Eruditi, & bene morati, ut non solum stylum, sed & pietatem exercerent, circa eandem materiam fuere occupati, & quia hactenus ob alia negotia non licuit, Græco heroico Carmine die crastina, 3. Febr. quæ meditati sunt proponent,

Primus illorum GEORGIUS BERNHARDUS PÆLIN, Gretzingensis, Gentilismi statum, qualis ante Christum erat, describet,

Alter JOHANN-DANIEL SCHÆFFER, Haidenheimensis, Gentilitiarum tenebrarum depulsionem post adventum Christi factam, expendet,

Tertius JOHANNES THEODORICUS KIESERUS, Gomeringensis, Iudæorum, & Gentium Pacificatorem Christum dilaudabit.

Agite nunc, qui literarum auditis Præsides, Patroni, Cultores, brevissimum temporis spatium huic rei impendite, dieque præfato hora I. pomeridiana in Auditorio hyberno convenite, vestram istam præsentiam Triga Studiosorum modo posita per me rogat, sibique indubitatò eandem promittens, ad cultum honorem officiaque mutua cuilibet pro statu suo exhibenda obligatam se fatetur. Tubingæ Festo Purificationis, Anno M. DC. LX.

Eloquentiæ Studiis addictam

IN ACADEMIA TUBINGENSI

JUVENTUTEM LITERARIAM

Salvere per hos salutares Adventus Dominici dies amicè jubeo

CHRISTOPHORUS CALDENBACH,

PROFESSOR ELOQUENT.

MISERIA HOMINIS tantò major est, quantò à DEO longiùs recedit. Ut contra: tantò major cujusque beatitudo est, quantò ad DEUM accedit propiùs. Et arctissimâ quidem unione DEO primitus jungebamur, ex quo, per æternam Creatoris bonitatem ac sapientiam, illibato adhuc splendore divina in protoplastis imago refulsit. Sed quam infelix, nimiâ eorundem cum serpente familiaritate, in mundum introducta divulsio sit, flere conscii, non tollere, aut abolere lachrymis possumus. Tum enim illud sacri Vatis contigit: *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & DEUM vestrum.* Atque eheu triste discidium, quod, quia à Bono immenso, immensum. Tolerari tamen mitiùs poterat, nisi omnis illicò revertendi eò, unde prolapsi fueramus, via præclusa prorsus, atque obserata æternùm esset. Ecce autem miserationum divinarum magnitudinem, nostræ impotentiæ omnipotentis consilii modo subvenientem! Quod enim omnem Angelorum, nedum hominum, captum excedebat; ut cum DEO Patre suo nos reduniret, carnem nostram copulâ stupendâ sibi DEI Filius associavit. Exiit cœlo, ut redeundi huc jus deperditum nobis recuperaret. Neque in hoc acquievit amor ejus. Nescios porrò tanti sui de nobis meriti monendo prævenit, utque reclusum ad Superos callem insistamus, desides hortatur, urget, impellit; scilicet ipse non Perruptor tantum noster, ac prodromus, sed dux etiam, & comes, imò via. Ut ne ergo gratiosæ, quæ certo statutoque tempore contigit olim, visitationis beneficio excidamus, diverti apud singulos, quotquot tanto hospiti fores non occludimus, etiamnum dignatur, more à primordio seculi ad finem ejusdem stato sibi ac solenni. Neque enim fructu primi accessus ullo, nisi mediante hoc altero, gauderemus. Si, quo vehiculo adveniat viâ hâc alterâ cœlestis hospitator, sospitatorque, interroges: Verbum, & Sacramenta sunt; quorum illud fidem excitat, hæc obsignant. Pignus enim unicum, & velut arrha certissima tàm salutaris præsentiæ, fides est. Cum verò manentem hîc civitatem non habeamus, tempus constituit, quo in consummatæ nos tandem beatitudinis superna, eaque æterna, ad se recepturus habitacula veniet. Hæc verò sunt illa, quæ per prævios hos Solennitatis Natalitiæ dies, quam & modo illucescere salutariter omnibus Æternum Numen velit! tàm devotè meditari usque pia hactenus antiquitas consuevit, rerum sanctissimarum momenta ac pondera. Itaque nec indecenter vestro de cœtu POLITISSIMA ADOLESCENTUM TRIGA fecit, quæ idoneam,

RIS NOSTRI ADVENTUM, ab hoc ipso tempore est mutuata. Cæterum diversimode Adventuum illorum ternionem efferre rerum sacrarum Scriptores solent. Quorum si fines diversos spectemus, primum redemptionis, alterum sanctificationis, tertium glorificationis liceat appellare; si formam aut qualitates, illum miseriæ, istum gratiæ, hunc gloriæ ac justitiæ esse deprehendimus; si objectum, primus ad homines, secundus in homines, tertius ex parte pro hominibus, & ex parte contra eosdem instituitur. Nimirum primus & novissimus homines omninò omnes, medius pios potissimùm & electos; & hic quidem modo quodam invisibili, isti autem visibiliter, spectant. Quod si ad media porrò eorundem oculum intendas, primus per incarnationem, alter, ut dictum, per Verbum & Sacramenta, tertius per judicium sese novissimum expedit. Si tempora etiam velis diversa illorum considerare, primus contigit semel; alter est assiduus ac perpetuus; tertium cum fine seculi expectamus. Si terminos item, aut locorum diversitatem, primus Judææ, secundus & tertius nullis, exactè loquendo, sese limitibus circumscribunt, undique sperandi, vel timendi. Diceres, primum à Pontifice, qui sacrificio nos expiet suo; alterum à Propheta vel Doctore, qui veritatis ignorantibus viam pandat; ultimum à Rege, qui regni consortes nos sui, subactis ultimatò hostibus, afferat, adornari. Quæ omnia citra scrutinii tamen rigorem, vel stricti undecunque examinis sunt accipienda. Ut ergò ordinem quoque dicendi, à DECLAMATORIBUS servandum, addamus, dicet

de PRIMO, eoque IN CARNEM ADVENTU, ANTONIUS LUDOVICUS HETTLAG, Durlacensis;

de SECUNDO, qui PER VERBUM ET SACRAMENTA contingit, JOHANNES MELCHIOR AICHELINUS, Phorcensis;

de TERTIO, qui est JUDICII NOVISSIMI, JOHANNES PETRUS HUBER, Ulmensis.

Destinatus DECLAMATIONI dies crastinus, hora pomeridiana prima est. Nisi pietas vos ipsa, vesterque in bonas literas, atque in illam inprimis animorum Reginam, Eloquentiam affectus & ardor, favere Exercitio tàm undecunque laudabili jubeat, prolixior in vestra exoranda præsentia forem. Nunc illud saltem expendere vos mysticum ex Apocalypsi sacra velim, quod ipse gratiosissimus animarum fidelium hospes quasi ad singulos effatur: *Ecce sto ad ostium, & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Et verè: siquidem verum illud Sapientissimi Salomonis de hac Æterna Patris Sapientia: *Deliciæ sunt meæ, esse cum filiis hominum.* Cum ergo & Divi Jacobi Apostoli sit monitum: *Appropinquate DEO, & appropinquabit vobis:* quæ quæso alia sint singulorum jam nostra, subinde iteranda, vota, vocesque, quam Labanis illæ ad Isaaci quondam pronubum: *Ingredere, benedicte Domini: cur foris stas?* aut illæ patris credentium, ad ostium tabernaculi sui in convalle Mambre adorabundi: *Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum?* V. Dominica II. Adventus, M. DC. LIX.

Eloquentis Sapientiæ Studiosam IN ACADEMIA TUBINGENSI JUVENTUTEM

Salvere iterum jubeo

CHRISTOPHORUS CALDENBACH.

NON posse nimiùm florere inter Artes cæteras, tradi ac doceri in Scholis, etiam altioribus, solitas, ELOQUENTIÆ Studia, confessum apud omnes reor. Cum enim defosso subter latebras suas thesauro animi scientia omnis, quam lingua non promit, proditvé, æquiparetur meritò: tantò autem magis hominum societati prosit quisq;, tantòq; ampliori loco dignus habeatur, quantò præ cæteris eruditâ facundiâ pollet: dirigi sanè ad hunc veluti scopum operas omnes, quas MUSIS impendimus, sacrata iisdem turba, æquissimum est. Non ergo veremur, post hesterna arenæ nostræ specimina, aliam denuo hâc luce, consimilem illi, palæstram aperire. Quid antiquis temporibus Romæ & Athenis saltem, ut præ istis Urbium apicibus minores transeamus, ELOQUENTIA potuerit, adeò ignorari non potest, ut vel per transennam intuenti veterum monumenta pateat illico. Romæ quidem, postquam terrarum dominium Urbi invictæ arma foris acquisiverant, domi honores omnes ora gravissimorum Virorum moderabantur. Ut, quanto quis prudentis facultate eloquii se commendasset magis, faciliorem quoque ad quamvis eminentiam accessum inveniret. Græcorum verò, atque inter hos Atheniensium inprimis, quid allegare Svadelæ illa tanto numero, viriumque tantarum, Numina Luminaque est opus, cum vel ex unius Gorgiæ Leontini existimatione publicâ de cæterorum pretio statui non obscurè possit. Ejus nempè tantopere admirabiles vilæ vulgo [illegible]

… dicerentur. Ut autem merito
æstimari suo devotum. Flexanimæ illi cultum omnem fas est: sic fallunt egregiè, qui, vel Naturæ hîc nimis tribuentes, vel Rhetorum plus justo præceptis immorati, velutque immortui nonnunquam, circum negligunt, rostra Academica non conscendunt, sineque exercitatione, nescio, quæ sibi non pollicentur. Hæc enim prout aliarum quarumcunque Artium, sic vel inprimis dicendi quoque scientiæ proximè viam sternit & explanat. Quâ in re longè dilucidum testem Plinium citare possumus, qui sic Epistol. XXIX. *Nec me præterit, usum & esse, & haberi optimum dicendi magistrum. Video etiam multos parvo ingenio, literis nullis, ut benè agerent, agendo consecutos. Proinde multùm lege, scribe, meditare, ut possis, cum voles dicere; dices, cum velle debebis.* Hæc ergo pensiculati, in scenam hora II. pomerid. denuo prodibunt, suis instructi ad dicendum Thematis, ADOLESCENTES humaniori literaturæ omni spectatiùs indies inolescentes; nempe

CHRISTOPHORUS Schließnecker/ *Uracensis*, CASTITATIS,
LUDOVICUS Reinöhl/ *Calvensis*, TEMPERANTIÆ,
JOHANNES GEORGIUS Schwartz/ *VVinendensis*, SPEI,
PHILIPP. BALTHASARUS Fischlin/ *Canstadiensis*, HUMILITATIS

Encomia dicturi. Illis præsentiæ Vestræ, audientiæque promtitudinem ut ne pluribus orem, locus, qui Vos sociat, idem, idemque, quem omnes fovetis, ad egregium quodvis enitendi ardor facit. Cui ut exoptatissimo quoque votorum successu fata morigerentur, animitùs precor. V. Tubingæ, IX. Cal. Octobr. A.C. cIↃ IↃc LIX.

CHRISTOPHORUS CALDENBACH, P.P.

Eloquentiæ in Academia Tubingensi Studiosis Salutem.

AD cujusque studii perfectiorem qui contendunt, rectè faciunt, si in opera & exercitiis seduli, non nisi *sulore parandam virtutem* omnem existiment; rectè item, si de *via* certa, *& ductu* quodam *artis*, qui instar *fili* sit *Ariadnæi*, circumspectè sint soliciti: sed nec minus rectè, si *naturæ* ante omnia suæ *ac ingenii* probè excutiant *vires*, quòque, aut quam in artem, partemvè connata illa unumquodq; capiendi facilitas propendeat, vel inprimis attendant. Ut enim, qui adverso flumine, sine remigio, aut velis, navem onerariam propellit, incassum nauta laborat: sic, quem nativæ bonitas indolis in præclaro quovis opere emoliendo destituit. Atq; hæc, nisi fallor, ipsissima, omnisque seculi suffragio comprobata causa est, cur *multos* quidem *multa* subinde *egregia conari*, *perficere* autem, & elaborare *paucos* videamus. Deficiunt nempe ingenio, inque eos *Mercurios* evadere *ligna* inidonea cupiunt, aut jubentur, quos natura ipsa abhorret: atque ita *lævo Apolline*, *invitaque Minerva*, quicquid aggrediuntur, suscipiunt & aggrediuntur. Ut laudem meo quidem judicio non immeritam suæ vel ingenuitatis, vel prudentiæ, cum *Alabandensi* illo Rhetore, quem in Oratore Tullius, ipse Orator summus, commemorat, isti juventutis moderatores, aut quicunque demum ingeniorum arbitri, reportent, qui, quod is in artis suæ incapacibus, in omnibus illi faciunt, quos adversante fortè indole grassari ad scientiam aliquam, aut literaturæ partem vident; ut dehortentur scilicet eos tempestivè, ac sedulò, injectoque velut freno, ad alia quævis, quam quorum natura iis aditum præstruxit, ablegent, aut deducant. Itaque, si uspiam, hîc certè vel maximè illud Satyrici, & maturè quidem, ingeminandum: *Noscenda est mensura sui*; quodque in Officiorum aureolo libello Cicero item commonet, curandum, ut *natura nos nostra regula metiamur*, *neque id conemur sequi*, *quod assequi nequeamus*. Cum verò infinitâ non animorum minus, quam vultuum varietate Natura luxuriet: res digna sane scitu, & exquisitu

est, qui discerni illa, aut quibus ex indiciis dignosci, diffusa tantopere variantium ingeniorum multitudo possit; ut destinari nempe tantò faciliùs unumquemque liceat, quò ipso naturalis propensionis stimulo fertur, & inclinat. Quanquam enim abstrusæ satis, & dubiæ nonnunquam res illa sit indaginis: non ita tamen nobiscum Natura agit, quin certa per vestigia, aut tramite quodam argumentorum ac signorum, ad istiusmodi SCRUTINIUM INGENIORUM sagaciores pervenire queant. Unde præsagæ illæ de discipulis magistrorum hinc inde in Historicis voces: hunc *freno*, istum *calcari opus habere*; hunc *lutum sanguine maceratum*, istum *bovem jam quidem mutum*, *mox autem suo mugitu orbem concitaturum*, *esse*: & quæ præterea hanc in rem, suis inserta monumentis, alia Scriptores non pauci ad posteritatem consignarunt. Materiem eam haud incommodam TIROCINII ORATORII fore arbitrati sunt nuper infra scripti ADOLESCENTES, *& natalibus*, *& ingenio feliciter præpollentes*, FABRI omnes, atque fratres insuper, quantum ad priores duos, ac patrueles, quantum ad tertium attinet; materiem inquam, quam super incude quasi solertioris industriæ fabricatam, limaque, quanquam tenui hac, nec satis artifici, politam, in lucem cathedræ Academicæ publicam proferrent. Igitur his veluti pensis totum argumentum, quod copiosiùs cæteroquin tractari poterat, partiti sunt invicem, ut

I. GEORGIUS FRIDERICUS FABER, Stutgardianus, ea, quæ nativitatem, aut ætatem primam, aliquando circumstant, omina, vel ostenta; cœli deinde constellationem, quæ est partus tempore, & Astrologorum vaticinia; ac corporis tandem, quæ in oculos incurrunt, lineamenta, formamque ipsam, faciendarum de indole raro fallibilium conjecturarum loco ponat:

II. HENRICUS ABRAHAMUS FABER, Stutg. numero isti prima statim pueritiæ studia, & ultroneos negotiorum delectus; tum gestus externos corporis, ipsumque animi interpretem, sermonem; & facta denique, seu opera, quibus venturæ ætati ver istud præludit, aggreget:

III. JOHANNES LEONHARDUS FABER, Stutg. tandem unicum de sodalitiis puerorum locum addat, ut ex quibus item haud inevidens conjectatio de omni ingeniorum inclinatione institui possit.

Venite quæso ad horam I. pomerid. crastini in locum solitum: &, quid patriæ nos quoque, ac HONORATISSIMIS FAMILIIS, de triplici hâc ingeniorum velut fabricâ, vel officinâ, polliceri queamus, nobiscum, sed faciles, nec rigidi nimis istorum moliminum Aristarchi, judicate, & scrutinium instituite. Dominica Reminiscere, M. DC. LXI.

CHRISTOPHORUS CALDENBACH,

El.P.P.

EJUSDEM IN

ACADEMIA TUBINGENSI

STUDIOSIS S.

HISTORIAM laudaturo idem fortè, quod Herculem olim laudare cupienti, objicere quis possèt: *Quis vero est, eam qui vituperet?* Adeò indubitata, & decantata quoque omnibus ejus dudum est dignitas. Et tamen, quasi in ambiguo adhuc posita sit ea, disceptare super encomiis ejusdem hora pomerid. I. ADOLESCENTUM LECTISSIMORUM biga in animum induxit. Nimirum Theones suos, aut Zoilos, etiam absolutissimæ nonnunquam opera limæ inveniunt; nihilque tam exacta elaboratum industria est, quin arrodi dente quondam maledico possit. Nam & Hercules ille, quem initio sermonis commemorabam, utcunque extra aleam dubitationis consistere ejus collaudatio visa fuit, contemtorem tamen suum Alexandrum habuit aliquando; eo nimirum tempore, cum, rupe quadam is capta, exsuperare gestis egregiis Herculem ab amicis adulatoribus diceretur. Tum enim Alexander, *At ego*, inquit, *meas res gestas in imperio, ne verbo quidem cum his, quæ gessit Hercules, arbitror conferendas.* Quanquam ita tamen conflictaturi DE HISTORIÆ ELOGIIS sint Nostri, ut, dum periclitari studii uterque Oratorii progressum contendit, ex ipsa conflictatone illa luculentiùs emicaturum illustre Historiæ nomen putent.

Partes autem eas, quæ ſuſcipi **CONTRA HISTORIAM** poſſunt, tueri pro virili **JOHANNES GOTHOFREDUS NEUHEUSER**, Stutg. annitetur, oſtenſurus nempe, quâ paſsim narrationum varietate atque incertitudine Hiſtoria laboret; utque difficile ſit, imo periculoſum, veri ſectatorem agere; & propalari etiam ſcriptis non omnia illico humanæ infirmitatis exempla debere, ſine offendiculis certè vix poſſe.

Contra vero vindicare **LAUDES HISTORIÆ DANIEL MOSER**, Stutg. contendet, & quod honeſtiſsimum ſit veritatis ſtudium; nec fraudari rerum præteritarum memoriâ poſteritas debeat; tum vero cum inſigni utilitate ſcriptionis atque ſtudii Hiſtorici voluptatem quoque non exiguam conjunctam eſſe. Unde in confutationem dictorum adverſus Hiſtoriam progredietur.

Quantum inprimis Oratori Hiſtoria conferat, aliunde patet. Princeps quidem Oratorum Cicero eam *munus Oratorium* appellat; aitque, *pueros ſemper, & infantes futuros, qui, quid, antequam nati ſint, acciderit, neſciunt.* Ac proinde calculum quoque tantò candidiorem noſtri merebuntur, quod in eo potiſſimùm Argumento, cujus meritò præ ſe amorem ferunt, occupari jam voluerint. Neque dubium eſt, eo ipſo &, non audiendi modo benevolentiam, ſed ſequelæ etiam ſtudium concitaturos eſſe. Tubingæ, IV. Id. April. M. DC. LXI.

M. CHRISTOPHORUS Wölfflin/ Illustr. Stipend. Magister Domus & Professor

LECTORI SALUTEM.

IEJUNIUM vere Evangelicum non tam injunxit, quàm prædixit suis Salvator noster, dum discipulis beati præcursoris ob intermissionem jejunii Apostolos accusantibus respondit; *Venient dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt*; demonstrare voluit istis verbis Dominus, futurum aliquando, ut discipuli corporali suâ præsentiâ orbati lugeant, ac jejunent, in fame & siti persecutiones patientes, ut optime explicat Theophylactus. Illimitatum fore hoc jejunium, non in hunc, aut illum præcise diem, sed passim, semper, ac pene continenter omnibus Christi discipulis, præsertim Apostolis pro muneris sui ratione incubiturum, ipse verborum sonus docet, ut impingant omnes, qui ad stata, determinatique temporis jejunia illud referunt; Veteres, secundum Tertulliani testimonium, primùm ad ante Paschale jejunium verba Salvatoris applicarunt, quadraginta horis feria sexta, & septima hebdomadis magnæ, vel passionis jejunantes, iis scilicet, quibus sponsus in Cruce mortuus, dein sepultus ab Apostolis erat ablatus, sed perperam; non enim quicquam in hanc rem concludit oratio Christi, qui non dicit, discipulos jejunaturos eo die, quo sponsus auferetur, sed ὅταν ἀπαρθῇ ἀπ' αὐτῶν, illis scil. diebus, qui hos, quibus ablatus est, insequentur; Probabilius videntur egisse, qui (Montanistis hoc adscribit Bellarminus, Catholicis Isodorus) occasione hujus sententiæ Pentecostale jejunium instituerunt, eo nimirum tempore, quod ascensionem Domini in cœlum, qua præsentiam suam visibilem subduxit sponsus, insequitur; omnium ineptissimi inter Pontificios sunt illi, qui, quod Christus prædixit, ad Quadragesimale suum jejunium referunt, & ad antePaschale veterum jejunium provocant, minimus enim verborum illorum apex, ipseque veterum mos adversariorum Quadragesimam plane evertit, antegreditur namque Quadragesima, quæ hodie obtinet, ablationem sponsi, ordine inverso, cum tamen jejunium vi verborum candem debeat sequi; Nec Quadragesima dictum est antePaschale veterum jejunium, quasi fuerit quadraginta dierum, sed quia quadraginta horis diurnis, nocturnisque absentiam sponsi denati & humati lugebant, jejunabantque, nec ipsa Quadragesimæ vox dies magis, quam horas notat; Cum itaque antiquis istis, à quibus totum hoc quicquid est jejunii, exortum est, temporibus nemo dies quadraginta jejunasse legatur, videtur verius, ab horis deduci Quadragesimæ nomenclaturam, quamvis negari non possit, crescente hominum vel devotione, vel super-

ſtitione alios dies, alias inſuper ſeptimanas, tandem ſex ante Paſchali jejunio conſecratas fuiſſe, reique tametſi multum mutatæ, priſtinum Quadrageſimæ nomen manſiſſe, inde trium jejuniorum, quæ veteres quolibet anno obſervarunt, imò quodcunque jejunii tempus, triginta ſex, quindecim, quinque, pauciorumque dierum Quadrageſima dictum eſt, cujus rei, præter eam quam adduximus, hanc rationem dat Nic. Rigaltius, quod priſci Chriſtiani divinis, & Apoſtolicis formati inſtitutis jejunia ſua omnia à jejunio Chriſti miraculoſo Quadrageſimam vocaverint, ut ſignificarent, Judaica non eſſe, ſed Chriſtiana. Nulla itaque eſt ratio, quam pro Quadrageſimali ſuo jejunio ex verbis Chriſti, veterumque conſuetudine allegant, nobisque obtrudunt Pontificii, an valida ſit, quam deſumunt à miraculoſo Chriſti jejunio, docebunt Quinque ADOLESCENTES florentiſſimi, qui occaſione currentis, dimidiamque partem elapſi anni temporis, quod Quadrageſimale à putatitio Pontificiorum jejunio dicitur, Oratiunculas GRÆCAS de IEJUNIO conſcripſerunt, easque in Auditorio Hyberno, craſtino die II. April. hora prima pomeridiana recitabunt.

Primus illorum *GEORG-BALTHASARUS RAITH*, *Tubingenſis*; de jejunii veri natura, qualitate, & effectis aget.

Alter *JOHANN-ULRICUS PREGITZERUS*, *Tubingenſis*; varias jejuniorum ſpecies dinumerabit.

Tertius *JOHANN-MATTHÆUS BAUR*, *Tubingenſis*; jejunium Chriſti Quadrageſimale, ejusque præeminentiam, & ſanctitatem expendet.

Quartus *JOHANN-JACOBUS AICHELIN*, *Tubingenſis*; pro imitatione jejunii Chriſti miraculoſi ex mente Pontificiorum concludet.

Quintus *JOHANN-LUDOVICUS FISCHERUS*, *Nürtingenſis*; inimitabile iſtud jejunium eſſe defendet, rejectis in contrarium allatis rationibus.

Præſentiam veſtram, Lectores honoratiſſimi, prædicti ADOLESCENTES ſibi indubitato pollicentur, cum dicturi ſint non ante meridiem, ne graviora ſtudia abrumpere cogamini, ſed poſt prandium, quo tempore quam facile eſt jejunare, tam facile erit de jejunio diſſerentes audire; demerebuntur ſinguli benevolentiam, ſi quam eis exhibebitis hac in re, ut, ingratos eos, beneficiique accepti immemores nunquam ſitis experturi; valete, Tubingæ Dominica Lætare, Anno ſalutis recuperatæ, poſt milleſimum, ſexcenteſimum ſexageſimo.

TUBINGÆ, TYPIS THEODORICI WERLINI.

[illegible]

Primus illorum GEORG. MATTHÆUS [illegible] Tubingensis, de [illegible]
[illegible] natura, qualitate & effectis [illegible]

Alter JOHANN. [illegible]
[illegible] comparabili.

Tertius JOHANN. [illegible] Camino [illegible]
[illegible]

Quartus JOHANN. [illegible]
[illegible]

Quintus JOHANN. [illegible]
Illud [illegible] defendet [illegible] contrarium [illegible]

[illegible] Lectores honoratissimi, [illegible]
[illegible] Anno [illegible]

TUBINGÆ, Typis [illegible]

CHRISTOPHORUS CALDENBACH, P. P.

Eloquentiæ in Academia Tubingensi Studiosis

SALUTEM.

CUM ipsa per se magni æstimatur meritò fax mentis nostræ, rationis aut magistra, aut pedissequa, quam Logicam appellamus vulgò: tum eximia inprimis quasi quædam ejusdem coronis, illa facultas est, quâ in omnem de rebus dubiis aut perplexis disserendi habitum, etiam extemporaneâ dicendi judicandiq; promptitudine, erudimur. Quanquam enim & cæteris undecunq; se muniis suis, ac functionib9, illustrem ars illa egregia præstet, sive obscura explanando, sive ambigua distinguendo, sive ad exactam veritatis regulam omnia dirigendo & examinando; quæ non minùs solitario mentis discursu, quam confabulationibus, ac congressib9 ad rerum explicationem mutuis, rectè obeuntur: tamen, cum sermocinationibus se eruditis, disertisq; velut conflictibus, in cavea præsertim, ac corona literatissimorum virorum, exerit vis illa veri à falso dijudicatrix, adeo suâ pulchritudine omnium perstringit aures, animosq;, ut vix quicquam divinius ab hoc divinitatis simulacro, qualem hominem sacra pagina perhibet, expectari posse videatur. Equidem eâ intentionis acrimoniâ, etiam dissertationum hunc sociarum sive finem, sive fructum & effectum Logica prosequitur, ut alterum inde, idq; notissimum, tritissimumque omnibus, Dialecticæ videlicet, quasi tu dicas, disputatricis scientiæ, nomen apud Græcos sibi invenerit. Cæterum, ut omni aliàs rerum eminentiæ, sic huic quoq; facultati disputatoriæ, non pauci, iiq; non leves, aut obscuri, subinde miscere se solent nævi; unde non parum detrahere ejus præstantiæ ac dignitati meritò quis queat. Nam, ut præposteri, nimisq; festini, juventutis inprimis literariæ, ad hanc, arduam sanè, concertationum doctarum, disertarumq; quasi palæstram assultus taceantur: quam non raros, sive circa materierum, quæ ventilandæ veniunt, delectum; sive circa genuinum, qui attendi unicè debebat, finem ac scopum; sive in modo deniq;, & ipsâ affectuum, qui nuspiam, quam hîc, vehementiùs dominantur, justâ quadam temperie, exorbitare ac deflectere videas! Annon enim, dum hinc in abstrusa nimis, aut recondita, quidam, inde alij ad frivola quæq;, ac minutias, cæco velut impetu, sæpissimè feruntur? aut circa verba digladiantur, dum in rebus conveniunt? Quorum illis Aristonem proponere queas, cancros edentibus id hominum genus æquiparantem; quod, sicut exigui causa alimenti circa crustas plurimas hi occupantur; ita, nullum sæpe propter usum, profundè nimis omnia isti rimantur: alteros Cleanthem audire commodè jubeas; qui plures ideo veterum, quam nunc, quanquam pauci tum philosopharentur, claros evasisse ajebat, quod res ipsæ exercerentur olim, de verbis hodie sit disceptatio. Annon alios item sophisticis altercationibus, tricisq; suis, ac versutiis, adeò immorari, & quasi immori offendas, ut omnem à praxi meliori oculum avertant, atq; ad vitam ipsam, & studia præclara nihil prorsus conferant; aranearum velut telas nectentes, quæ, utcunq; subtiles, inutiles tamen, & ... illi inter homines rei sunt? Quod dum cavere summopere Rudolphus Agricola, Dialecticorum

subtiles, inutiles tamen, & nihil inter homines rei sunt? Quod enim cavere summopere Rudolphus Agricola, Dialecticorum coryphæus nostro seculo, studebat, præceptorumque *adeò exanimem quasi* fabricam usu *perpetuo* animabat, *id obtinuit, ut epitaphio eius exteri ipsi tale elogium adscriberent:* Scilicet hoc uno meruit Germania, quicquid Laudis habet Latium, Græcia quicquid habet. *Quid dicam* contentiosa *quorundam* ingenia, *qui, campum hunc quasi disputatorium ingressi, neutiquam ad veri indaginem, sed ad* lites, *ad* rixas, *ad* convitia *& maledicta se mera coiisse, præfractè opinantur; ita frenos* perturbationibus *suis nullos injiciunt, aut habenas? Quos coarguere aliquis rectè* Antisthenes *possit,* contradicentem *oportere* doceri, non contradicendo compescere, *monens; aut* Picus Mirandula, *qui disputationes ideo* privatas *iis, quæ in* propatulo *fierent, præferebat; quod plerumq;, dum* vulgi tantummodo auram *plausumq;* captant *effrontes illi disputatores, non nisi* maculam aspergere confusionis, *aut infamiæ adversario* allaborant; *eo ipso non* jactantiæ *tantum notam incurrentes, sed lethale etiam* animæ *suæ* vulnus *infligentes, legemq; charitatis omnem pedibus quasi conculcantes. Sed verò plures sunt, ac majores, qui circum disputatorium stipare solent, hallucinationes, aut lapsus, quam ut digne describi chartæ hac angustia, oculisq; proponi queant; unde non raro* χολὴν χολὴν, *aut ipsam Platonis* ἀλατεμβὴν καταμβὴν *cum* Euclide Megarensi *voces; aut, quod in* Herminum Peripateticum, *Aristotelis decem Categorias semper in ore habentem,* Demonax *lusit,* decem categoriis *vel accusationibus* dignos, *pravos istos disputatores jure dicas. Rem vero istam,* DISCEPTATIONE *quâdam* ORATORIA *penitiùs disquirendam, mox compellandi suis nominibus* ADOLESCENTES HONESTISSIMI, &c. sive literas eorundem, sive mores spectes, facile laudabiles, *sibi sumpserunt. Quem in finem perorationis* DE DISPUTATIONIBUS *suæ ita partiti inter se sunt munia, ut*

JOHAN-RUDOLPHUS MÖGLING, Tubingensis, *velitationes istas literarias, quales in Academiis præsertim publicè, ab* ambitiosâ *plerumq;,* necdum exculta *satis, Iuventute,* præcociter *satis, atq; evidente cum studiorum cæterorum* detrimento, *institui solent, omninò improbet:*

JOHANNES *autem* CONRADUS GREILINUS, Reütlingensis, *tela quasi adversa gestans, easdem ex* necessitate *quadam, atq; indubitatis, quæ omni ex parte redundant indidem,* emolumentis *sive commodis; tum vero &* exemplo *Virorum* literatorum, *ipsoq; adeò* artis *omnis, ac* naturæ ductu, *non neglectâ etiam contrariorum argumentorum solutione, commendet.*

Cui adstipulatus, JOHANNES WOLFGANGUS ASSUM, Weickershemio-Francus, boni disputatoris normam *ex spectato probe* fine, *veritate nempe, quæ ejus semper obversetur oculis; ex* mediorum *item, huc facientium, apparatu digno, & comitatu quasi* virtutum *quarundam adtexet.*

Vnde quæstionem: An inter pocula *etiam sit* disputandum ac philosophandum, JOHAN-JACOBUS AICHELIN, Tubing. negantibus *rationum momentis adorietur, nec* fini *conviviorum, qui honesta oblectatio, nec* moribus Philosophi, *cujus est, decenter undiq; agere, nec* convivantium legibus *id convenire, asserturus.*

Ejus autem sententiæ opponens se, GEORGIUS ÜHLIN, Esslingensis, Disputationes *denique in conviviis,* hospitum, rerumque proponendarum, & modi *convenientis habito respectu,* admittet.

Subest, præter laudem conatus, etiam voluptatis nonnihil specimini; si modo, quod orant Isti, hora pomerid. Prima, *edendi ejusdem copiam ex loco solito, amicæ attentionis beneficio, dare ipsis volueritis. Non. Iun.* clɔ Iɔc LXII.

Tubingæ, Typis Theodorici Werlin.

Quidam contentionis [illegible] ingenia, qui, cum [illegible]
orem, sed ad lites, ad rixas, ad convitia [illegible] nequaquam ad veri [illegible]
[illegible]
[illegible] contradicendo compellere, [illegible] Picus Mirandula, [illegible] contradicentem operire decere, non con-
[illegible] privatas [illegible]
[illegible] aperire [illegible] tantummodo auram [illegible] propatulo [illegible]
[illegible] allaborant; [illegible] jactantiæ [illegible]
[illegible]
[illegible]
minum Peripateticum [illegible]
[illegible] Euclides Megarensis [illegible]
[illegible]
laudabiles, [illegible]
[illegible] de Disputationibus [illegible] sive literas coruscidem, sive mores spectes, facile
JOHANNES [illegible] CONRADUS [illegible]
[illegible] exemplo [illegible] necessitate [illegible]
Cui adspulatur JOHANNES WOLFGANGUS [illegible] natura [illegible]
[illegible]
[illegible] Franeus, bonidisputatoris normam [illegible]
[illegible] philosophandum. JOHAN. JACOBUS [illegible] Tubing. [illegible]
[illegible] GEORGIUS [illegible] Disputationes denique [illegible]
[illegible] propugnandarumque [illegible]
[illegible] Prima, [illegible]

Tubingæ, Typis Theodorici Werlini.

ΘΕΟΥ ΣΥΝ ΠΑΛΑΜΗ.

Bonarum Literarum, atque Eloquentiæ inprimis,
Fautores, Cultores, Amatoresque,
In Auditorium Academiæ Tubingensis Hibernum,
Post Sacra matutina,
Ea, quâ par est, observantia, studioq; invitantur denuo.
UBI
Divi Pauli, Tarsensis Apostoli,
MEMORIAM ANNIVERSARIAM,
Hesterna luce in fastis feliciter repositam,
TIROCINIO QUODAM ORATORIO
Publicè celebraturi,
ADOLESCENTES SELECTÆ FRUGI ET INDOLIS,
THEMA

DE PAULINÆ PRÆSTANTIA ELOQUENTIÆ,

Rudi tenuique Minerva
ventilandum sument.
Quod eo Ordine tractabunt,
UT

I. GEORGIUS BALTHASARUS RAITH, Tubinganus, *dicendi Argumentum significaturus, ex voto quasi Augustini, inter alia Paulum in ore olim videre gestientis, illud petat: adeoq; titulum Oratoris Potentissimi, Numeriano Imperatori quondam à populo Romano datum, Paulo potius convenire statuat.*

II. JOHANN-MATTHÆUS BAUR, Tubinganus, *veræ laudem Eloquentiæ Apostolo neget, ac deroget, argumentis potissimùm à Patria inculta, Cilicia nempe; à Solœcismis, in quos subinde impegerit; ab obscuro item, ac difficili orationis genere desumptis.*

III. JOHANN-ANDREAS GERHARD, Tubinganus, *eandem sententiam à negata Apostolo dicendi ubertate ...*

... *copia, tum à natura Evangelii, quod non verborum phaleris, aut pigmentis, sed efficaciâ Spiritus prædicari debuit; tandemq́ à propriis ipsius Apostoli testimoniis roboret, ac confirmet.*

IV. JOHANN-ULRICUS PREGITZER, Tubinganus, *pro Eloquentia Pauli à causis inprimis efficientibus depugnet, ut qui ex ipsa Spiritus S. Schola prodierit, in paradisum raptus, ubi verba ineffabilia audierit; in urbe insuper, à bonarum artium, atq́ Oratoriæ præcipuè, studiis florentissimâ, natus, & educatus sit; ad pedes porrò Gamalielis eruditus; & Græcorum scripta non leviter coluerit, evolveritque.*

V. JOHANN-JACOBUS AICHELIN, Tubinganus, *eandem Apostolo à definitione & essentiâ Oratoris perfecti adstruat, cum fuerit vir bonus, & dicendi peritus; hoc concionibus ejus, & epistolis; illud vita omni testante.*

VI. JOHANN-ANDREAS SCHOLL, Tubinganus, *idem à subjectis cum rebus, tum personis evincat; à personis quidem, quia cum Judæis pariter, ac gentibus; cum regibus item, ac Philosophis, sectariisq́ superciliosis atque obstinatis, ei res fuit: à rebus autem, quia summa salutis nostræ mysteria dilucidè explanavit.*

VII. GODEFRIDUS OSIANDER, Vayhingensis, *ab efficacia tandem persuasionis, aliquot exemplis comprobatâ; uti & à consequentibus Ethnicorum, Patrumque SS. elogiis id ipsum asseveret.*

His ergo artis nostræ Tironibus novellis
Ut crescendi posthac, proferendique exempli, copiam dent,
Fautorum nostrorum Coronam Inclytam
Peroraturorum nomine etiam atque etiam rogo

CHRISTOPHORUS CALDENBACH, Professor Eloq.

TUBINGÆ, TYPIS THEODORICI WERLINI: ANNO cIↃ IↃcLX.
VII. Calend. FebruarI.

CHRISTOPHORUS CALDENBACH, P.P.

ELOQUENTIÆ IN ACADEMIA TUBINGENSI STUDIOSIS SALUTEM *humaniter dicit.*

VIDISTIS sine dubio, aut audivistis minimùm, quam *facem* iterum lucida illa, & liquida, quæ nos ambit, mundi pars haud ita pridem terris accenderit, desuperque, & quasi super cervicibus nostris suspenderit; facem, *si non diram*, quod eruditi controvertunt, *miram sanè*, non ob raritatem modo comparitionis, sed quod causæ etiam, unde principium ducant insoliti hi ignes, & verò omina inprimis, quæ inesse tamen iisdem, credere nos pietas jubet, non exquisita satis sint, vel explorata. Nostis, quas, quantasque in partes literatorum hîc natio omnis abierit dudum; ut videri queat, pro exercendis tantùm, quæcunque acutiora sunt, ingeniis comantium istorum siderum partu naturam subinde gaudere. Quam enim discre-
pantium quæso hîc opinionum sese offert numerus; sive *Pythagoræos* attendimus, quibus placuit, Cometam
stellam esse ex earum ordine, quæ statis temporibus ambitu certo peracto, rursus ad ortum venirent; sive *Anaxa-
goram & Democritum*, quibus idem *duarum pluriumve stellarum; se vicissim illustrantium, quadam coitio est; vel coalitio*; sive
Stratonem, qui *sideris lumen densa nube obvelatum*; sive *alios*, qui *repercussum obtutus nostri ad Solem, qualis in speculo accidit,
eundem definiunt.* Et est scrupulosior pro more in his sententiarum velut divortiis cum examinandis, tum confutandis,
apex Philosophiæ, *Aristoteles*; ut tanto nimirum solidiùs deinde stabiliat suam, quæ latere vos nequit. Post quem neque
Seneca non ferulam in Naturalium Quæstionum libris censoriam, contra ævum suo vetustius, ipsumque, quem diximus,
Philosophorum coryphæum Aristotelem, strinxit; qui tamen nec ipse satis ad fidem posteritatis sensit, *neutiquam subitaneos
ignes, sed inter æterna Naturæ opera* stellas illas deputans. Quanquam, quâ est post Aristotelem modestiâ, totum istud *Come-
tarum spectaculum nondum teneri legibus certis, initiaque pariter, ac fines illorum minimè notescere satis*, fatetur ingenuè, ple-
niorem rei notitiam studiis posterorum reservans, ac promittens. Quod si ad recentioris porro factiones ævi, in quibus
Cardanus, Iulius Cæsar Scaliger, Tycho Brahe, Puteanus, Keplerus, Regiomontanus, &, quos referre præterea numero haud parvo,
etiam nostra hac ex Academia *Viros Clariss.* prolixum, vel ambitiosum foret, cogitationem reflectimus: utcunque in mo-
vendis hac super re dubiis facundos, in decidenda tamen penitus lite neutiquam promtos satis, atque expeditos depre-
hendimus. Ita scilicet densâ adhuc nube obvoluta, multa, & quasi cum ipsis sideribus istis prodigiosis nocte una, aut
obscuriori certe, & sublustri valde luce mersa latent. Nec verò suspicari non licet, etiam hunc, de quo loquebamur,
nuperum astrorum proselytum, doctiorum passim calamos aut fatigasse jam, aut fatigare etiamnum; unde accedere fortean
lumen tantæ dissensionum caligini queat. Sed occupentur sane dubiis istis, & horum quoque indies pro lubitu augeant
numerum, quibus inter Physicos & Mathematicos, inter Astronomos & Astrologos, erectior in superna mens est; di-
sputent non sine blanda quadam animorum oblectatione: *sintne perpetui isti ignes; an de novo creentur? figantne in sublu-
naribus cathedram, an in æthereis: an*, quod *Cunrado Cellario*, nostratis loci haud exiguo annis superioribus ornamento,
arrisit, *utrobique? in Naturæne porro censum veniant; an DEI simpliciter secretis accensendi? signane, an causæ eventuum certorum;
neutrum, an utrumque dicendi? malane, an bona etiam portendant, si portendunt?* & quæ id genus dubia, & ambigua alia.
Videant etiam, an confutata sit satis Poëtarum & Historicorum, quanta inter sapientes nomina! unanimis in astruendis
... quorum isti non nisi *dirum quodvis, ac triste, & funestum, & quod impune nunquam*

cedat, de his canunt: alteri longâ temporum serie superiorum fidem statuminant; cum hi ipsi nuntii, ut alia [illegible], *Vespasiano mortem*, *Romæ ab Alarico captivitatem*, *fatum Mauritio miserum*, *Mahometi perniciem*, *diem Carolo M. ultimum*, *Silesiis Tartarorum impetum*, & *auricularum abscissionem*, totque mala nostris etiam, & patrum proximis temporibus, quorum adhuc nec memoriâ satis, nec oculis recessit facies, præsagierint ac denuntiarint. De nostro nunc saltem instituto, & de almæ hujus Vniversitatis studio curiosiori ut ista addamus: excitavit idem desursum nuper minatus præco, hospesque sidereus, post *Summatum* inter nos *à literis* curas, & judicia, potissimùm privata, Florentissimi undecunque nominis JUVENUM ET ADOLESCENTUM Senionem, omnium uno convictu, mensaque communi VIRI, *cùm muneris sanctitate, tum bene merendi cogitationibus assiduis apprimè devenerandi*, gaudentium, ut, cum, nocturna inter silentia mutus, is non nihil certè prudentioribus edixerit, non indiserta Isti ideò pulpita Academica paterentur, atque intra hæc qualitercunque, & remotâ omni litigiorum prolixitate, loquentem è tacito ætheris consortio novum istum fatorum interpretem deducerent. Crevit ab ipsis cœli silentiis dicendi ardor; cumque de uno fari statuissent, non potuerunt, quin omnium simul naturam, quantam ex diversarum, nempe disciplinarum velut promptuariis, pro illorum tamen tenuitate, afferre liceret, promerent, & indagarent. Idque diversis quoque idiomatum modis, ut hâc nimirum variætate & sciendi, dicendique studium illustrius de se redderent, facemque aliis in eadem vestigia insistendi tantò dilucidiùs præferent. Hic ergo dicendorum tenor, hic inter Ipsos ordo sponte se obtulit.

Dicturis nempe JOHANNES BURCHARD ERAD, Basiliensis, viam quasi *præfatione* quadam *Latinâ* aperiet.

Inde JOHANNES MATTHÆUS BAWER, Tubingensis, ea, quæ sunt *Physica* circa Cometas contemplationis, *Græcè* eventilabit.

Porro GEORGIUS BALTHASARUS RAITH, Tubingensis, *Historicam* complurium exemplorum deductionem *Gallicè* instituet.

Hinc JOHANNES CASPAR SCHWILGE, Ulmensis, quid de *Divinationibus*, quæ ex inspectione crinitorum luminum istorum fieri consueverunt, sentiendum, linguâ *Italicâ* statuet.

Cui succedens JOHANNES CHRISTOPHORUS BAUMANN, Cuntzelsaviensis Franco, probabilem *de præsenti hariolationem Hebraicè* adducet.

Quod omne tandem agmen M. JOHANNES MELCHIOR AICHELIN, Pforcensis, *Carmine vernaculo*, piæ potissimùm devotionis affectum in perculsis fortè pectoribus movente, claudet.

Non dubium est, quin ipsa exempli raritas frequentiam Auditorii Dicentibus conciliatura sit facile. Quod dum *horis post sacra matutinis in Aula Philosophorum Renovata*, prompti vicissim, & grati, honorificè expectamus: illud Senecæ hîc fimbriæ quasi loco apponimus: *Quid ergo? Honestius judicas, dejectione animi perire, quam fulmine? Eo itaq; fortior adversus cœli minas surge: &, cum mundus undique exarserit, cogita, te nil habere de tanta mole perdendum. Prid. Id. Mart. M. DC. LXI.*

CHRISTOPHORUS CALDENBACH,

ELOQ. PROF.

EJUSDEM IN ACADEMIA TUBINGENSI STUDIOSIS S. D.

TRitissimum illud in Politicorum Scholis axioma est: *In pace de bello cogitandum.* Cujus si causam quis desiderat, acutissimus eam Historicorum Tacitus subministrabit; ne scilicet; quod de Italis ille, ab Othone ex improviso infestatis, commemorat, *securitate pacis, & belli malo circumveniamur.* Sic egere florentissimæ quibusvis retro seculis gentes; sic nostro hoc ut agamus, tantò erit convenientius, quantò classici circumundique rumores increbrescunt magis, nostrisque indies se finibus truculenti Martis horror propinquius infert. Quocirca rectè Augustinus: *Cum leges, jus, subditi, & universus reipublicæ status sint in protectione armorum, ut patriæ utilem operam navare possimus, militiæ peritiam habere convenit.* Neque ullum majus optimæ ac præstantis reipublicæ indicium cognoscitur, quam hostes fortiter arcere, & in summa tranquillitate cives continere. Passim ergo vigere in præclarissimis quibuscunque rebuspubl. morem hunc comperimur, ut non Bellonæ saltem minis è propinquo ingruentibus fortè, miles tempestivè scribatur, adque sustinendum ardui Martis opus omne certis præludiis atque exercitamentis præparetur: sed & hinc inde, altissimâ adhuc in quiete, robur aliquod militare in promtu sit; arma, commeatus, copiæ, ut fas est, instruantur; ipsi in omne genus ar-

tium bellicarum cives erudiantur, informenturque: atque ita ad propullandam vim hostium, ad lares, arasque tuendas, nemo fit facilè inidoneus omnino, vel imparatus. Cum tamen mos ille, exercendi cives altâ in pace artibus bellicis, videri non nemini vel noxius possit, vel supervacuus, disceptare eundem publicè de cathedra POLITI, *atque ab artium cultura commendati Juvenes*, ELIAS HALLER, *Reutlingensis*, & JOHANNES GEBHARDUS, *Campidonensis*, quod faustum sit, *hora I. pomerid.* constituerunt. Nimirum

ALTER illorum, Primus numero, contra usitatam hanc exercendorum bellicis artibus civium consuetudinem ac disciplinam, non sine causarum apparatu decente, dicet:

ALTER autem, quem secundò dixi, hanc ipsam consuetudinem longè robustioris admotu ratiocinii assertum ac approbatum ibit.

Ne deesse ipsis benevolæ officio præsentiæ atque attentionis velitis, amanter Vos compello. Tubingæ, XV. Cal. Maji, Anno M. DC. LXIV.

TUBINGÆ, LITERIS KERNERIANIS.

CHRISTOPHORUS CALDENBACH, ELOQ. PROF.

EIUSDEM STUDIOSIS SALUT. DICIT.

OMnino frustra est, qui de Eloquentiæ quicquam majestate cogitat, nec conforme isti rerum argumentum optat. Opificum, artificumque est, cum visendum aliquid moliuntur, primam curam in materiam eam, quæ sit dignior cæteris, vel idonea magis operi futuro, intendere. Sic non *quovis è panno Attalicam, quolibet ex ligno Mercurium* nobiliorem effeceris. Crescat cum ipso rerum pondere, atque in altum surgat oportet oratio, quæ serpere humi, aut languere dedignatur. Proinde præclaram navant operam, atque in Studiis Eloquentiæ optimè consulunt sibi, qui artis tirocinia in selectioribus potissimùm Historiæ argumentis periclitantur. Sic enim ipsa ex rerum magnitudine quasi sponte sua obrepere sibi, vel affluere, verba mascula, decora, florida, illustria comperiuntur; quæ in quisquiliis thematum vulgarium incassum quæras. Nam ut *scillæ rosam aut hyacinthum non producunt*; *nec infantum pedibus apti Herculis cothurni sunt*: sic ista se habet rerum dicendarum varietas; quæ, ubi in selectum, grave, magnificum aliquid incidit, oratorem ad modos eloquii consimiles vel inscium ducit, vel invitum trahit. Neque eapropter inconsultè egisse putandi, infra commemorati, ORNATISSIMI ADOLESCENTES sunt, qui, cum educere in lucem Academiæ publicam *Suadæ cultioris*, cui addictos se fatentur, *progressum*

aliquem meditarentur nuper, *ex Patavino Historiæ Romanæ Scriptore* QUATUOR INSIGNIORES MATRONAS delegerunt, quas ore singuli suo, pro diversa sortis earundem conditione, loquentes facerent. Delectæ autem his ipsis sunt ex Authoris illius

I. *Lib. 1. cap. 41.* TANAQUIL, *Servium generum ad ulciscendam soceri Tarquinii cædem, regnumque capessendum hortans, à* GOTOFREDO OSIANDRO, Vayhingensi, *repræsentanda:*

II. *Lib. eod. cap. 58.* LUCRETIA, *apud suos de vi, à S. Tarquinio illatâ sibi, conquerens, moxque semet ipsam interemtura; cujus personam* CUNRADUS MüHLSCHLÆGELIUS, Biberaco-Suevus, *induet:*

III. *Lib. 2. cap. 40.* VETURIA, *Romæ oppugnationem à filio Coriolano deprecans,* DANIELI DUVERNOY, Hericuria Montisbeligard. *introducenda:*

IV. *Lib. 30. cap. 12.* SOPHONISBA, *uxor Syphacis, à Masanissa victore, Cirthæ regiam intrante, ne Romanis dedatur, orans; cujus imponi sibi partes* MATTHIAS KAüFFELIN, Jesingensis, *passus est.*

Huic ergo Oratoriæ velut Scenæ, cum judicio hactenus confusaneæ, ut annuere oculo, aureque faventiori velitis, ipsorum nomine intercedo.

Declamatio ad diem Martis proximum hora Secunda pomerid.
in Auditorio Philosophorum Hiberno instituetur.

Tubingæ, Dom. V. Epiphan. M DC. LXIII.

TYPIS THEODORICI WERLINI.

[illegible] fortis carmen dem [illegible] [illegible] ex Autoris illius

I. *Lib.* 1. *cap.* 41. TANAQUIL, *de* [illegible] *Tarquinio* [illegible] *rebus, regnumque capessendum hortatur*, à GOTOFREDO OSIANDRO Vayhingensi, *repræsentabitur*:

II. *Lib.* eod. *cap.* 58. LUCRETIA, *vitam suis* [illegible] *à S. Tarquinio illatam* [illegible] *conquesta, moxque semet ipsam interficiens*: *cujus personam* CONRADUS MEHLSCHLÆGELIUS, Biberaco-Suevus, *induet*:

III. *Lib.* 2. *cap.* 40. VETURIA, *Romæ oppugnationem à filio Coriolano deprecatura*, DANIELI DUVERNOY, Hericuria-Montisbelgardi, *intro ducendam*:

IV. *Lib.* 30. *cap.* 15. SOPHONISBA, *uxor Syphacis*, *à Masinissa* [illegible], *Carthaginiensium* [illegible], *ne* [illegible] *Romanis dedatur*, *orans*; *cujus* [illegible] *sibi partes* MATTHIAS KAEFFELIN, [illegible] *sumsit*.

Hanc ergo Oratoriæ velut Scenæ, cum judicio hactenus consuetudineque annuere [illegible], [illegible] faventiori velitis, ipsorum nomine invitamus.

Dictum vero est diem Martis proximum horis [illegible] *consecrari*,

in Auditorio Philosophorum Hiberno instituendum.

Tubingæ, Dom. V. Epiphan. MDC.LXII.

TYPIS THEODORICI WERLINI.

CHRISTOPHORUS CALDENBACH,

ELOQ. PROF.

EJUSDEM STUDIOSÆ JUVENTUTI SAL.

VEnandi studium, ut viris Principibus perquam est familiare, sic juventutem, generosam præsertim, haud dedecuisse olim, historia omnis testis est. Plato sane, princeps Philosophorum, hanc inter alias inprimis *ab adolescentibus exercitationem requirit.* Xenophon autem omnium *exercitationum optimam* esse eandem perhibet; ut quæ belli quoddam sive præludium sit, sive simulacrum; & veluti schola quædam virtutum, in qua Principes omnibus retro seculis suos studiosè filios educarint. Sic ergo de Pelopida Plutarchus: *Primam militiæ suæ institutionem à venationis meditatione accepit.* Sic allegatus modo de Cyro suo Xenophon: *In adolescentiæ flore venandi maximo desiderio tenebatur, & in pugnando adversus belluas pericula nulla fugiebat.* Sic item de Jugurtha tersissimus Sallustius: *Statim initio ætatis non se luxui & inertiæ corrumpendum dedit: sed equitare, jaculari, pleraque tempora in venando agere, leonem atque alias feras primus, aut in primis ferire.* Quod si ad Poëtas porro oculum reflectimus, prorsus in morem atque consuetudinem juvenum abiisse venationem videmus. Itaque de *imberbi juvene* Vates Venusinus:

Gaudet equis, canibusq., & aprici gramine campi.

De Pamphilo autem filio apud Afrum Comicum Simo verba faciens:

Quod plerique omnes faciunt adolescentuli,
Vt animum ad aliquod studium adjungant; aut equos
Alere, aut canes ad venandum.

Nec vero aliter de Ascanio Maro divinus:

Mediis in vallibus acri
Gaudet equo; jamque hos cursu, jam præterit illos,
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.

in venationibus habent; deque principiis, ex quibus hoc fluat, & quos intra limites sese contineat, erudite alibi eruditi disquirunt. Illud
saltem, quod de juventute generosa, atque ad alta nata, non sine calculo veterum, innuebamus modo, non honestum scilicet esse tantum ei-
dem, sed & valde idoneum, insigniterque utile, hoc genus exercitationum, ad justi nempe moderaminis cynosuram si revocetur, extra
omnem controversiæ aleam positum esse opinamur; utpote in quo *juventus sese exerit, vires & agilitatem comparat*; quod *occasionem dat*
exercendi artes militares, despiciendi terrena, discernendi tempus, quando sperare, aggredi, ferire oporteat; quod *variorum casuum docet eventum,*
& usum commonstrat stratagematum, ubi *profusus sanguis, & trementes ferarum morientium artus oculis usurpata expurgant affectus, firmant ani-*
mum, generosiores sufficiunt spiritus, qui metum contemnant, & pericula. *Nam & sylvæ solitudo*, verba sunt Plinii in epistola quadam ad Corn.
Tacitum, *ipsumque illud silentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt.* Sed enimvero fatendum est tamen, ut faciem
haud raro quantumvis speciosam habet nævus aliquis, sic in VENATIONIBUS etiam, quacunque tandem libra pendantur, aut exa-
mine, haud pauca dudum induxisse morem seculi, cur notam effugere Aristarchi severioris omnem minimè queant. Existimarunt ergo
recitandi jamjam ADOLESCENTES *erectioris sive spei, sive ingenii*, materiam ab hisce commodam suppeditari posse sibi, quam in
morem, modumque GYMNADIS RHETORICÆ publice, de suggestu, pro suæ nimirum tenuitatis captu, utramque in par-
tem ventilarent. Itaque

Probandas sibi easdem apparatu argumentorum haud contemnendo THOMAS KNAPPIUS, *Walten-buchensis, sumsit.*

Adversum autem arietem causæ haud unum JOHANNES JACOBUS BAUR, *Tubingensis, in eas intorquebit.*

Quos æquâ tandem pace componere ISAACUS LIST, *Reutlingensis, epicrisin liti expeditam adhi-biturus, studebit.*

Hactenus conciliari Pallas & Diana, diffidentes cæteroquin Deæ, ac ferme nullo, præterquam virginitatis consensu amicæ, possunt; ut quæ, in Deorum quondam conciliis, mutuis abstinuisse conspectibus leguntur, intra limina Athenæi nostri familiariter associatæ, concordiam alant, colantque; quatenus, quod altera nempe in sylvis, illa in Auditorio; quod ista venabulis acutis, illa disertis Enthymematis; quod hæc exercendi corporis, illa animi causa; quod pro captura ferarum una, pro expugnanda paullatim feritate, insitâ omnibus, altera, collocant studium: atque ita Mænalii, speciem, aut Castalii eruditi, Musarum domus, Academia exhibet. Adeste ad I. pom. & conatibus quæso Commilitum favete. Tubingæ, IV. Id. Dec. Anno reparatæ salutis M. DC. LXVIII.

QUOD BENE VORTAT DEUS!

QUÆSTIONEM,

POLITICORUM SCHOLIS ACCENSENDAM,

An

BONARUM ARTIUM AC FACULTATUM STUDIOSIS,
ACADEMIAS ET MAJORES SCHOLAS INCOLENTIBUS

Concessa antiquitus

IMPERATORUM atq; PRINCIPUM INDULGENTIA SINGULARI,

PRIVILEGIA

Jure videantur competere, necne?

IN UTRAMVIS PARTEM,

MOX COMPELLANDI

ADOLESCENTES,

LITERATURÆ SELECTIORI OMNI INTIME CONSECRANEI,

IN AUDITORIO HYBERNO,

Cras horâ II. pomeridianâ

VENTILABUNT:

Interq; EOS

I. JOHANNES DAVID FRISCHIUS, Rotenb. Tub. Francus, Privilegia ista, quod ad virtutem adeò vix quicquam faciant; quod ordinum paritatem, iisdem publicè bonis atque commodis

gaudentium, immeritò tollant; quodque licentiæ omnigenæ, pronæ cæteroquin in vitium, Juventuti patentem satis fenestram aperiant, impugnabit.

II. LUDOVICUS ALBERTUS HAUFF, Stutgardianus, Æquitatem contra immunitatum ac privilegiorum istorum, cùm à difficultate, sumtibus, ac molestiis, quas humanitatis sibi studia conjunctas habent; tum ab aliarum tribuum, ordinumque exemplis; quin & ab emolumento multiplici, quaquaversum hinc redundante, convincet.

Cui suffragaturus III. PETRUS MEYDERLIN, Stutgardianus, argumentis prioribus ductum Naturæ, rebus quibuscunque eminentioribus quasdam velut prærogativas elargientis; ipsam deinde literarum tam latè diffusam dignitatem; ac surgentem denique Optimorum inde Principum laudem, atque gloriam nominis perpetuam, subjunget, non sine solutione argumentorum primò allatorum congruâ.

QUORUM CONATUI UT CALCULUM

BENEVOLA PRÆSENTIA ET ATTENTIONE,

Parem inprimis Suadæ elegantiori cultum qui addixere

E JUVENTUTE LITERARIA,

ADJICERE VELINT,

ROGANT IPSI,

INTERPRETE

CHRISTOPHORO CALDENBACHIO, Eloq. Prof.

TUBINGÆ, LITERIS REISIANIS.

ANNO M. DC. LXIV.

EIGENTHUM DES COLLEGIUMS ST. ANNA IN AUGSBURG

Rector, Aud: Scholast: 1660. d. 18. Martii.
Professores Collegii in funere Dnæ Dorotheæ Berchtoldiæ. 1660. d. 5. 9br.
Rector Universitatis Tub: in funere Dnæ: Dnæ Susannæ Principis etc. 1661. d. 21. Febr.
Ephorus Collegii, Ludovicus Berchtoldus 1660. d. 19. 9br.
Ephorus Collegii in funere Dn. Mariæ Susannæ Lauterbachin.. 1662. d. 18. 7br.
Decanus et Coll. Fac: ~~Theol~~ Medicæ. Festo Trinitatis. 1659.
Rector Academiæ .. 1661. d. 24. Januar.
Rector Academiæ 1658. primo Januar.
Rector Audii Scholastici in funere Dnæ Samuelis Hafenrefferi. M. D. 1660. Fer. V. Trin.
0. Rector Academiæ in funere Dnæ Dorotheæ Berchtoldæ. 1660. d. 5. 9br.
Gratulation auf den fürstl. Heimführungs Tag Ihr. Hl. Eberhardt Herzog zu Würtenberg:
2. Uhr Jahrs Neuen bey Eintritt des 1664. Jahrs an H. Moriz von Proinek.
3. Gratulation an H. D. Tobiam Wagner SS. Theol. D. als er zum hochfürstl. Cancellario totius Academiæ Tub. erkannt worden. 1662.
4. In Nuptias Dn. M. Melioris Volcii 1661.
5. In Nuptias viri nobili Dni Caroli Bardili. Med. D. 1664. d. 10 aug.
16. In Nuptias Matthiæ Hafenrefferi. 1664. d. 15. August.
7. Tobias Wagner in promotionem Theol. minam Dn: Phil. Jac. Speneri Theol. D. d. 25. Junii. 1664.
8. Der Jahrstag zu Ehren Dn. M. Georgio Schönberg, da er d. 25. April 1664 die Ehren einer Licentiaten ... erhalten.
9. In Nuptias Dn Caroli Bardili d. 9. aug: 1664.
00. Fratres et affines Dr: Bardili in easdem nuptias.

101. Brabeum Doctoreum, viro Dno Melchiori Sebizio collatum. 1664. d. 7. Jun.
102. In Nuptias Dn. Balthasaris Raith
103. Decanus et Colleg: Facultatis Philosophicæ. 1664. d. 12. augusti

NB.
Candidati, quibus honor Magisterii Philosophici publica solennitate conferebatur.

104. Magg. Philos. anno 1655. Candidatis numero 6.
105. anno. 1651. Candidatorum ... 21
106. anno 1668. Cand. numero ... 22.
107. anno 1661. Cand. numero ... 19
108. anno 1661. Cand. 19. 9
109. anno 1660. Cand. 26.
110. anno 1662. Cand. 34.
111. anno 1662. Cand. 11.
112. anno 1663. Cand. 26.
113. anno. 1663. Cand. 35.
114. anno 1664. Cand. 29.
115. anno 1664. Cand. 24.
116. anno 1663. Cand. 38.
117. anno. 1653. Cand. 14.
118. anno. 1662. Cand. 35.
119. anno. 1660. Cand. 36.
120. anno 1658. Cand. 29.
121. anno 1661. Cand. 41.
122. anno 1659. Cand. 27.
123. anno 1660. Cand. 11.
124. anno. 1664. Cand. 17.
~~125 anno. 1663~~

~~126~~ Nb
1 Christophorus Caldenbach Eloq. P. in orationes nonnullorum adolescentium perpolitorum
125. Oratio, de saltationum existimatione

Nb. von dem 125. bis 155. sind 6 Orationes

26. De ultimo vitæ Termino. Oratores
[illegible] 3. [illegible] 1. Matthæus Bacher. Blau,
fontanus. 2. Joh: Jac: Zimmer Herrnb.
Joh. Külbel. Kircho Tecc.
27. Utrum majus sit alterutro tormentum sit
Farnesan. Sitis. 2. Orat:
28. De hoc Tempore. 3. Orat:
29. Omnia mortalium opera, morta-
litate damnata sunt.
30. V. Orationum. ~~[illegible]~~
[illegible] rapta. Rachel plorans. p. Johannem
31. Ulricum Bregitzerum. 2. Lanienae Parisiensis.
p. Joh: Jacobum Kies. Canstadiensis. 3. Vesper Sicula.
p. Joh. Melchiorem Weinheimer. Spirensis. 4.
Africa Romanis internecina. p. Joh. Leonhardum
Doekeler. Ulmens: 5. Templariorum excidi-
um. p. Joh. Christophorum Praschel. Eslingens:
131. De vita aulica. 1. p. Joh. Conradum Meurer
Bessingheimens: 2. p. Conradum Mühlschlagel
Biberacens: 3. p. Johanne Christoph: Jæger. Stutg:
132. De quatuor anni partibus. 1. p. Joh. Petrum
Radstuar. Leosteinensem. 2. p. Joh. Michaël
Schaller. Neostadiensis. 3. p. Joh: Lonerstetter.
Cupping: 4. Caspar [illegible]. Göpping:
133. De Filio prodigo. 1. p. Joh. Jac. Derschlin.
Marckgröning: 2. Joh. Petr: Radstuar. Leo-
steinensis. 3. Joh. Michaël Schaller Neapo-
litanus. 4. Joh. Ludov: Hirschmann. Megalo Bottwarens.
134. De Alexandro M. à Alexandro Rudolpho
Wolfhard. Saximontanus. 2. à Joh. Jac:
Lust. Stutgardian: 3. à Joh. Phil. Græter Rexo-
felsanus.
135. De opere nostræ redemtionis. 1661. à Joh.
Wiedelino Staer. Murting: 2. Eberhard: Christoph:
Wagner (Lidmann) Vayhing: 3. Jacob: Wagner Boling:
4. Gottlieb Otto. Winnedens:
136. De Pace. Oratores erant: Joh. Ulric: Bregitze-
rus. Tubing: 2. Joh. Leonhard Faber. Stutg:
3. Joh. Jacob Kies Canstadiensis.
137. Comparatio Orationis ad artem factæ
cum humano corpore. 1. Matthæus Curtz
Blavifontanus. 2. Joh. Heinric: Schnir-
ring. Stutg: 3. Joh: Wilhelm Schmidt. Stutg.
138. De humili Christi in Solymas ingressu.
à. Joh: Nicolao Scheurer Monasteriensis.
2. De Chr. Passione. à Nicolao Kleiner. Colma-
riensis. 3. De Chr. resurrectione à mortuis
à Johanne Weber. Colmariens: Alsatg.
139. De Redemtione hominum p. Christum facta.
à. Jeremia [illegible] Gruntacens: 2.

à Tobia Rischlin. Aspergens: 3. Joseph: [illegible]
Vayhing: 4. Joh: Georg. Keurleber. [illegible]
5. Georg. Berdat. Montispeligandiab. [illegible]
Melchior Märcklin. Nellingensis.
140. Timonis ἰσανθρωπία. à Joh. Frid.
Haufft. Stutg: 2. Joh: Adam Oettinger
Ernspacens: 3. Joh: Michael Roethel. [illegible]
4. Joh: Georg. Wagner. 5. Joh: Mauritz Hafner
Pforcens:
141. Nabal stultus et prudens Abig[ail]
à. Joh: Eberhard: Wagner. Eslingens. 2.
Frid: Haufft. Stutg: 3. Joh. Ulric. Z[illegible]
Calvens: 4. à Jeremia Zeller. [illegible]
tanus.
142. De nato Jesulo. 1. Caspar Sche[illegible]
Raitlingens: 2. Joh. Philip: Heuber[illegible]
lingan: 3. Georg. Ludovic: Lutz. [illegible]
143. De Epiphania Gentilibus facta. 1.
Georg. Bernhard: Zolin. Gretzingens.
2. Joh: Daniel Schaeffer. Heidenhei-
mensis. 3. Joh: Theodoric: Kiesenhu-
meringens:
144. De triplici adventu Christi
à Antonio Ludovic: Hettlag[illegible]
2. à Johanne Melchior Aichele
Pforcens: 3. Joh: Petr: Huber. [illegible]
145. Encomia. 1. castitatis, 2. Temperantiæ, [illegible]
4. Humilitatis. à Christophoro Zilling[illegible]
Urac: 2. Ludov: [illegible] Calvens: 3. Ge-
org: Schwartz. Winnedens: 4. Phil. Ba[illegible]
fischlin. Canstadiens:
146. Cretinini ingeniorum. à Geo.
Friderico Faber. Stutg: 2. à Heinric[illegible]
Faber. Stutg: 3. à Joh: Leonhardt [illegible]
147. Elogia Historiarum. à. Gott[illegible]
Neuheuser Stutg: et à Daniele Mo-
ser Stutg:
148. De Jejunio. 1. à Georgio Balthas.
Raith: Tub: 2. à Joh. Ulric Bregitzer.
Tubing. ~~3. à Joh. Conrad. Greiling [illegible]~~
3. à Joh. Matthæo Bauer. Tub: 4. Joh.
Georg: Aichelin. Tub: 5. Joh: Ludov.
Fischer. Nürting:
149. De Disputationibus. 1. à Joh. Ludov:
Möglin Tub: 2. Joh: Conrad: Greiling.
Reutling: 3. Joh. Wolfgang Cyprus. Wilhelm-
haimio Francus. 4. Joh: Jacob: [illegible]
à Georgio Uhling. Esling:

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Programmata Universitatis Tubingensis & scrtipta alia occasionalia

Bd.: 1/155.

Tubingae (1663 - 1664)

Augsburg, Staats- und Stadtbibliothek -- 2 Bild 18
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11195604-9